PRÆLECTIONES MARCIAE,

siue Commentaria

IN THVCYDIDIS HISTORIAM, SEV NARRATIONEM,

DE PESTE ATHENIENSIVM.

EX ORE

FABII PAVLINI VTINENS.

Philosophi, ac Medici,

IN VENETO GYMNASIO ad D. Marci Bibliothecam,

EXCEPTA, ET EDITA.

AD EXCELLENTISS. III. VIROS, Veneti, Patauiniq; Gymnasij.

Cum triplici indice: Vno Quæstionum: altero Auctorum: Tertio rerum Memorab.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, M D CIII.

Apud Iuntas.

PRAELECTIONES
M A R C I AE
fiue Commentaria
IN THVCYDIDIS HISTORIAM,
SEV NARRATIONEM
[illegible] ATHENIENSIVM.
EX ORE
FABII PAVLINI VTINENS.
Philofophi, ac Medici,
IN PVBLICO GYMNASIO
ad D. Marci Bibliothecam
[illegible] ET AVCTAE.

AD EXCELLENTISS. [illegible] VIROS
Veneti, Patauiniq. Gymnasij.

[illegible]

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS,
Apud Iuntas.

MIS MIS
ILLVSTR. ET EXCELL.

III. VIRIS

VENETI, PATAVINIQ.

GYMNASII:

SENATORIBVS AMPLISS.

M. ANTO. MEMMO D.M.PROC.

FRANCISCO MOLINO } E.Q.
ANTONIO PRIOLO.

VOLVMEN HOC

Marciarum Prælectionum

FABII PAVLINI PVB. D.

SVO QVASI IVRE ILLIS DEBITVM

SVMMA AVCTORIS VOLVNTATE,

DATVR, DICATVR, DONATVR.

IN THVCYDIDEM DE NARRATIONE Pestilentiæ.

SENATOR, Jmperator, & Medicus idem est
Atq; Historicus? vnus tot in varias abit
Facies virorum? totque partes sustinet?
Venena Circes ne hausit? est ve Proteus,
Repente qui mutetur in varium caput?
Circæa non venena, non hic Proteus,
Sed pharmacum virtutis, & sapientiæ
Amara priscæ pocula hausit, improbo &
Labore, diuina indole ingenij, & ope
Est artis assecutus, vt fieret quasi
Deus, qui in omni parte late excelleret,
OLORI propago Regis Attici potens.
Ni credis, experire, partem hanc perlege
NARRATIONIS PESTILENTIS vnicam,
Nescire te iurabis, an præstantior
PHILOSOPHVS, an MEDICVS, an ORATOR siet.

STVDIOSIS IVNTAE S.

HERCVLEM ferunt (vt recitat Eustathius in Hom.) cum colligeret exercitum profecturus Ilium ad vindicandam Laomedontis perfidiam, qui sibi promissos equos ob seruatam Hesionem filiam à monstro Cete, nolebat persoluere, petijt à Lycimnio, vt eius filium Argiuum sibi socium, ac familiarem daret in ea profectione, cumque Lycimnius se id facturum negaret, quòd alterum filium sub ipso Hercule apud Lacedæmonem amisisset, veritus, ne hoc quoque vnico iam relicto, orbaretur, Hercules iure iurando pollicitus est se eum reducturũ, ac illi restituturum, cumque hic (vt fit) forte fortuna concidisset in itinere, Hercules, vt quoquo modo iureiurando solueretur, ac promissa patraret, combussit cadauer Argiui, (vnde mos primum inuectus in Græciam mox comburendi corpora) & cineres patri atq; ossa in vrna collocata reddidit: idem nos illum imitati hoc tempore facimus, in alio genere; eramus olim polliciti vobis nos

præ-

præſtituros Galeni libros peſtilentes, hoc eſt, illius in Thucydidis peſtem commentaria, de quo extant quorundam indebitæ querelæ, cumque adhuc deſiderentur eorum culpa, qui nobis, pro libris promiſſis, dederunt verba; ne eadem vobis diutius data doleatis, quo poſſumus pacto, promiſſa patramus, & pro Galenicis in Thucydidem Commentarijs, quæ non extant, & reperiri non potuerunt, damus vobis hunc FABII PAVLINI in eandem THVCYDIDIS peſtem prælectionum Marciarum librum, quas habuit in Veneto Gymnaſio ad D. MARCI Bibliothecam, vnde nomen adeptæ, in quo græcas literas profitetur, vt in altero latinas, & ſtudioſus quidam auditor, atque accuratus ſedulo excepit, nobisq; tradidit, vos interim quoq; Galenici libri deſiderium, huius Commentarij lectione lenite, ac valete.

INDEX QVAESTIONVM ET DVBITATIONVM,

Quæ vel attinguntur obiter, vel explicantur ex industria in his Libris.

Index Quæstionum, & dubitationum Primi Libri.

vt

Finis Quæstionum Libri Primi.

INDEX QVAESTIONVM, ET DVBITATIONVM,

SECVNDI LIBRI.

Finis Quæstionum Libri Secundi.

INDEX AVCTORVM
qui citantur in his libris.

Mar-

FINIS.

INDEX RERVM MEMORATV DIGNARVM, quæ in his libris continentur,

In quo, numerus, paginam, litera, p. principium, m. medium, f. finem paginæ significat.

A

B

Ca

D

E

Empirices

F

Febres

G

H

Hiſto-

ma-

N

riis

Q

T

V

Venti

Finis Indicis Rerum Memorabilium.

ERRATA

ERRATA, QVÆ IN RELEGENDO animaduertimus, sic corrigito, præter hæc si quod deprehenderis pro tua prudentia, vel emendabis, vel condonabis.

Pag.	Vers.	Errata	Lege
In Epistola ad studiosos	*vers. 6.*	*petijt*	*petijsse*
18	22	*commemotat*	*commemorat*
	33	ἀσηνήθη	ἀσυνήθη
26	7	*& contra*	*& alij contra*
59	24	*Panantbenia*	*Panathenaico*
88	13	*quamq;*	*quamquam*
87	36	παρθένας	παρθένυς
97	24	*de f. pestileti*	*de f. pestilenti*
104	37	*Eusepius Pamphilus*	*Eusebius Pamphili*
109	15	*est internum, alterum internum.*	*e. internum, alterum externum.*
110		*in margine cont. ex contagio*	*cont. ex contactu.*
131	35	ἐπιδεύματα	ἐπιτηδεύματα
137	3	ψαπες	ψαυτες
142	5	*Dem. phalerius*	*Dem. phaleraus*
143	21	*non consenit*	*non consentit*
151	34	τε υτὸ	τὲ τὸν
166	36	*gypsos scilicet*	*gypso scilicet*
184	39	*duo signa*	*duo significata*
189	19	*causa coniunctæ*	*causa coniuncta*
190	17	*putredidem*	*putredinem*
	19	*partibus iliis consent.*	*partibus illi consent.*
197	15	ὐδλόπῶς	ὐδεπῶς
210		*in marg. rescripta*	*descripta*
211	24	*peftilentiam*	*pestilentiam*
	30	τὺς	τοὺς
213		*vocant*	*vocat*
	37	παραπλησιῷ	παραπλησίῳ
214	3	*in hanc*	*in hac*
215	20	*his euiusculis*	*his leiusculis*
	22	*imbecilliati*	*imbecilltati*
286		*in magnificata*	*magnificam*
	4	*longitudod*	*longitudo*
219	39	*quoddammodo*	*quodammodo*
223	20	*ex Theophilo*	*ex Philotheo*
225	20	*dico inuenis*	*diu in venis*
240	23	*oris patribus*	*oris partibus*
241	24	*tetet & grauo*	*teter & grau.*
244	26	*scriptone*	*scriptorum*
247	33	*in calid. inquit*	*in calid. in quibus*
249	23	*Paroxysini*	*paroxysmi*
250	33	*Broucochele*	*Bronchocele*

mor.

255	39	mor. ventriculi	mor. oris ventriculi
256	1	qua ventriculum	qua os ventriculi
	16	situs ventriculus	situm os ventriculi
258	1	βήλλεσθαι	ἢ βάλλεσθαι
	14	s. lectionis	sectionis
269	26	citat vero locum	citat locum
277	3	stagultusq; frequens	singultusq. frequens
	33	febri sin singultuosa	febris singultuosa
279	7	γίνετι	γίνεται
281	3	singultum demum	singultus demum
284	9	in comcussione	ex concussione
286	12	Duo hic	Dua his
	24	in homnie	in homine
293	17	nix præsertim	nixi præsertim
294	in marg	corpus humidum	corpus liuidum
300	12	omnes vere	omnes vero
301	38	εν συνεχεσι	ἐν συνεχέσι
302	14	ἐξανθήμ[ata]	ἐξανθήματα
	25	rotunda	rotundas
308	19	hunc ocum	hunc locum
311	in margine	ex diaph. inflammata	ex diaph. inflammato
316	16	ἀμελεια	ἀμελεία
	23	ἐς ὁμοίῳ	ἐν ὁμοίῳ
317	in cont. 2.	ἐπέγειτο	ἐπέκειτο
320	1	Lucretius	Lucianus
		ἐμος	ἐμὸς
324		delectari: vero	delectari vero
333		corde vicin,	corde vicino,
338	8	θαυμασὸν	θαυμασὸν
339	16	fit fluxit	fit fluxio
334	11	ἀνύσατο	ἀνίσατο
342	36	sp. quatuor dierum	sp. quatuordecim dierum
360	15	excicati	excitati
384	31	ανθρωποφγίαν	ἀνθρωποφαγίαν
386	2	delaratis	& declaratis
389	37	remuneratioua	remuneratione
407	24	taphanus	raphanus
408	4	præter Theophilum	præter Theophrastum
	31	περιεσώθησα	περιεσώθησαν
414	27	attrhatur	attrahatur
419	36	in adipo	in Oedipo
421	26	μάθισις	μάθησις
422	14	à philosofo	à philosopho
423	36	abscissionem extr.	abscissio extr.
428	22	cibum versantes	cibum auersantes
438	in marg.	lanientia	lenientia
439	39	drag. iij.	vnc. iiij.
	16	lib. v.	lib. 5.
	13	lib. v.	lib. 5.
	14	lib. v	lib. 5.

porta

449	24	porta aut fen.	porta & fen.
452	1	πάν]ὸς	παντὸς
466	22	aliud habent	alium habeat
474	27	Boetia	Baotia
477	in marg. an pudet sit		an puder sit
487	2	ἐκ εἴσσον	ἐκ ἧσσον
500	in marg. pestis auctis		pestis aucta
501	30	ex pyrato	ex pyrão
502	9	pagos os vicos	agros, & vices
503	6	περιέχοντες	περιέχοντος
504	29	περιέχοντες	περιέχοντος
506	33	florentia denis	florentia donis
508	6	aer simplex	aer non simplex
509	in margine aet suff.		aer suff.
	25	gli bumoti	gli humori
	26	per tale incendij	per tali iucendij
	32	apud aliud q.	apud alium q.
518	16	tamquam mercitari	tamquam in exercitatis
527	19	in Parrochi	in Patrocli
538	9	quod liceret	quoad liceret
541	39	antiquissi è doctus (ve	antiq. è doctis genus (ve
562	7	anconomia	& œconomia
568	in marg. nota de fut. &c. tollenda, &		reponenda f. 564. p
570	35	in perman. veto	in perman. vero
572	2	ve, sibm solitis	versibus solita
573	28	vos laedamonij	vos lacedamonij
578	23	nar. Galenus	nar. Galenus accidisse
587	37	ἀνυδρὰν	ἀμυδρὰν
593	1	Azaxerses	Artaxerxes
594	in marg. loca p. frequentior		loca p frequentiora
599	30	oblato	ablate.

IN THVCYDIDIS HISTORIAM DE PESTE ATHENIENSIVM Marciarum Prælectionum FABII PAVLINI.

Præfatio Libri Primi.

In qua tria potißimum tractantur. Definitur Hiſtoria. Comparatur Thucydides Hiſtoricus cum Hippocrate Medico. Cauſæ peſtis omnes, vnde oriri ſoleat, exponuntur.

INTER omnes, qui aut Græcè, aut Latinè Hiſtoriam conſcripſerunt, aut aliquid aliud literarũ monumentis conſignarunt, nemo, omnium doctorum hominum conſenſu, elegantius, aut melius peſtilentiam deſcripſit, quàm Thucydides, qui illius mala, & ærumnas, addo etiam cauſas, quantum homini non medico, aliud agenti, & quaſi per tranſennam prætereunti, licuit, ita diligenter, & accuratè eſt perſecutus oratione, vt non modo omnes homines eruditos, ſed ipſos etiam medicos in magnam ſui ingenij, & eloquentiæ admirationem traduxerit, & potiſſimum Galenum Medicorum, cum ab Hippocrate diſceſſimus, facilè Principem, qui hanc illius Hiſtoriæ partem ſæpius citat, cum Hippocrate medicorum Principe comparat, & ſuis demum Commentarijs, quod de ſolo fecit Hippocrate, illuſtrauit, quæ non ex-

tant. Cùm verò nunc in ForoIuliensi Patria mea grassetur, & sæuiat pestis, & illius metu sint omnium animi consternati, operæpretium me facturum sum ratus, si hoc anno hanc vobis Thucydidiæ historiæ partem cum Epidemicis Hippocratis, qui eandem descripsit in tertio, conferendo explicarem, vt cognitis illius incommodis, & sæuis (vt Græci Medici loquuntur) symptomatis, cautiores deinde simus in ea vitanda, & auertenda, & exploratis causis, vnde soleat proficisci, ad illius seminaria auerruncanda, & propellenda doctiores. Et cùm in hoc titulo nostræ prælectionis THVCYDIDIS HISTORIA, DE PESTE ATHENIENSIVM tria contineãtur, genus scriptionis, quod est Historia, Scriptor, qui Thucydides, & Argumentum, quod est pestis, paucis vobiscum hodierna die, & familiariter agam de Historia, Thucydide, & pestis ortu. Historia variè à multis describitur, sed ego aliorum prętermissis definitionibus vnam afferam ex varijs verbi Historiæ notationibus, & etymo depromptam. Plato in Cratylo dicit appellatam Historiam, quòd ἵστησι τὸ ῥοῦν, idest, sistit labentium rerum fluxum. Suidas ab ἰδεῖν, quod est videre, deducit, vnde ἱστορίαν ponit, pro θέαν, idest, inspectionem, quòd sit rerum, quæ vidimus, explicatio, quare Gellius ita definiens pronunciat. Historia Grecè significat rerum cognitionem præsentium, & in hoc autumat differre historiam ab Annalibus, quòd, cùm vtrumque sit rerum gestarũ narratio, earum tamen præcipuè rerum sit historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret, alij ab εἴδω, idest, scio, quod sit quasi εἴδησις, idest, cognitio, & scientia, vel quasi ἵστωρ εἰδὼς, idest, testis sciens, hinc à Cicerone definitur testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis, quidam ab ἱστορέω deducunt, quod plura significat, quæ omnia historiæ conueniunt, visere, lustrare, seu peragrare, & cognoscere loca, quare ἱστορία apud Græcos pro visendi, & cognoscendi studio ponitur, memoriæ prodere, sciscitari, & sciscitando cognoscere, postremò sub oculos ponere, & quasi proponere spectandum aliquid; quæ omnia sunt munia historiæ, & historiam scribentis. Ex quibus vocabuli notis communem omnibus historijs elicio definitionem, quòd Historia sit rerum siue à Deo, siue à natura, siue ab hominibus gestarum, quas qui narrat, aut ipse vidit, & indagauit.

Quid sit historia.

dagauit

dagauit, aut diligenter ab alijs ſciſcitatus cognouit, ad reparandum memoriæ fluxum accurata, & breui oratione explicatum teſtimonium. Plura verò ego inuenio genera hiſtoriarum, quæ à perſonis, quæ illa tractant, nuncupabo, Theologicum, Philoſophicum, Philologicum, Grammaticum, Medicum, & horum ſingula in complura genera ſubdiuiſa. Theologicum duplex, aut enim de rebus diuinis agit, vt Moſes, & Euangeliſtæ, aut hominum facta ad Dei cultum ſpectantia preſequitur, vt qui in Eccleſia Martyrum, ac Sanctorum hiſtorias, & geſta, vt qui Annales Eccleſiæ exponunt, quod elegantiſſimè noſtra tempeſtate fecit Cæſar Baronius Cardinalis. Philoſophicum quoque bipartitum; aut enim ſimplicia vniuerſę naturæ opera literarū tradit monumentis, vt cum de principijs, de cælo, & elementis, de anima agit, quare Ariſtoteles in primo de anima, illius ſcientiam vocat hiſtoriam, & alibi diſputationem de philoſophia naturali vocat *τῶν μεγίςων ἱςορίαν*, ideſt, maximarum rerum hiſtoriã, & in ſecundo de cælo dicit *τὴν πλείςην περὶ φύσεως ἱςορίας* magnam partem hiſtorię naturalis, aut mixtorum, atque compoſitorum corporum naturas explicat, & indagat, vt idem Ariſtoteles aperto titulo inſcripſit libros de hiſtoria animalium. Philologicum rurſus in duo ſecatur; aut enim Philologus, & Scriptor rerum ſenſu carentium naturas exponit, vt Plinius, qui naturalem hiſtoriam ſuum illud opus appellauit, vt qui cæli, & mundi regiones, & locorum deſcriptiones complectuntur, Chorographias, Topographias, Chronologias, & alia huiuſmodi, aut hominum actiones narrat, haſq; vel publicas, vt Rerumpubl. geſta, Imperia, Regna, pugnas, & ſimilia, vt Thucydides, vel priuatas, vt qui vitas pręclarorum virorum memoriæ, & ſcriptis produnt, vt Plutarchus. Grammaticum verò genus, à nullo adhuc eorum, qui de hiſtoria verba fecerunt, quod legerim, animaduerſum, ipſum quoque in duo partitur, vt præclarè annotauit auctor Etymologici his verbis: *ἱςέον δὲ ὅτι ἱςορία διττή ἐςιν. ἐςὶ γὰρ ἡ χρῆσις, ἥτις ὡς ὕλη ὑπόκειται τῇ ὀρθογραφίᾳ, λέγεται δὲ ἱςορία, καὶ ἡ μαρτυρία τῶν ἀρχαίων, καὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, ἥτις καὶ ὄργανον ἐςὶ τῆς ὀρθογραφίας*, ideſt, ſciendum verò, quòd duplex eſt hiſtoria; eſt enim vſus, qui tanquam materia ſubijcitur orthographiæ, dicitur porrò & hiſtoria teſtimonium veterum, & illu-

Hiſtoriarum genera quinque.

ſtrium virorũ, quod quaſi organum eſt orthographiæ. Quattuor enim, eodem auctore, ſunt apud Grammaticos regulę, & canones orthographiæ, ἀναλογία, quæ eſt Grãmaticarum regularum traditio, διάλεκτος, quod eſt γλώσσης ἰδίωμα, linguæ idioma, & proprietas, ἐτυμολογία, quod eſt notatio verbi, & poſtremò hiſtoria, qua vtuntur, cùm nequeunt rationem inuenire per alia inſtrumenta, & eſt vel παράδοσις, & vſus, vel teſtimonium ueterum, ut diximus. Medicum poſtremò genus hiſtorię in quinque diuiſum partes, ſiue ſpecies inuenio, quæ nullus, ut puto, ante nos enucleatè declarauit, aut animaduertit. Primum eſt Anatomicũ, quod inciſorum corporum inſpectione naturæ myſteria explicat, ut fecit Rufus, Galenus, Meletius, Theophilus, Auicenna, & ex recentioribus propemodum infiniti, Mundinus, Carpus, Nicolaus Maſſa, Veſalius, Platerus, Columbus, Valuerdus, Andręas Laurentius, Archangelus Picolhomineus, & alij complures: qui omnes hiſtoriã perſequi humani corporis profitentur. Phyſiologicum alterum, quod tum in ſimplicium rerum, & medicamentorum, tum etiam compoſitorum uiribus, & naturis enucleandis eſt occupatum, quo in genere ſunt Galeni ſcripta de ſimplicium medicamentorum, & de compoſitorũ facultatibus, per genera, per loca, Dioſcoridis ſcripta, & aliorum innumerabilium. Tertium eſt Pathologicũ, quod in morborum explicandis ideis, ſignis, & curationibus uerſatur, & uel generatim id præſtat, ut Arabes fecerunt, & Galenus de locis affectis, uel ſingulorum, quæ in aliquo alicuius morbo euenerunt commemorationem continet, ut fecit Hippocrates in Epidemicis ęgrotorum hiſtorijs, uulgo Medici caſus appellant. Quartum eſt Hermineuticum, ideſt, ad interpretandum accommodatum, quod continet ea, quæ Medici ueteres, uel alij in arte præſtiterunt. Huius meminit Galenus in Epidemicis, ubi explicans illas literarum notas, quæ ſingulis fuerant hiſtorijs ægrotorum à Memnone quodam Sedita ueteri Medico affixa, uidetur innuere, hanc antiquitatis medicæ, & uetuſtatis memoriam Interpreti Medicorum neceſſariam. Poſtremum genus eſt Empiricum, quo ſcilicet Empirici utebantur, de quo Galenus ſæpius meminit in libro de ſectis, de optima ſecta ad Thraſybulum, & de ſubfiguratione Empirica.

Hiſtoriæ medicæ partes plures.

rica. Erant uerò tria genera Empirices medicinæ, περίπτωσις, seu περιπτωτικόν, αὐτοσχέδιον, & μιμητικόν. Primum erat, cum aliquid inueniebatur experientia, in quod fortè fortuna præter uoluntatem ἀβουλήτως incidissent. Secundũ cùm ad alicuius rei experientiam dedita opera ἑκόντες se conferrent per somnia admoniti, uel aliunde ducto arbitrio. Tertium cùm lædentium, uel iuuantium periculum faciebant aliorum imitatione, qui uel natura, uel fortuna, uel aliquo alio consilio ea essent experti; tribus porrò utebantur theorematis, & instrumentis, τηρήσει, idest obseruatione, ἱστορίᾳ, idest historia, & μεταβάσει τῇ τοῦ ὁμοίου, idest transitu ad simile. Obseruationem uocabant, quicquid uel discenda, uel facienda medicina obseruassent, quorum unumquodque uocabant θεώρημα, idest præceptum, horum complurium collectionem ἄθροισμα, idest congestũ, quod idem rursum à propria inspectione uocitabant αὐτοψίαν, horum uerò omniũ ἐπαγγελίαν, idest pronunciationem, & explicationem dicebant historiam, in qua re diligenter obseruabant ea omnia, quæ acciderent symptomata, & horum omnium animaduersionem uocabant συνδρομήν, idest concursum. Si uerò in morbos incidissent nondum sibi uisos, aut ibi essent, ubi facultas remediorum non suppeteret, ad tertium ueniebant, τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, idest ad simile transitum, quod fiebat uel ab affectu ad affectum, ut ab Herysipelate ad Herpetem, uel à loco ad locum, ut à brachio ad crus, vel ab auxilio ad auxilium, & præsidium, vt à Cotoneo ad mespilum.

Empirices medicinæ tria genera.

De Thucydide porrò, qui historiã hanc conscripsit, quid dicemus, cùm pleni sint omnium Scriptorum libri de illius laudibus, ac prestantia? legant, qui cupiunt hæc scire, Marcellinum, Suidam, Dionysium Halycarnasseum, Dionysiũ Longinum, Aphthonium, Hermogenem, Ciceronem, & alios, ipsum etiam Galenum multis in locis; superuacaneũ enim puto illorũ testimonijs, & dictis afferendis facere longius. Vnum ego ex tanta sylua ad rem nostram maximè pertinens excipiam, & tractabo, ut quoniam in prælectionibus nostris, hoc sumus suscepturi onus, & laborem, quantum in nobis erit, vt quæ in historia scripsit historico more Thucydides, cum his conferamus, quæ Medicus Hippocrates de eadem peste medica methodo literis mandauit in Epidemicis, hic-

Thucididis cõparatio cum Hippocrate.

hic quoque ostendamus, quamplurimis in rebus similem, & affinem fuisse Thucydidem Hippocrati. Hippocrates igitur, & paterno, & materno genere fuit nobilissimus, tum Deorum, tum Regum affinitate illustris, ab Aesculapio vigesimus paternum genus trahens, ab Hercule maternum vigesimus & nonus, vt Soranus in eius uita testatur, à Chrysamide Rege nonus, teste Peto in epistola ad Artaxerxem, quare pileata eius pingitur effigies ob signum nobilitatis, ut etiam in Vlysse factum autumat Soranus. Thucydides (ut Suidas, & Marcellinus tradunt) à Miltiade Imperatore, qui etiam in Aeacum Iouis filium genus suum referebat, teste Marcellino, sororis, uel, ut alij uolunt, filiæ filius (quod probatur testimonio sepulchri, in quo nemo alienus à familia ξένος condebatur) maternum genus duxit, paternum ab Oloro, siue (ut legendum putat Didymus) Orolo Rege Thracum, vt etiam Plutarchus in Cimone, ex patre Regi cognomine Orolo, & altius etiam teste Hermippo à Pisistratidis Regibus. Hippocrates floruit Peloponnesiaci belli temporibus ita scribente Sorano. κατὰ τοὺς πελοποννησιακοὺς ἤκμαζε χρόνους, Thucydides eodem quoque tempore, eodem verbo testante Suida ἤκμαζε κατὰ τὴν πζ ὀλυμπιάδα, idest, floruit octuogesima septima Olympiade, quo tempore trigesimum ac quintum annum agebat Hippocrates, in ipso flore firmatę constitutus ętatis, natus scilicet Olympiadis octuagesimę anno primo. Diuino ingenio præditus fuit Hippocrates, ita de illo scribente Pæto, θείᾳ φύσει κέχρηται, idest diuino vsus est ingenio, de Thucydide extat simile Herodoti testimonium, qui cùm puerum Thucydidem, recitante illo suam historiam, animaduertisset collachrymare motum quodam diuino æmulationis instinctu Enthusiasmo, inquit Suidas, cōuersus ad eius patrē dixit: ὁ σὸς υἱός ὀργῶσαν ἔχει τὴν ψυχὴν πρὸς τὰ μαθήματα, idest tuus filius suapte natura incensam habet animam ad disciplinas. Hippocrates patria exulauit, & apud Thessalos vitam duxit siue sponte, siue (vt quidam Andræas antiquus auctor in libro de origine Medicinæ ἰατρικῆς γενεαλογίας) suspectus, ꝙ incendisset in Gnido γραμματοφυλακεῖον, idest scriptorū publicorum penu. Thucydides eandē subijt fortunam, & in Thracia loco dicto Scapte Hyle, siue Scaptesula expoliuit Historiā ab Atheniensibus in exilium missus

sus

ſus ob Cleonis calumnias proditionis illum inſimulantis, ꝙ Amphipolim Dux exercitus ſerius perueniſſet, occupata iã vrbe à Braſida Lacedæmonio, qui anteuerterat. Hippocrates fuit ἀφιλάργυρος, ideſt contemptor pecuniarum, & φιλέλλην, ideſt amator Græcorum, inquit Soranus; quare non pecunijs, ſed humanitate medebatur, διὰ φιλανθρωπίαν, inquit Galenus Comment. de decretis; & ideo etiam ſpreuit Artaxerxis dona, & dignitates Perſicas oblatas, nec voluit peſtem illius exercitui depellere, cùm diceret (vt eius extat epiſtola) non licere ſibi Barbaros Græcis inimicos ſeruare, quod factum ita placuit Athenienſi populo, vt mox publico plebiſcito, cuius exemplum adhuc σώζεται, ſeruatur, & eum initiarit ſacris Eleuſinijs publicè, qui honos vni prius Herculi fuerat tributus, & corona aurea donarit mille aureorum Quinquatrijs ſolemni pompa proclamata, & Ciuitatem illi, ac victum in Prytaneo ſit elargitus. Thucydides eâdem liberalitatis, & amoris in Patriam laude excelluit, qui cùm maximis opibus abundaret, vxore ducta locupletiſſima in Thracia Scapteſulę, vbi exulabat, maximas pecunias elargitus eſt Athenienſium, Lacedæmoniorumq; Ducibus, & alijs, vt ſibi ſignificarent, quæ facta eſſent, & dicta in illo bello, quod ſcribebat, neque vllo vnquam verbo ſignificauit ſe à Patria læſum tantopere, minus illi bene cupere, aut illi tantam iniuriam, ne nutu quidem, niſi ſola beneuolentia exprobrauit. Hippocrates Philoſophiæ, & Rhetoricæ operã inſignem nauauit Doctoribus vſus Democrito Philoſopho, & Gorgia Rhetore inſigni, teſte Sorano, eaſdẽ coluit Thucydides, deditq; operam Anaxagoræ Philoſopho, & Antiphonti Rhetori celeberrimo, vt teſtatur Hermogenes ſecundo de Ideis, quinimo ipſum Gorgiam in dicendo æmulatus eſt, vt teſtatur Marcellinus, & Dionyſius Halycarnaſſæus. Hippocrates Medicorum, & Medicinæ Princeps habitus eſt, de quo ita Pætus ad Artaxerxem: ὑγείας πατὴρ, σωτὴρ, ἀκεσώδυνος, καὶ ἁπλῶς ἡγεμὼν τῆς θεοπρεποῦς ἐπιστήμης, ideſt ſanitatis pater, ſeruator, dolorũ abactor, & omnino princeps diuinæ ſcientiæ. Thucydides eadem laude ita floruit in hiſtoria, vt per Excellentiam, κατ' ἐξοχὴν συγγραφεὺς, ideſt Scriptor, & Hiſtoricus diceretur, teſte Cælio, & Aphthonius dixerit, nihil eſſe in rebus oratione præſtantius, & in oratione

nihil

nihil Thucydide sapientius posse reperiri. οὔτε γὰρ λόγων ἐν τοῖς οὖσι κρεῖττον ὑπάρχει λαβεῖν, οὔτε θουκυδίδου περὶ τοὺς λόγους σοφώτερον ἐστὶν εὑρεῖν, quare veteres tum Oratores, tum Historici eius scripta sibi proposuerant, quasi normã, & regulam scribendæ historiæ, & orationis, quasi statuam Polycleti, vt Demosthenes octies sua manu descripserit, vt refert Plutarchus, quod alios etiam complures fecisse narrat Halycarnassæus, quem Plutarchus in Nicia dicit ἀμιμήτως ἐνηνοχέναι, idest nullam in scribendo imitandi spem cæteris reliquam fecisse. Multa in medicina primus inuenit Hippocrates, teste Galeno in Aphorismis; quare ab eodem Galeno alibi vocatur ἡγεμὼν τῶν καλῶν ἁπάντων τῆς τέχνης, idest omnium bonorum in arte Dux, & auctor, quę nimis longum esset, & à proposito alienum singillatim hic recensere, & ex Galeni scriptis colligere. Thucydides in historia eandem refert prę rogatiuam, qui, teste Marcellino, multa inuenit, & animatam reddidit primus historiam, personarum scilicet fictionibus inuentis, & concionibus adhibitis, quod frustra ante ten tauerat Herodotus, & alij, qui ἀψύχους, idest anima carentes scribebant historias. Hippocrates appellatus est ἀληθὴς ἀνήρ, idest vir verax: & Galenus ita illum nominat primo περὶ κρισίμων ἡμερῶν, eadem fuit Thucydidis præcipua laus, quem maximè veracem omnis antiquitas iudicauit, qui vt veritatem eliceret, multas pecunias quamplurimis erogauit, vt inquit Marcellinus ἐκ τῆς τῶν πολλῶν συμφωνίας θηρώμενος τὴν τῆς ἀληθείας κατάληψιν, idest ex multorum simili oratione indagans veritatis aucupium, & cognitionem; quare à Dionysio Halycarnassęo cæteris pręponitur Historicis, his duabus rebus, quòd argumentũ aptum delegerit, & quòd fabulosum nihil induxerit, de quo etiam ipse in procemio suæ historiæ videtur gloriari sub finem: quare dicit Aphthonius quantũ fabulis præstat veritas, tantum Herodoto anteponendum esse Thucydidem, qui illam consectatur, & Cicero eum appellauit rerum gestarũ pronunciatorem sincerum. Commendatur à Galeno Hippocrates tanquam Medicorum omniũ diligentissimus, πάντων ἰατρῶν ἀκριβέστατος, Diligentissimus quoque Thucydides fuit, & maximè accuratus, quem Suidas potissimum dicit præstitisse κάλλει λόγων, καὶ ἀκριβείᾳ πραγμάτων, idest orationis pulchritudine, & rerũ diligentia: qua-

re

re viginti ſeptem totos annos poſuit in poliendis octo hiſtoriarum libris, teſte Halycarnaſſæo, neque totam abſoluit hiſtoriam belli Peloponneſiaci: cùm enim viginti ſeptem annos perduraſſet, obijt in ſcribenda hiſtoria anni vigeſimi ſeptimi, ſumpto exordio ab initio, annos nondũ quinquaginta natus: reliqua, ſex annis deinde, geſta ſupplent Theopompus, & Xenophon in libris de hiſtoria Græcorum. Hippocrates quamuis tantus fuerit in arte medica, & omnium bonorum conſenſu Princeps, non defuerunt tamen, qui illi parem, atque adeo ſuperiorem Eraſiſtratum iudicarent, teſte Galeno. Sic Thucydidem omniũ conſenſu Principem Hiſtoricum, cui etiam antiquitas conſecrauit hiſtoriã, quaſi illius Principi, ac Deo: cum Herodoto (ſi Dijs placet) comparat Halycarnaſſæus. Hippocrates, quamuis omnibus numeris abſolutus, atque perfectus Medicus, ſuos tamen habuit obtrectatores: alij enim Logicam, alij Anatomen ignoraſſe, alij pulſuum rationem contendunt, ac alij alia. Thucydidem quoque pari, in ſuo genere, perfectione conſpicuũ ſunt qui arguant: alius enim in eo deſiderat digeſtum per olympiadas ordinem hiſtoriæ; alius damnat varietatem in explicandis rebus geſtis adhibitam; alius breuitatem, & obſcuritatem obijcit; alijs conciones illæ tam crebræ non placent; alij proœmium eius exagitant, & inſectantur; & alij alia, quæ diligentiſſimè collegit Antonius Poſſeuinus in ſua methodo humanæ hiſtoriæ. Multi Hippocratis libri *νοθεύονται*, ideſt ſpurij, & nothi ſunt, vt nemo neſcit Medicus. Inter Thucydidios, octauus eiuſdem notæ eſt, qui vel eius filiæ, vel Xenophonti, vel Theopompo tribuitur. Varias diuiſiones Hippocratis libri experti ſunt, vt liber Aphoriſmorum, & alij; varias etiam Thucydidis libri hiſtoriarum, quas dicit Marcellinus quoſdam fuiſſe partitos in lib. xiij. alios aliter, Diodorus Siculus in viiij. dicit fuiſſe diuiſos, de qua re Henricus Stephanus in ſuis Scholijs multa. Breuitas, & obſcuritas in Hippocrate præcipua eſt, vt res ipſa indicat, & ſæpe teſtatur Galenus, & quòd paucis verbis multa doceat: quare pileatum pingi quidam arbitrantur, vt Soranus notat: ad ſignificandam *τὴν ἐν τοῖς συγγράμμασιν ἀσάφειαν*, ideſt illius in ſcriptis obſcuritatem, quamuis alibi commendet in eo breuitatem claritati coniunctam. Eadem Thucydides lau-

de cōmendatur, quam ex industria consectatum dicit Marcellinus ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατός, ne omnibus esset ad manum, quare Quintilianus vocat eum densum, & breuē, & sibi semper instantem, Cicero verbis aptum, & pressum: cuius etiā verba totidem dicuntur esse sententiæ. Hippocrates vsus dicendi genere sublimi, quantum artis natura patitur, idem delectatur elocutione ferè poetica, obsoletis verbis, & linguis, & interdum etiam solœcismo, vt passim obseruat Galenus in illius Commentarijs. Hæc omnia sunt in Thucydide frequentia, vt notat Marcellinus: nam primum dicendi genus adhibet μεγαλοπρεπές, vt Demetrius notauit Phaleræus, qui potissimum in hac parte historiæ id factum notat, & ex hac sumit exempla, Idem demonstrat Dionysius Longinus in libello περὶ ὕψους, Idem significauit Dionysius Halycarnassæus, qui etiam eum adhibuisse asserit dictionem τροπικὴν, γλωττηματικὴν, ἀπαρχαιομένην, & σολοικισμῶν λαμβάνουσαν φαντασίαν, id est modificatam, peregrinam, antiquatam, & solœcismi imaginem referentem: præterea dicit Homeri œconomiam imitatum, & τὸ μεγαλοφυὲς, καὶ ὑψηλὸν τοῦ Πινδάρου χαρακτῆρος, id est Pindarici characteris amplitudinē, & magnificentiā. Hippocrates Attica prisca delectatus, ita vt priscus Atticus diceretur, teste Galeno in Cōmentario in primū de Fracturis, nam teste Strabone Attica prisca dicebatur Ionica: Eadē frequenter vsus Thucydides ἀρχαία ἀτθίδι τῇ παλαιᾷ, inquit Marcellinus. antiquus eius Scholiastes vocat eum τῆς παλαιᾶς ἀτθίδος ἐπιστήμονα. Hippocrates sui temporis pestes descripsit, quibus interfuit, & quas depulit suo præsidio, & ægrotorum, quos inuisit, historias exponit in Epidemicis, & hāc ipsam Atheniensem in tertio. Atheniensem pestem delineauit, & quasi sub oculos oratione proposuit Thucydides, passus & ipse morbū, & alios patientes intuitus. Hippocratis libri Epidemici à Galeno Commentarijs clarissimis sunt illustrati, Thucydidis historiam de Peste idem Galenus explicauit, vt ipse testatur 2. de diffic. respir. vbi etiam Thucydidi comparat Hippocratem, sed ita vt dissimiles in simili argumento, & in ægrorum recitandis historijs dicat: hic enim populis idiotis, ille medicis scribebat eruditis.

Sed iam de hoc satis, ad argumentum paucis explicandū

aggre-

aggrediamur, in quo primo quærendum, quid sit pestis, deinde, quibus ex caussis oriatur, vt rectè secundum Platonis, Ciceronisq; præceptum instituatur disputatio, quæ debet à definitione proficisci. Est igitur pestis, quæ Græcè λοιμός dicitur, ex Galeni, Hippocratisq; doctrina in Epidemicis, νόσος ἐπιδήμιος, ἡ πολλούς ἀναιρεῖ, ideſt morbus popularis, qui multos interficit: quæ definitio pluribus, & planius à nobis explicabitur suo loco, cùm de illa sermo inciderit, & aliæ etiā afferentur ex recentioribus. Huius caussas ego tres inuenio, diuinam, elementariam, & materialem: diuina est illa, quā in prognosticis, & alibi vocat Hippocrates τὸ θεῖον, ideſt diuinum, & diligenter Medicis considerandum iubet, vtrum quid tale insit in morbis: est enim quasi diuinæ iræ flagellū pestis, quo sæpè in sacris literis se vsurū interminatur Deus populis peccantibus, nisi à prauo instituto pedē retulerint, & Galenus dicit in Epidemicis referri ad Deos, & de eius illos curatione consuli. Diodorus Siculus vocat δαιμόνιον συμφορὰν, Dei, vel à Deo immissam calamitatem, Dionysius Halycarnassæus θεήλατον συμφορὰν, ideſt à Deo inuectā calamitatem, & Agathias θεηλάτους ποινὰς, ideſt à Deo iniunctas pœnas: quod Homerus fabularum integumento significauit in primo Iliadis, dum ab Apolline irato Græcis immissam tradit: & vt relictis fabulis ad veras historias conuertamus orationem, & animū. Huiusmodi fuit illa pestis, quam Dauid Rex, ex tribus sibi, ob peccatum prætermissi Mosis instituti, in agendo censu, propositis flagellis, optauit, ne ipse extra aleam periculi foret, qua paucissimis vnius diei horis septuaginta hominum millia consumpta sunt: talis fuit quoque illa, quæ Valeriani temporibus grassata est pestilentia à diuina manu iniecta vniuerso terrarum orbi, ob afflictos, maleq; mulctatos vbique Christianos homines: talis quoque illa fuit, quam 2. de bello Persico Procopius commemorat, cui nullum remediū inuentum dicit, præterquā ex Deo, vnde profecta fuerat: talis fuit (si Gentilium fas est admiscere nostris exempla) ea, quam describit Aeschines Rhetor in prima epistola ad Philocratem, Deliorū scilicet, quam dicit eos existimasse sibi immissam ἐπὶ μῆνιν ἀπόλλωνος ob iram Apollonis, qui indignatus esset ταφόντος ἐν τῇ νήσῳ τινὸς τῶν ἐπιφανῶν ὃν πρότερον εἰωθός, (ideſt quòd esset sepul-

Pestis definitio.

Pestis caussæ tres.

Diuina caussa pestis.

tus in Insula vir quidam illustris, præter veterum consuetudinem, & ea, quam T. Liuius Dec. 1. lib. 5. narrat, cuius insanabili pernitie quando nec causa, nec finis inueniebatur, libros Sybillinos dicit ex S. C. aditos, Duumuiros sacris faciundis, lectisternio tunc primũ in Vrbe facto, per dies octo Deos placasse, necnõ ea, quam in 6. libro eiusdem Dec. persequitur, & quam, nullis occurrentibus tantæ cladis causis, ex Manliano supplicio magnæ parti ortam fuisse visum scribit, nec Dijs cordi fuisse pœnam eius oblatam propè oculis suis, à quo sua templa erepta è manibus hostium essent, & alibi etiã sæpius narrat aditos libros Sybillinos, & vota nuncupata pestis causa. Ad hoc genus referri possunt illæ pestes, quæ, Deo permittente, à malis spiritibus, & dæmonibus inferuntur, cuiusmodi fuisse illam superius commemoratam ex Procopio nonnulli putant, quod fieri posse testantur etiã Iurisconsulti, vt Franciscus de sancto Nazario in Tractatu de Peste, vbi inter causas pestis enumerat, Dæmonum potestatem, his verbis: Accipiunt Dæmones propter nostra demerita potestatem à Deo, & morbos immittere, & ipsum aerem vitiando morbidum reddere. Et Georgius Agricola lib. 2. de peste dicit, Dæmonas (ex Græcorum quorundã Philosophorum sententia) hominum speciem gerentes, qui peste ciues inficiebant, per populum lapidatione sublatos, & sic auersam, ac depulsam pestem, vt Pythagoras à Thurio, ac Metaponto, & Apollonius Thyaneus ab Epheso, quod tamen ipse fictum putat, & commentitiũ. Sub idem cadunt etiam illæ, quæ magicis incantationibus inducuntur, qualem fuisse illam Chrysæ sacerdotis opera, ac magicis artibus immissam nonnulli existimarunt, Eustathio teste, qui ait, ὅθεν, καὶ τὰ κατὰ λοιμὸν ἐκ μαγικωτέρας μεθόδου οἴονταί τινες ὑπὸ τοῦ χρύσου τεχνασθῆναι, idest quare etiam pestilentiam sunt qui putent ex magica arte à Chryse machinatam, de quo, loco supradicto, idem etiam agit Iurisconsultus. Quod verò per maleficia, ac dæmonum operam possint morbi fieri, nõ solum Theologi, ac Philosophi concedunt, & testantur: sed ipsi etiam Medici, & ex recentioribus complures, vt Cardanus lib. 1. de venenis, cap. 17. lib. 2. cap. 7. vbi signa proponit, & lib. 3. cap. 15. vbi curationẽ docet. Baptista Codronchius, qui ex industria librum scripsit de morbis maleficis, & postremò

ſtremò Hercules Saxonia, qui Patauij praxim medicã ſumma cum laude nunc profitetur in poſtremo libro, quem edidit de plica, & ipſe ego nuper ab ipſo mihi auctore (quæ eius eſt humanitas, ac liberalitas) donatum perlegi, cap. 11. vbi diſputat, an fuerit cauſa plicæ maleficium.

Elemẽtaria cauſa peſtis.

Secundum genus cauſarũ dicitur Elementarium, & quot ſunt elementa, totidẽ eſſe cauſas peſtis exiſtimo: ſi enim ex Hippocrate, Galeniq; doctrina, iiſdem nutrimur, ex quibus conſtamus, profectò etiã corrumpimur ex eiſdẽ, quibus alimur, nempe quattuor elemẽtis, quod ante nos demõſtrauit etiam Plutarchus, qui ſymp. 8. cap. 9. ita pronunciat ἐκ τούτων νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν, ideſt ex his ægrotamus, quibus etiã viuimus, & licet ignis ſit peſtis communis Medicina, neque, teſte Ariſtotele, putredini ſit obnoxius; quare qui ſicciori ſunt temperamento, igneæ naturæ ſpeciem referentes, minus peſte corripiuntur; alia tamen ratione nobis cauſa peſtis dici poteſt: per eum enim intelligimus elementa ſtellarum, & igneos illos vapores, qui cælo vagantur incenſi, quæ tum ſigna, tum cauſæ peſtilentiæ dici poſſunt, & prauis influxibus affecto aere humana corpora conficiunt, idq; tribus modis, vt refert Cardanus lib. 2. de venenis ex Ptolomæi Quadripartito, vel per luminarium defectus, cum maleficæ præfuerint, vel per colorem malum, qui modus eſt cõmunis cometis, ſtellisq; fortuitis, cùm magnæ fuerint, diuq; perdurauerint; fuſcus enim, & niger color, ac plumbeus, in his portendit peſtem, vel coniunctione inimicorum, vt Saturni, & Iouis, in ſignis aereis, qualis fuit peſtis illa, quæ occidit tertiam partẽ humani generis 1346. quo anno eorum fuit coniunctio in Aquario, vt refert Matthæus Villanus hiſtoriæ initio, vt Saturni, & Martis preſente Sole, aut Luna, in eiſdem ſignis, maximè Libra, & Aquario, vel etiam Scorpio: quare in Syria, cùm vis ibi Saturni maximè dominetur, ſeptimo quoque anno peracto periodo reuertitur. Licèt hæc nugas putent illi, qui Aſtronomis aduerſantur, quorũ in numero ſunt omnes ferè Platonici, Plotinusq; preſertim, in libro, vbi quærit, an aſtra aliquid agant: Aueroes etiam, & ex recentioribus Picus, & qui illum ſequuntur, nec deſunt quoque Medici, vt Valeriola in ſua appendice ad locos communes, & qui illius veſtigia inſectantur plures, contra quos omnes diſputat validis

Ignis quomodo cauſa peſtis.

validis argumentis in primo libro medicarum quæstionum nuper edito, Gerardus Columba Messanensis, & nos cum Galeno, Auicenna, & tota meliori medicorum Schola fieri posse arbitramur; ea tamen ratione, vt remotiorem hanc esse causam fateamur: & in hanc quoque causam referri potest Atheniensis pestis, cùm præcesserit Solis defectus, & Eclipsis in superiori æstate, τοῦ δ᾽ αὐτοῦ θέρους νουμηνίᾳ, ὥσπερ καὶ μόνον δοκεῖ εἶναι γίγνεσθαι δυνατόν, ὁ ἥλιος ἐξέλιπε μετὰ μεσημβρίαν, καὶ πάλιν ἀνεπληρώθη γενόμενος μηνοειδὴς, καὶ τῶν ἀστέρων τινῶν ἐκφανέντων, idest eadem æstate in Interlunio (quo solū tempore creditur posse euenire) Sol defecit post meridiem, & rursus repletus est, falcatus effectus, vt Luna, & Stellis quibusdam simul apparentibus. Secunda causa elementaria est aer, qui maximè omnium, & verè excitat pestem, & est verè communis, & proxima causa ex Galeno, qui duas tantū statuit proximas pestis causas, aerem scilicet inquinatum, & vitiosos humores in corporibus aceruatos. Ex hac aeris intemperie, & inquinamento ortam videtur voluisse pestem Græcorum Homerus, vt annotat Eustathius, quam decimo die cognouit Achilles, qui medicinam à Chirone Centauro didicerat: fingit enim hanc illi mentem iniectam, vt Græcos conuocaret ad concionem consultandi causa de peste à Iunone, quæ est aer, immissa.

Aer causa pestis.

Τῷ γὰρ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη, idest,
Hanc illi mentem iniecit Saturnia Iuno.

quod ita paucis Græcus Scholiastes ostendit. Ἀχιλλεὺς γὰρ Χείρωνος ὢν μαθητὴς, καὶ τὴν ἰατρικὴν τέχνην σαφῶς ἐπιστάμενος ἐκ τῆς τοῦ ἀέρος καταστάσεως ἐπέγνω γινόμενον κακόν, idest Achilles Chironis discipulus, & medicam artem planè sciens, ex aeris statu cognouit profectum malum. Hic verò inficitur, & pesti gignendæ fit aptissimus ex anni constitutione, & temperamento τῇ καταστάσει calida, & humida primum, quam uenti non perflarint, qualis fuit hęc ipsa Atheniensiū pestis ab Hippocrate descripta sect. 3. tertij Epid. ubi ait, ἔτος νότιον, ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος, idest annus austrinus pluuius, à uentis in totum silens, ubi dicit Galenus alia exemplaria ex Dioscoride habere in titulo nō simpliciter, status, sed status calidus, & humidus, κατάστασις θερμὴ, καὶ ὑγρά, licet Cardanus uelit esse hæc omnia uerba quasi titulum constitutionis illius

lius anni, quæ per ſequentia uerba ab Hippocrate explicetur. Huic ſimilem illam fuiſſe dicit in Cranone deſcriptam 2. Epid. ſect. 1. & hic ſtatus ab omnibus ſemper iudicatus eſt peſtilens Secundum locum tenet temperamentum calidũ nimis; & huiuſmodi fuiſſe dicit Galenus peſtẽ hanc à Thucydide deſcriptam lib. 1. de diff. febrium, ubi oſtendit ex præcedenti æſtate nimis calida, in corporibus ad putredinem paratis, ortã eſſe Athenienſem peſtẽ: neque tamen pugnantia loquitur cum Hippocrate, quia hìc de ſola æſtate loquitur, Hippocrates de toto anno agit. Tertium locũ ſibi uendicãt aliæ etiam conſtitutiones ſimplices, ut ſicca tantum, quæ peſtilens ex eo redditur, quòd uires corporum diſſoluat, ac labefactet τὸ ἔμφυτον θερμὸν, ideſt calorem ingenitum, cuiuſmodi fuit illa peſtis, quę inceſſit Romæ anno ab Vrbe condita 363. cuius meminit Liuius lib. 5. & ortam fuiſſe dicit ex ſiccitate, nimijsque caloribus, & quæ deſcribitur à Sabellico Enn. 3. libro 5. ex ſiccitate orta, cuiuſmodi illa quoque fuit Thebana peſtis, quam deſcribit Seneca in Oedipo, ubi ita differit:

——————fecimus cælum nocens,
Non aura gelido lenis afflatu fouet
Anhela flammis corda, non Zephiri leues
Spirant, ſed ignes auget æſtiferi Canis
Titan, Leonis terga Nemæi premens:
Deſeruit amnes humor, atque herbas color,
Aretque Dirce, tenuis Iſmenos fluit,
Et tingit ipſa nuda vix vnda vada. & quæ ſequuntur.

Et mox Laij umbra cauſam ueram aperiens ait:

——————Patria non ira Deûm
Sed ſcelere raperis, non graui flatu tibi
Luctificus auſter, nec parum pluuio æthere
Satiata tellus halitu ſicco nocet.

Talis quoque fuit illa in Tertio Aeneadis apud Vergilium, de qua ait:

Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora, tum ſteriles exurere Sirius agros,
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.

Licèt hanc κατὰ συμβεβηκὸς cauſam peſtis docti putent, quia ſcilicet ſuapte natura ſiccitas putredini aduerſatur. Humi-

da

da quoque tantum in eodem est ordine constitutio, quæ inducere pestilentiam potest, repleto putridis vaporibus aere, cuiusmodi fuit illa pestis ingens, & acerbissima ex pluuiarum continuo fluxu, & fluminum inundatione orta, qua confectus Pelagius Pontifex Romę obijt, de qua Blondus, & alij, plura. In eodem quoque est frigida tantum, ex qua orta olim pestis illa, subsecuta Padum conglaciatum 1234. Sed non hæ solũ, uerùm etiam cùm fiunt uariæ & repentinę mutationes, quæ aeris naturã, & substantiã corrumpunt, quas humana sustinere nequit natura, ut cum noctu frigus, die calor sæuit, & similia: talis fuit illa ab Hippocrate descripta constitutio 6. Epid. tex. 1. Borealis scilicet, australis, & nimbosa: talis fuit illa apud Liuium Dec. 1. libro 5. quam dicit ortam ex intemperie cæli, raptim mutatione in contrarium facta. Postremò uentorum causa corrumpitur, qui pestis seminaria ex alijs longè adferunt regionibus, ut hanc Atheniensium ex Aethiopia Athenas delatam suspicatur Galenus, cum dicat, τάχα δὲ, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐξ αἰθιοπίας ἐῤῥύη τινὰ σηπεδονώδη μιάσματα, τοῖς ἐπιτηδείως ἔχουσι, σώματα βλαβῆναι πρὸς αὐτῶν, αἴτια πυρετοῦ γενησόμενα, ideſt, forte autem per continuum ex Aethiopia quædam putredinis fluxere contagia, his, quorum corpora ad patiendum parata, febrium causa futura, sic Venetias anno CIↃCCCCLVI. à regione Illyricorum delatam pestem dicit à ventis Herculanus, dum scriberet Commentaria in quartum Auicennæ librum. Aqua etiam causa pestis esse potest, quare flumina, cum inundant, solent excitare pestilentiam, quod de Tybri factum legitur frequentissimè: intus enim in eis sępe latent seminaria putredinis, quæ adesse in aquis plurima testantur, animalia, quæ in illis commoriuntur, vt pisces: Cygni, cùm eas deserunt, qui naturæ ductu aquarum arcana cognoscunt, plantarum vtilium in æstate interitus, cùm annus non sit siccus, in ipsis aquis odor malus, & sapor, color etiã varius, viridis, fuscus, flauus, quasi puluis sparsus, & pinguedo in superficie, si adhæret humidũ in palato, dum bibitur, si quadrupedes non attingant, nisi sitis ingentis necessitate compulsæ. Potest etiã à terræ subiectæ vaporibus vitiari, & ab aquis pestilentibus, quæ latent in abditis terræ, reseratis terræmotu earũ lacunis, fluminibusq; permixtis, quare

Venti deferunt pestem.

Aqua causa pestis quomodo.

re frequenter solent terræmotus subsequi pestilentiæ, vt Seneca testatur, & ex historijs cuique patere potest, vt etiam in hac Atheniensi accidit, quam præcesserunt, Thucydide teste, terræmotus, licèt non semper terræmotus pestilentia consequatur. Terra etiam causa pestis esse potest, cùm scilicet prauus aliquis, & perniciosus ex illa vapor exhalat, quod euenire frequenter dicit Seneca, & multa latere in terra seminaria pestis testãtur venena, & herbæ veneficæ orientes, & venenata animalia, quorum causa sæpè ortæ pestilentiæ, vt in Macedonia factum narrat Aristoteles in quadam via, qua, qui iter faciebant, omnes moriebantur subito à draconum scilicet, qui latitabant, flatu perempti, quare sæpè contingit, vt ex tetro vapore, aut odore à terra exhalante homines repente concidant, vt metalli fossoribus euenit interdum, huiusmodi fuit illa pestis Babylonica, quæ aperta arca vetustissima pernitiosissimum emittente spiritum concitata ad Parthos vsque peruenit, & illa, quæ, Marco imperante, ab Auidij Cassij militibus recluso quodam angusto specu disseminata est. Hinc ortam pestem illam videtur innuere Syllius Italicus, quam describit lib. xiiij.

Terra causa pestis.

Criniger astriferis Titan feruoribus auras,
Et patulam Cyanem, lateq; palustribus vndis
Stagnantem stygio Cocyti oppleuit odore, & mox,
Squalebat tellus vitiato feruida dorso,
Nec victum dabat, aut vllas languentibus vmbras,
Atque ater picea vapor expirabat in æthra.

Qui etiam vapor, & odor tetrus à multitudine inhumatorum corporum potest proficisci, vt in bellis fit frequenter, teste Galeno de differen. febriũ, de quo Liuius lib. 5. Dec. 3. pestem describens inquit, mortui ægros, ægri validos tum metu, tum tabe, ac pestifero odore corporum conficerent, & mox. Siculi vt primum videre ex grauitate loci vulgari morbos. Et talis fuit illa pestis, quæ in Africa vastitatẽ fecit incredibilem, orta ex locustarũ in mari suffocatarum aceruis in litore putrescentibus.

Tertia, & postrema causa pestis dicta est materialis, quæ vel externa rursus est vel interna: externa, cum cibi, vel potiones venenatæ, aut veneficio infectæ adhibentur: talis fuit illa pestis, quam narrat Liuius Dec. 1. lib. 8. vbi dicit fuisse

Materialis causa pestis.

C

se deprehensas matronas Romanas, quæ venena coquerent, & medicamenta, quibus pestis illa induceretur, & ad CLXX. damnatas: in hanc causam referebant ab initio Atheniensem quoque pestem ipsi ciues Athenis, cùm suspicarentur veneno infectas aquas puteorum in Piræo à Peloponnēsibus, quod etiam Aretæus medicus notauit. Sic suspicatos Venetos narrat Sabellicus Hemanuelis fraude infectas aquas pestem eam inuexisse, quæ classem Venetam afflixit sub Duce Vitale. In hanc classem referri etiam possunt, illæ pestes, quæ consequuntur ingentes fames; illius enim stimulis impulsi mortales cibos ingerunt pessimos, & inde succi gignuntur praui, ex quibus seminaria pestis oriuntur, vt docet Galenus in libello de cibis boni, & mali succi, vbi persequitur pestem illam ex ciborum in fame adhibitorum prauitate subsecutam: talis fuit pestis, quam describit Auenzoar lib. 3. tract. 3. c. 4. Similis fuit illa Massiliensiū, de qua Cæsar 2. de bello ciuili, cùm alti essent panico veteri, & hordeo corrupto: & talis fuit pestis, quam passus est Alexandri exercitus in desertis, de qua Sabellicus Enn. 4. lib. 6. secuta est, & pestilentia, quam ciborum insalubritas fecerat, & illa in exercitu M. Antonij contra Parthos, quam commemorat Appianus Alexandrinus.

Interna materialis causa pestis.

Interna verò est causa, cū humores quatuor sangnis, pituita, & bilis vtraque cōputrescunt, qui pro ratione suę naturę varia inducunt pestis genera, & varias ærumnas, atque symptomata. Et hāc videtur Plutarchus existimare fuisse causā huius Atheniēsis pestis lib. Sympos. 8. c. 9. vbi quęrit, an propter cibos fieri noui morbi possint. Ita enim scribit: *τί δὲ θαυμαστὸν ἐστί, εἰ τοσαύτας μὲν ἐν ἑαυτῷ τοῦ σώματος δυνάμεις ἔχοντος τοσαύτας δὲ διὰ σιτῶν, καὶ ποτῶν ἐπεισαγομένου ποιότητας ἑκάστοτε, χρωμένου δὲ κινήσεσιν, καὶ μεταβολαῖς, μήτε καιρὸν ἕνα, μήτε τάξιν ἀεὶ μίαν ἐχούσαις, αἱ πρὸς ἀλλήλας συμπλοκαὶ τούτων ἁπάντων ἔστιν ὅτε καινὰ, καὶ ἀσυνήθη νοσήματα φέρουσι; οἷον ὁ θουκυδίδης ἰσορεῖ τὸν ἀθήνησι λοιμὸν γενέσθαι, τεκμαιρόμενος αὐτοῦ τὸ μὴ σύντροφον μάλισα τῷ τὰ σαρκοφάγα μὴ γεύεσθαι τῶν νεκρῶν*, idest, quid iam mirum est, si (cùm tantas in seipso habeat facultates corpus, & tot per cibos & potus introducat qualitates singillatim, vtatur verò motibus, & permutationibus neque tempus idem, neque ordinem semper eundem seruantibus) mutuæ

com-

complicationes horum omnium interdum nouos, & insolitos morbos ferunt, vt Thucydides narrat Athenis pestem extitisse, coniectans eius nouitatem maximè, quòd carniuora animalia nō depascerentur mortua cadauera. Quinimò venenum etiam posse in nostris oriri corporibus testantur Galenus 5. de lo. aff. c. 7. & 6. c. 5. & 3. Epid. 3. cont. 7. ubi agitur de phrenitico, qui uomuit uirulenta, in quo paulatim dicit fuisse congestum, ac collectum humorem uitiosum lethali ueneno adsimilē, de qua re pluribus agemus suo loco.

Hęc paucis duxi explicāda nūc, cętera pro re nata in Thucydidis Historia declaranda exponētur. Reliquū est, ut uos horter adolescentes, & alios Gręcarum literarum, addo etiā Medicinę studiosos, ad intermissam studiorum rationem denuo capescendam, & pollicear, quantum in me erit, meam uobis minimè defuturam ulla in parte industriam, dum eam uos studio uestro, attentione, & frequentia, quod caput est, prosequamini.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΟΥ

ΟΡΟΛΟΥ ΞΥΓΓΡΑΦΗ

Περὶ λοιμοῦ τῶν Ἀθηναίων, ἢ λοιμικὴ Διήγησις.

Τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου Πελοποννήσιοι, καὶ οἱ ξύμμαχοι τὰ δύο μέρη ὥσπερ καὶ τὸ πρῶτον ἐσέβαλον εἰς τὴν Ἀττικὴν (ἡγεῖτο δὲ Ἀρχίδαμος ὁ Ζευξιδάμου Λακεδαιμονίων Βασιλεύς) καὶ καθεζόμενοι ἐδήουν τὴν γῆν. καὶ ὄντων αὐτῶν οὐ πολλάς πω ἡμέρας ἐν τῇ Ἀττικῇ, ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι τοῖς Ἀθηναίοις, λεγόμενον μὲν, καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι, καὶ περὶ Λῆμνον, καὶ ἐν ἄλλοις χωρίοις.

THVCYDIDIS OROLI FILII

Hiſtoria de Peſte Athenienſium, vel Peſtilentiæ Narratio.

AEſtate ſtatim ineunte Pelopponenſes, & ſocij ex duabus partibus, quemadmodũ & ab initio impreſſionem fecerunt in Atticã regionem (Dux verò erat Archidamus Zeuxidami filius Lacedæmoniorũ Rex) atq; caſtris poſitis populabantur regionem, & cùm cõmorati non multos eſſent dies in Attica, morbus primùm apud Athenienſes cœpit exoriri, qui dicebatur, & antea multis in locis ingruiſſe, & circa Lemnũ, & in alijs quoq; regionibus.

FABII

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

EXPLICATVRVS hoc anno eam partem Thucydidis Historiæ, qua pestem persequitur Atheniensium, omniũ, quotquot vnquam fuere, celeberrimã, quæ incidit Belli Peloponnesiaci ab ipso narrati anno secundo, & continetur in secundo volumine, quam suis Galenus illustrauit Commentarijs, quę non extant, operæpretium me facturum reor, si antequam ad eam declarandam aggrediar, quo nulla vos Historiæ ignoratio moretur, breuissimè originem, & causas huius Peloponnesiaci belli exposuero.

ARGVMENTVM.

BELLO Persico confecto, ac Xerse superato, atque fugato Atheniẽses, ac Lacedæmonij, qui in eo bello Principes partes egerant, aliorumq; Græcorum Duces fuerant, statim inter sese occultis odiorum incendijs, & æmulatione flagrare cœperunt, & licèt amicitiam inter se, societatemq; tuerentur palam (quod fecerunt quinquaginta annorum spatio, qui intercedunt fugam Xerxis, & hoc bellum, quorum Historiam in primo libro breuissimè perstringit Thucydides, quare Posseuinus vir doctissimus in suo apparatu historico non malè dixit Thucydidis Historiam complecti annos 70. quos, sunt qui scribant 90. quibus non assentior) clam tamen sibi inuicem semper inuidebant, & potissimum Lacedæmonij

dæmonij Atheniensibus, quorum opes & auctoritas adeo creuerant, vt Lacedæmonijs meritò viderentur esse formidandæ, quare tacitè sibi dari optabant occasionem, qua possent, conceptum animo virus expromere, & arma aduersus illos mouere. Quartodecimo igitur anno tricennalis inter ipsos icti fœderis, cùm Athenienses Corcyræos neutris ipsorum in fœdere coniunctos cum Corinthijs Lacedæmoniorum socijs præliantes adiuuissent, Corinthijque Potidæatas, Chalcidensesque, & alios Atheniensibus subiectos, ad defectionem solicitassent, moxq; cum his aduersus Athenienses, aduerso tamen Marte pugnassent, & victi ad Lacedæmonios inde cōfugissent, accusantes violati fœderis Athenienses, Lacedæmonij, cum horum querelis impulsi, tum multo magis Atheniensium opibus, & felicitati inuidentes (quam verissimam suscipiendi belli causam fuisse putat in procemio Thucydides his verbis: *Τὴν μὲν γὰρ ἀληθεστάτην πρόφασιν ἀφανεστάτην δὲ λόγῳ τοὺς Ἀθηναίους ἡγοῦμαι μεγάλους γιγνομένους, καὶ φόβον παρέχοντας τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀναγκάσαι, ἐς τὸ πολεμεῖν*, idest verissimam enim causam, in sermonibus tamen occultam, opinor fuisse, quòd Athenienses magni facti, & formidabiles Lacedæmonijs eos coegerint ad bellū excitandum) fœdus violatum esse decreuerūt, & Atheniensibus bellū indixerunt, cum omnibus fœderatis, Olympiadis Lxxxxijx. anno primo, qui fuit mundi 3536. ante Christū natū 428. Hoc bellū narrat Thucydides his octo libris historiarum, licèt non omne; nam cùm perdurauerit annis xxvij. anni xxj. gesta scribens (vt testatur in eius vita Marcellinus) mortuus est, annos natus quinquaginta; vel, vt scribit in Atticis Pausanias, dolo interemptus, paulò post eius restitutionem ab exilio; quare immeritò, summaq; iniuria reprehenditur à nonnullis, quòd non eum, quem debebat, suæ Historiæ finem imposuerit. Plutarchus in Pericle videtur conferre culpam huius suscepti belli Peloponnesiaci in Periclem, vt Aspasiæ coniugi gratificaretur, cuius causa Samium etiam ante bellum susceperat, quem secutus fortasse Gilbertus Genebrardus in sua Chronologia idem asserit his verbis. Bellum Samium, cui vt & Peloponnesiaco Aspasia Periclis Amasia, & tandem vxor, quæ Rhetoricam Athenis docuit, præbuit causam. Sed hæc, quia parum ad nostram

Belli Peloponnesiaci origo, & causæ.

ſtram rem, & conſilium τὸν σκοπὸν faciunt, dimittantur. Primò igitur anno Thebani inuadunt Platæam coniunctā Atticis, ſed repelluntur, Terræmotus fiunt in Delo, Archidamus Rex Atticam populatur, &c. Secundò peſtilentia Atticam inuadit, quam deſcribit in hac parte Thucydides, quam nos vobis hoc anno, Dijs bene iuuantibus, & Medica, & Hiſtorica Methodo explicabimus.

Θουκυδίδου, Thucydidis.] Quoniam de Auctore multa diximus in Præfatione, Hippocrati Medico Thucydidem Hiſtoricum comparantes, ſuperuaneum eſſe ducimus, aut iam dicta repetere in titulo explicando, aut pluribus afferendis facere longiorem, imò putidiuſculam explicationem, vobiſq; ſatietatem in ipſo epularum, quas ſpe iam deuoratis, veſtibulo afferre.

Ὀρόλου, Oroli.] Omnes legunt, Olori, ſic legit Suidas, ſic Dionyſius Halycarnaſſeus, ſic Plutarchus, qui dicit in Cimone: Διὸ καὶ Θουκυδίδης ὁ ἱστορικὸς τοῖς περὶ Κίμωνα κατὰ γένος προσήκων, Ὀλόρου τε πατρὸς ἦν εἰς τὸν πρόγονον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν, ideſt, quare & Thucydides Hiſtoricus Cimoni genere coiunctus Olorum patrem habuit, ad (Olorum Regem) progenitorem nominis referentem ſimilitudinem, ex quibus obiter oſtenditur (cùm dicat ibi Plutarchus Cimonem ortum ex Miltiade, & Hegeſiphyle, Olori Regis Thraciæ filia, deinde ſubdat hæc de Thucydide) non eſſe vera, quæ dicit Suidas de Thucydide, paternum genus duxiſſe ab ipſo Orolo Rege Thracum: ſed quia mater fuerat oriunda ab Oloro, inditum patri Thucydidis, nomen Aui materni, & eſſe maternum genus quoque ab Oloro. Scribit etiam ita Marcellinus (vt in orbem propoſiti reuertamur) ſed tamen mox contendit ex Didymo ſcribendum Oroli, non Olori, ita ſcribens: Μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο. ὁ Ὄρολος ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστὶ τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ ἐχούσης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ. αὕτη γὰρ ἡ γραφὴ ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ ἡμάρτηται, ideſt, Neque verò ignoremus hoc, quòd Orolus pater ipſi fuit, prima ſyllaba per r ſcripta, ſecunda per l: ipſa enim ſcriptura, vt etiā Didymo videtur, corrupta eſt: quod etiā mox probat, teſtimonio columnæ eius monumento impoſitæ, in qua ita legitur:

Θουκυδίδης Ὀρόλου Ἀλιμούσιος ἐνθάδε κεῖται. ideſt,
Thucydides Oroli iacet hac Alimuſius arca.

Non

Non prætermittendum verò, quòd in aliquibus Codicibus legitut hic titulus cum articulo τοῦ ὀρόλου, & tunc subintelligendum υἱοῦ, idest filij: & sic esse scribendum, ac loquendum semper contendunt Græculi quidam Grammatistę, sed vtroque modo dici, & scribi posse probat multis in suis Scholijs Henricus Stephanus, & vtrumque adhibuit ipse Thucydides: nam in quarto dixit, Θουκυδίδην τὸν ὀρόλου, ὃς τάδε συνέγραψεν, idest, Thucydidem Oroli filium, qui hæc conscripsit. Hic verò mos se nominandi ex patris nomine semper viguit in rebus publicis: sic in Romana quoque videmus factitatum, & in Veneta idē seruatur: Patritij enim sese omnes ex patris nomine nuncupant. Sic Arabes quoque prępertim Medici, vt Auicenna, Aboali Ebensina, idest, Auicennas Senæ filius. sic Mesue. Principium verborum Ioannis filij Mesue, filij Amech, filij Heli, filij Abdela Regis Damasci: sic alij omnes.

ξυγγραφή, Conscriptio, Historia.] Hunc esse titulum historiarum Thucydidis omnes Codices testantur, quod vel per excellentiam dictum, vt, quemadmodū ipse appellatus est, κατ' ἐξοχὴν, συγγραφεὺς, idest Historicus, vt affirmat Cœlius Rhodiginus, & passim est legere apud Dionysiū Halycarnassæū, & alios, Rhetoras, necnon etiam apud auctorem Etymologici magni, in verbo θεάσας, & in verbo παρακοτούτης, ita illius Historia dicta sit ξυγγραφή. Vel ad significandā pertinet hoc verbum illius diligentiam, quia ξυγγράψαι, vt in principio Historiæ notat Scholiastes Græcus, est μετ' ἐπιμελείας, καὶ σπουδαίως συντάξαι, ideſt cum diligentia, & accuratè coagmentare orationem, quam præcipuè laudem affectauit Thucydides, quare vsus est hoc verbo in initio. Θουκυδίδης ἀθηναῖος τάδε ξυνέγραψεν, idest Thucydides Atheniensis hæc conscripsit. Seruata verò est litera ξ pro σ, quia est hoc proprium Atticæ veteris linguæ, cuius studiosus fuit Thucydides, vt notat Marcellinus, qui in vita Thucydidis, ita de illo scribit, ὡς ἐπιπλεῖστον δὲ χρῆται τῇ ἀρχαίᾳ ἀτθίδι τῇ παλαιᾷ ἡ τὸ ξ ἀντὶ τοῦ σ, παρείληφεν, ὅταν ξυνέγραψε, καὶ ξυμμαχίαν λέγῃ. Plurimum vtitur veteri lingua Attica, & Prisca, quæ ξ pro s vsurpauit, vt cum dicit, ξυνέγραψε, & ξυμμαχίαν. Sic vtitur frequenter etiam Hippocrates, cuius sermonem Priscum Atticum fuisse appellatum scribit Galenus Commentario primo

mo in librũ de Fracturis cont. 1. quare vbique dicit, ξυμφέρῃ ξυμφέρουσι, & ξυμπτώσιας pro συμφέρῃ, συμφέρουσι, & συμπτώσιας, ac similia. Lingua enim Ionica, qua potissimum vsus Hippocrates, fuit prisca Atticorum lingua. vt clarissimè testatur Strabo lib. 8. Geograph. in principio, vbi ita disserit de gentibus loquens, quas totidem esse dicit, quot sunt linguarum differentię. Τούτων δ' αὐτῶν τεσσάρων οὐσῶν, καὶ τὴν μὲν ἰάδα τῇ παλαιᾷ ἀτθίδι αὐτὴν φαμέν: καὶ γὰρ ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε ἀττικοί, καὶ ἐκεῖθεν εἰσὶν οἱ τὴν ἀσίαν ἐποικήσαντες ἴωνες, καὶ χρησάμενοι τῇ νῦν λεγομένῃ γλώττῃ ἰάδι, idest, hæ verò cùm sint quattuor, nam Ionicam cum veteri Attica eandem dicimus, etenim Iones vocabantur tunc Attici, & inde profecti sunt, qui in Asiam Colonias deduxerunt, Iones, & vtuntur ea, quæ nunc dicitur lingua Ionica.

Περὶ λοιμοῦ τῶν Ἀθηναίων, De peste Atheniensium.] Hanc pestem omniũ celeberrimam, & decantatã, tum ratione antiquitatis, tum ciuitatis omniũ florentissimę, in qua sæuijt: plures descripserunt, sed duo potissimum Scriptores elegantissimè Thucydides hic Græcè, & Lucretius Carus lib. 6. Latinè, vt omittam Hippocratem, vt medicum, qui eam in 3. Epidem. diligentissimè persecutus est. Meminerunt porrò alij plerique scriptores, vt Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecæ, Plutarchus in vita Periclis, Manilius lib. 1. Astronom. sub finem: nec desunt qui asserant eandem describi ab Ouidio lib. 7. Metamorph. quorum in numero est Heurnius. Ex nostratibus expressit ex Thucydide penè ad verbum Sabellicus Enn. 3. lib. 5. Galenus verò frequentissimè citat Thucydidem, cùm accidit de peste sermo. Tanta porrò huius pestis apud omnes homines fama percrebuit, vt omnes ferè cum magnitudinem alicuius pestis velint exprimere, dicant Thucydidiæ similem fuisse: sic Galenus sui temporis pestẽ illam magnam dicit fuisse Thucydidiæ persimilem: 9. de 5. medic. facultatibus, & de terra Samia, ἐν τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ θουκυδίδην γενομένῳ, idest, in hac magna peste, quæ similis ei fuit, quæ Thucydidis tempore sæuijt: & Euagrius in maximæ illius pestis descriptione, πάθος ἐπεδήμησε λοιμῶδες, ἐν τισὶ μὲν συμφερόμενον τῷ ὑπὸ Θουκυδίδου γραφέντι, idest, pestifer affectus vulgatus est, in nonnullis rebus persimilis illi, qui à Thucydide descri-

Thucydidiæ pestis fama.

bitur, nemoq; ferè est aut ex veteribus, aut ex recentioribus scriptoribus, qui de peste scribens Thucydidem non semper habeat in ore, & omnia, quæ dicat, huius pestis testimonio comprobet: in quo tamen mirum est, quàm ridiculè interdum errent, & pueriliter, viri alioqui eruditissimi, cùm alij, quę à Galeno, cùm citat Thucydidē, dicuntur, Thucydidi tribuant, & contra, quæ à Thucydide, Galeno, in quem maximè errorem incidit sæpè Altimarus vir sanè doctissimus, quòd vitium fortasse potius Librarijs tribuendū, quàm Auctori, qui nomina cōfuderint: nam in lib. de feb. pest. c. 5. verba, quæ sunt à Galeno prolata, tribuit sæpè Thucydidi; Ait enim, Inquit enim Thucydides fortè per continuū ex Aethiopia quædam putredinis fluxere contagia, his, quorū corpora erant ad patiendū parata, febrium causę futura: quę verba sunt Galeni, nō Thucydidis: & in eodē lib. c. 1. eadem nomina confundit tribuens Thucydidi, quæ pronuntiat Galenus. Sic Franciscus Stabilis Potentinus in sua Apologia, quòd pudendorum inflammatio sit signum pestis, vbi citat Thucydidis hanc descriptionem pestilentem, dicit ab eo factam in funebri oratione Periclis, quod longè maius erratū; nam illud Altimari memoriæ vitio potest ascribi, hoc magnæ cuiusdam negligentiæ, ne dicam ignorantiæ, est argumentum: ait enim. Thucydides, &c. in funebri oratione Periclis describit pestilentiam quandam, &c. nam quis ignorat post illam ab ipso repræsentatam orationem in eorum funere, qui pro patria egregiè pugnando vitam cum morte commutarunt, describi mox quasi aliud longè dissimile, ac diuersum, pestilentiam? Petrus Sybillenus in libro de peste, vt mox dicetur, bis errat, in loco Thucydidis recitando, de fontibus: nam dicit, Thucydides scribit, quòd Peloponnēses Athenarum fontes veneno corruperint, & omnes, qui deinde ex eis potauerāt, subito perierint: Thucydides enim dicit puteos fuisse infectos, quia fontes non erant: illud verò quòd qui potauerāt, subito perierint, falsum est, quia nequaquam dicitur à Thucydide, neque ab alio, quod sciam, scriptore. Plura possem testimonia erratorum afferre, sed parco multorum nominibus eorum, qui viuunt potissimum.

Multorū Medicorum errata in citādo Thucydide.

Λοιμικὴ διήγησις, Pestilentiæ narratio.] Hoc titulo videtur partem hanc Historiæ insigniuisse, Galenus, qui in 4. Comment.

Titulus operis ex Galeno acceptus.

Comment.in 6. Epid.cont. 12.citans verba quędam Thucydidis ex hac parte, mox ait: εἴρηται δὲ ταῦτα ὑπὸ αὐτοῦ κατὰ τὴν λοιμικὴν διήγησιν, ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἱστοριῶν, ideſt, dicta verò ſunt hæc ab ipſo in peſtilenti narratione, in ſecundo Hiſtoriarum: ſic eueniſſe Hippocraticę narrationi huius peſtilentiæ docet Galenus, cui titulus additus in frõte κατάστασις, ideſt, Status, per Excellentiam ſcilicet, peſtilens: quod poſtea additum ex Galeno, & nunc omnes habent Codices Gręci. Et hunc non fuiſſe titulũ, inſcriptionem ve Hippocratis teſtatur Galenus, ſed ab his additum, qui etiam literas ægrotorum ſingulis hiſtorijs ſub finẽ addiderunt, ſed de hac tota re audiatur Galenus in dicto Cõment. 3. cont. 1. qui ita narrat: Κατὰ δὲ τὴν νῦν προκειμένην, αὐτὸ μὲν τὸ τῆς καταστάσεως ὄνομα σχεδὸν, ἐν ἅπασι τοῖς ἀντιγράφοις, οὐ μὴν ἐν τινί γε χώρᾳ ταῦτ' ἐγένετο δηλοῦται. κοινοῦ γάρ τινος ἔθνεσι πολλοῖς γενομένου λοιμοῦ τὴν διήγησιν, ἐν τᾷδε ποιεῖται, ἐν μὲν τοῖς κατὰ Διοσκορίδην ἀντιγράφοις, οὐ μόνον οὕτως ἁπλῶς γέγραπται κατάστασις, ἀλλὰ πρόσκειται τὸ θερμὴ, καὶ ὑγρὰ, κατὰ τὸ μέσον τῆς σελίδος ὅλου τοῦ γεγραμμένου, καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις ἀντιγράφοις μόνου τοῦ κατάστασις, εὕροις δ' ἄντινα μηδ' ἐν τῷ μέσῳ τὸ πρόγραμμα τοῦτο ἔχοντα, καθάπερ ἐν τισὶ μηδ' ὅλως, ἐξ ὧν ὑπονοήσειεν ἄντις οὐκ αὐτὸν Ἱπποκράτην προσγεγραφέναι, τὸ Κατάστασις, ἀλλὰ ἴσως ἐκείνους, ὅσοι, καὶ τοὺς χαρακτῆρας ἐπὶ τῷ τέλει τῶν κατὰ τοὺς ἀῤῥώστους διηγήσεων ἔγραψαν. Quæ (vt his etiam conſulatur, qui Græcè neſciunt) ſic Latinè ſonant. In præſenti autẽ ipſum quidem conſtitutionis nomen in omnibus ferè exemplaribus adeſt, ſed in qua regione hæc acciderint, non ſignificatur: nam communis cuiuſdam multis gentibus peſtilentiæ narrationem hoc Cõmentario narrat, in Dioſcoridis exemplaribus non ſolum ita ſimpliciter ſcriptum eſt, conſtitutio, ſed additum eſt calida, & humida, in medio paginæ, quæ totum ſcriptum continet, velut in alijs exemplaribus ſolum conſtitutio. Inuenies autem etiam in nonnullis non adeſſe in medio hoc præſcriptum, vt in nonnullis etiam nihil omnino: ex quibus ſuſpicari quis poſſit, non ipſum Hippocratem adſcripſiſſe verbum, Conſtitutio: ſed illos fortaſſe, qui etiam notas in fine hiſtoriarum, quæ de ægrotis narrat, adſcripſerunt. Quare non temerè (vt opinor) nos quoque veterum ſecuti exempla ex pręclaro Scriptore deſumptum ti-

tulum, inscriptionemq; addidimus, qua, qui voluerit, vtatur, cùm præsertim Hippocraticæ quoque descriptioni sit ex ipso Galeno additus titulus Κατάστασις λοιμώδης, idest, Constitutio pestilens: nam ita in Præfatione huius tertiæ sectionis tertij libri Epid. eam appellat, & in lib. de diff. respir. & alibi, & ab eo acceptum vocabulum mox omnes adhibuere, vt etiam Mercurialis in suo Hippocrate, & fortasse etiã Galenus hoc titulo vsus est in suis Commentarijs, quæ conscripsisse ipsemet fatetur in Thucydidis hanc pestem, quæ citat aliquando sub hoc titulo ἐν τοῖς Θουκυδιδείοις, idest, in Thucydidijs Commentarijs. Interdum verò his verbis: ἐν τοῖς περὶ τοῦ παρὰ τοῦ Θουκυδίδου λοιμοῦ, idest, in his, quæ de peste apud Thucydidem, Supple, Scripta sunt à me Commentaria, vt in secundo, περὶ δυσπνοίας, idest, de difficultate respirationis, cap. 7. Horum librorum facit mentionem Rasarius in Iud. de editione Galeni librorum, quod sub ficto nomine Vdenis medici Vtopiensis edidit, & Iuntarum Editionem operum Galeni ex eo capite damnat, quòd cùm essent polliciti multos Galeni libros se edituros in ea editione, & hos præsertim Galeni Commentarios in pestem Thucydidiam, nihil tamen præstitissent: quæ tamen hominis maleuolentiæ, & γλωσσαλγίᾳ Galenicæ, quo morbo ille, dum vixit, laborabat, sunt accepta referenda, nõn Iuntarum negligentiæ, qui nullius culpæ affines, vt euentus ipse optimus rerum index, & probator ostendit: eorum enim editio viget, & probatur; altera verò, quam ipse laudat, Valgrisiana, cum ipso Auctore interijt, & non extat, nemoq; illam tanquam optimam, aut saltem meliorem (vt ille prædicat) conatur in lucem reuocare, verba eius sunt: Hæc est illa incredibilis expectatio, hæc est illa missio literarum ad omnia terrarum orbis emporia, hæc est illa pollicitatio in omnibus Gymnasijs per Præcones euulgata, hi sunt libri pestilentes, hoc est Galeni Commentarij in partem Thucydidis de peste, quæ in secundo Historiarum habetur. Hi sunt Cõmentarij de peccatis, quæ in dissectione committuntur, quos libros iactabatis, eorumq; incredibile apud omnes desiderium excitabatis. Et hæc pro tituli explicatione, & hodiernę diei prælectione satis esse existimo.

Τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου, Aestate verò ineunte.] Explicaturus

caturus celeberrimam sui temporis pestilentiam Thucydides in hoc primo contextu statim de illius principio, & origine aggreditur disputare, mox de illius magnitudine, quam alijs hanc pestilentijs longè anteponendo declarat, Principium, & origo duplex, vnum temporis, quod fuisse dicit ineunte æstate, quæ pars, secundum illius diuisionem, est ipsum ver (vt mox dicetur) alterum belli, quod fuit anno secundo, statim ferè post hostiũ impressionem, impetumq́; factum in Atticam regionem.

θέρους εὐθὺς ἀρχομένου, Aestate statim ineunte.] Hippocrates in tertio Aphorismorum, Aph. 18. videtur æstatis hoc primum ineuntis principium, quod est eiusdem cum Vere naturæ, & ideo apud Thucydidem vtrumque coniungitur, quæ separat Hippocates: videtur inquam appellasse ἄκρον θέρος, idest, summam æstatem: ait enim Κατὰ δὲ τὰς ὥρας τοῦ μὲν ἦρος, καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος οἱ παῖδες, καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι τῇσι ἡλικίῃσι ἄριστά τε διάγουσι, καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα, idest per tempora verò anni, Vere quidem, & summa Aestate (principio æstatis omnes alij vertunt Interpretes) pueri, & his finitimi ætatibus, optimeq́; degunt, & valent maximè. Vbi, licèt separet Ver à principio Aestatis, eiusdem tamen ambo sunt naturę, ob vicinitatem, & rationem crasis: & ideo ab Astrologis, & passim apud omnes homines recensetur inter partes Veris: nam apud Medicos Ver est breuissimũ, ut infra dicetur, cùm de ratione, & diuisione temporũ agemus.

Thucydides reprehensus ab Halycarnassæo.

τοῦ δὲ θέρους, Aestate.] Reprehenditur ab Halycarnassęo Thucydides, quòd suam Historiam neque locorũ distinctione, neque temporum (ut superiores Historici, qui uel Regũ imperijs, uel Sacerdotum, uel Olympiadum spatijs suas distinxerunt Historias) sed ęstatibus, & hiemibus diuiserit, ut in hoc loco est uidere. Hic enim est initium secundi anni belli huius Peloponnesiaci. Ita uerò ille Grecè: ταῦτα δέ ἐστι περὶ τὴν διαίρεσιν, καὶ τὰ περὶ τάξιν, καὶ τὰ περὶ τὰς ἐξεργασίας. ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τῆς διαιρέσεως, προειπών, ὅτι τῶν πρὸ αὐτοῦ γινομένων συγγραφέων ἢ κατὰ τόπους μεριζόντων τὰς ἀναγραφάς, ἢ κατὰ χρόνους εὐπαρακολουθήτους, ἐκεῖνος οὐδετέραν τούτων τῶν διαιρέσεων ἐδοκίμασεν. οὔτε γὰρ τοῖς τόποις, ἐν οἷς αἱ πράξεις ἐπετελέσθησαν, ἀκολουθῶν, ἐμέρισε τὰς διηγήσεις, ὡς Ἡρόδοτός τε καὶ Ἑλλάνικος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων ἐποίησαν, οὔτε

τοῖς

τοῖς χρόνοις, ὡς οἱ τὴν τοπικὴν ἐκδόντες ἱστορίαν, προείλοντο, ἤτοι ταῖς διαδοχαῖς τῶν βασιλέων μερίζοντες τὰς ἀναγραφὰς, ἢ ταῖς τῶν ἱερέων, ἢ ταῖς περιόδοις τῶν ὀλυμπιάδων, ἢ τοῖς ἀποδεικνυμένοις ἄρχουσι ἐπὶ τὰς ἐνιαυσίους ἀρχὰς, καινὴν δέ τινα, καὶ ἀτριβῆ τοῖς ἄλλοις πορευθῆναι βουληθεὶς ὁδὸν, θερείαις, καὶ χειμερίοις ἐμέρισε τὴν ἱστορίαν. ἐκ δὲ τούτου συμβέβηκεν αὐτῷ τοὐναντίον ἢ προσεδόκησεν. οὐ γὰρ σαφεστέρα γέγονεν ἡ διαίρεσις τῶν χρόνων, ἀλλὰ δυσπαρακολουθητέρα, κατὰ τὰς ὥρας, ideſt, Hęc uerò ſunt, quę ad diſtributionem, & ordinem, & poliendi artificiũ. Exordiar uerò à diſtinctione, pręfatus, quòd cùm Hiſtorici ſuperiores uel locis, uel temporibus aptè continuatis diuiſerint ſuas hiſtorias; ille neutrum genus diuiſionis probauit: neque enim loca, in quibus res geſtę erant, ſecutus, partitus eſt ſuas narrationes, ut Herodotus, & Hellanicus, & alij quidam, qui ante illũ floruerunt, ſcriptores, fecerant, neque temporibus, ut qui de locis hiſtoriam conſcripſerunt, faciendum ſibi eſſe iudicauerunt, ſuas diuidentes hiſtorias, uel Regum ſucceſſionibus, aut Sacerdotum, uel Olympiadũ periodis, uel anniuerſarijs principatibus Archontum. Sed nouam quandam, & inuſitatam alijs uiam inire uolens, ęſtatibus, & hiemibus diuiſit Hiſtoriam. Ex hoc uerò accidit illi contra, ac putarat: non enim clarior facta eſt diuiſio temporum, ſed longè difficilior ad memoriam, pro ratione partium anni diſtincta. Sed facilè defendi ab Halycarnaſſei calumnia poteſt Thucydides, & ex ipſius verbis: quia ſcilicet in hanc venit ſententiam, ne ipſe cum alijs communem viam tereret, ac veſtigia ſectaretur aliena, quippe qui excellere cæteris, & præſtare laborabat; & ideo delegit, καινὴν καὶ ἀτριβῆ τοῖς ἄλλοις πορευθῆναι ὁδὸν, ideſt, nouam quandam, & non contritã ab alijs viam perambulare; neque tamen inde illi accidit (vt calumniatur Halycarnaſſæus) contra, ac putarat, imò aſſecutus, quod maximè concupiuerat, & conſectatus fuerat in omnibus, nempè obſcuritatem quandam, & maieſtatem inde redundantem, in qua fortaſſe poſitam exiſtimabat perfectæ eloquentiæ ſummam, & caput, nempè τὴν δεινότητα, quam viam conſultò iniuit, & dedita opera (vt præclarè etiam annotauit Marcellinus) ne πᾶσιν εἴη βατὸς, ne omnibus eſſet ad manum, & vulgo tractaretur, ſed ſolum à doctis viris illius legeretur hiſtoria, & ignauum vulgus, quaſi

Thucydides defenſus ab Auctore.

fucorum

fucorum soboles, arceretur à præsepibus, solis apibus mel suæ eloquentiæ, ac artificium gustare, & cognoscere valentibus, reseruata. Et esset (vt ipsemet alibi de eo dixit Halycarnassæus) δυσέικαστος τοῖς πολλοῖς, inimitabilis multitudini: quare quoniam in Cylonio scelere explicando assueto apertior, & facilior videtur, de eo vsurpatum adagium ἐγέλασε ὁ λέων, idest, risit Leo, vt eo in loco Gręcus notat Scholiastes his verbis: τοῦ διηγήματος τοῦ κατὰ τὸν Κύλωνα τὴν σαφήνειαν τινὲς θαυμάσαντες, εἶπον, ὅτι λέων ἐγέλασε, ἐνταῦθα, λέγοντες περὶ Θουκυδίδου, idest, narrationis, quæ est de Cylone claritatem nonnulli admirantes dixerunt, quòd Leo risit hic, loquentes de Thucydide. Qua quidem excellentiæ opinione tantã sibi existimationem apud Athenienses comparauit, vt eum hac sola de causa ab exilio reuocarint, testante Plinio lib. 7. cap. 3, his verbis: Thucydidem Imperatorem in exiliũ egere Athenienses, rerum suarum scriptorem reuocauere, eloquentiam mirati, cuius virtutem damnauerant, licèt hoc nõnulli dicant assecutum propter Tragœdiam quandam ab ipso scriptam, qua audita, eum restituerunt Ciuitati.

Antonius Posseuinus in apparatu suo ad omnem historiã sectione secunda excusat Thucydidem, cur Olympiadum certarum numerum omiserit, his verbis: Porrò Thucydides, vt prudens, at sibi conscius incerti temporis, quo historiam suam scribebat, licèt per æstates, hiemes, & olympiadas res Atheniensium, & Lacedæmoniorum exposuit: nusquam tamen olympiadis certæ numerum proposuit, nec quota his temporibus ageretur Olympias, significauit. In quo videtur Galenum imitatus, qui ex eo excusat Hippocratem, quòd non diuiserit annum per menses, sed per rationẽ Solstitiorum, ac Aequinoctiorum, exortusq; Stellarũ, quia scilicet ratio mensium erat incerta, cum varijs nominibus, & varia etiam dierũ ratione, ac numero constituantur menses apud diuersas nationes: hæc verò sint omnibus communia, & mutari non possint; quare etiam possumus dicere in hoc imitatum Thucydidem Hippocratem.

Verba verò hæc Thucydidis ita in suam Historiam transtulit Sabellicus Tom. 1. Enn. 3. lib. 7. Et hæc ferè primo Peloponnesiaci belli anno domi, forisq; gesta. Ineũte alterius anni æstate Peloponnenses eiusdem Archidami ductu Atti-

cam

cam inuadentes pari clade, qua superiore anno eam peruagati sunt.

πελοποννήσιοι, Peloponnesij.] Quia omnes ferè fœderati huius peninsulæ finibus continentur, Lacedæmonij, Corinthij, & alij, ideo nomine hoc vniuersi appellantur: & bellũ etiam ipsum appellatum est ab ipsa peninsula, quę à Pelopodis nomen accepit, teste Stephano, qui prius appellatam dicit ab Apio Apiam, à Pelasgo Pelasgiam, ab Argis Argos, siue Argiam. Sed eius verba cùm Latinè non extet, nõ erit alienum afferre. πελοπόννησος τρεῖς ἐπωνυμίας ἔσχεν, ἐπὶ μὲν γὰρ Απέως τοῦ φορονέως ἐκαλεῖτο Απία, ἐπὶ δὲ πελασγοῦ πελασγία, ἐπὶ δὲ ἄργου ὁμωνύμως ἄργος ἐκαλεῖτο, ἐπὶ δὲ τῶν πελοπιδῶν πελοπόννησος, ὁ οἰκήτωρ πελοποννήσιος, πελοποννησιακὸν δὲ πόλεμον φυλάττονται λέγειν, idest, Peloponnesus tria habuit cognomina ab Apio Phoronei filio vocabatur Apia, à Pelasgo Pelasgia, ab Argo, eodem nomine Argos, à Pelopidis Regibus Peloponnesus, Incola Peloponnesius, Peloponnesiacum verò bellum dicere consueuerunt, hodie dicitur Morea vulgo: Haud vlli terræ nobilitate postferenda (inquit Plinius lib. 4. cap. 4.) inter duo maria Aegæum, & Ionium Platani folio similis propter angulosos recessus, circuitu DLxiij. millia pas suum colligit. fuerunt verò sexaginta millia, qui cum Archidamo impressionem hanc fecerunt, vt testatur Plutarchus in Pericle ἑξάκις μύριοι: quare Pericles noluit manum conserere, & calumniantibus respondebat, arbores resectas repullulare, homines verò extinctos nunquam recuperari, & ideo se nolle periclitari. Ingentem verò vastitatem ediderunt in agro Atheniensi, vt innuit Plutarchus, sed clarissimè significauit Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecæ, succisis nempè arboribus, quibus maximè florebat illa tellus, & incensis villis ferè omnibus.

ξύμμαχοι.] Adeo adamauit Thucydides hunc atticismũ vertendi literam s in ξ, ut etiam in præpositione σὺν interdum id fecerit scribendo ξὺν extra compositionem, vt annotauit Henricus Stephanus in Comment. in lib. de dialectis: quare eleganter Lucianus in Dialogo, qui inscribitur Δίκη φωνηέντων, idest, Iudicium uocaliũ, ubi accusatur τ, à σ, & σ uult probare, se esse literam ἀνεξίκακον, tacitè carpit Thucydidem tanquam fortasse nimium in hoc genere: ὅτι δ' ἀνεξί-

κακον

κακον εἰμι γράμμα μαρτυρεῖ τέ μοι, καὶ αὐτοὶ μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα σμάραγδον ἀποσπάσαντι, καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν σμύρναν, μήτε τῷ ξῦ πᾶσαν παραβάντι συνθήκην, καὶ τόν συγγραφέα τῶν τοιούτων ἔχοντι Θουκυδίδην σύμμαχον, ideſt, quòd uerò ego patiens ſim litera, teſtantur illæ, quas nunquam redargui, literę, zeta, quę ſmaragdum auulſit, & omnem abſtulit mihi Smyrnam, & ξ, quæ omnem exceſſit Synthecem, & Hiſtoricum habet in his omnibus Thucydidem Symmachum, ideſt, adiutorem: hoc fecerunt fortaſſe Attici ueteres, ut uitarent ſoni aſperitatem, quæ eſt in litera σ: quare etiam quidam auctores integra ſcripta, & poemata, ac odes ſine litera hac faciebant, quas ἀσίγμους, ideſt, ſine litera σ appellabant, ut auctor eſt Athen. quod eſſe Atticorum proprium confirmat etiã Euſtathius in Homerum lib. I. Iliad. ubi dicit, ξυνέηκε μάχεσθαι: nam ita ait: οὐκ ἄδηλον δὲ ὅτι ἀττικῶν ἴδιον τὸ τὴν σύν πρόσθεσιν ξὺν λέγειν, ideſt, neminem uerò latet, quòd Atticorum proprium eſt σύν præpoſitionem ξύν dicere: ſic paulò infra uſus ξυντρόφων pro συντρόφων.

τὰ δύο μέρη, Duabus ex partibus.] In margine annotauit Henricus Stephanus legi κατὰ δύο μέρη, & reijcit ad ſuas annotationes, in quibus mox nullũ facit uerbum: cuius quidem opinionem nos non reijcimus, ſed tamen hanc retinendam arbitramur lectionem, ut ſit atticiſmus ſubintellecta particula κατὰ, quæ apud Atticos Scriptores frequenter cõſueuit omitti, ut aliæ complures, & hæc figura appellatur ἔλλειψις, cuius rei faciunt mentionem Corinthus, ſiue Corythus, qui de Dialectis ſcripſit: quinimò ipſemet Henricus multa de hoc affert in ſua Appendice, ſeu Commentario de lingua Attica. Frequentiſſimè uerò ſolet omitti, & paſſim à Scriptoribus: dicunt enim ἀγαθὸς, καλὸς, αἰσχρὸς, τὴν ψυχὴν, τὸ σῶμα, τὴν ὄψιν. Sic etiam Latini interdum utuntur ſimili accuſatiuo, deſiderata particula, ſecundum, uel tali alia ſimili, ut in uerbo, cætera, Vergilius cætera Graius, Liuius, Virum cætera egregium, Regnum cętera egregium. Sic illud, Os, humerosq; Deo ſimilis, & omnia Mercurio ſimilis: cuius rei, ſi plura quis cupit exempla, eiuſdem legat Henrici antedicti Commentarium.

Franciſcus Portus, & Geogius Acacius uterque in ſuis uerſionibus uidentur intellexiſſe, non de regionis partibus,

ſed de exercitus, quaſi ſcilicet aliæ eſſent copiæ ſociorũ, aliæ Peloponnenſium, vel in duas eſſet partes diuiſus exercitus; quaſi ſcilicet ſit σαφηνισμὸς, Peloponneſij, & fœderati, quippe qui erant duæ partes exercitus. Portus enim ita vertit; æſtate autem ſtatim ineunte Peloponneſij, eorumq; ſocij, cum duabus [copiarum] partibus, vt & ante in Atticam irruperunt. Rationem verò reddit in ſuis Scholijs dicens: Tertia enim pars domi manebat, vt finibus eſſet præſidio. Acacius verò. Principio ſtatim inſequentis æſtatis, Peloponneſiorum, ſociorumq; duæ partes, quemadmodum prius Duce Archidamo Zeuxidami Lacedæmonio Rege inuaſerunt. Sed quæ ſit melior interpretatio, ipſe Thucydides declarat in primo libro, ad quod refert hanc ſecundam impreſſionem: ait enim, καὶ μετὰ τοῦτο οἱ Πελοποννήσιοι τοῖς ἀττικοῖς ἐς ἐλευσῖνα, καὶ θρίωζε ἐσβαλόντες ἐδῄωσαν, ideſt, Peloponnenſes in Atticam ad Eleuſinem, & Thriaſios facta impreſſione depopulati ſunt. Hæ enim ſunt duæ partes regionis, quas facta irruptione deuaſtarunt, verùm hoc paruí refert; nam profectò, ſi duobus in locis fecerunt irruptionem, bipartitæ etiam copiæ fuerunt exercitus.

Τὴν Ἀττικὴν, In Atticam.] Atticiſmus hic quoque frequentiſſimo in vſu poſitus, vt ſcilicet vocabulum ſubſtantię omittatur, ſolo poſito, quod vocant Grammatici Adiectiuum: & potiſſimum hæc ſolent ἐλλιπῶν deficere, & ſubintelligi, γῆ, πατρὶς, χώρα. Sic frequenter noſter auctor vſurpat ἡ βάρβαρος, ſcilicet γῆ. Sic ἡ συμμαχὶς, ſupple χώρα, frequenter etiam ſubaudiri ſolet ἡ ὁδὸς, vt cùm dicunt τὴν ἄγουσαν, τὴν φέρουσαν, ſic τὴν ταχίστην. Alię complures ſolent omitti, quas perſequitur Henricus Stephanus in Commentario ſiue Appendice Atticæ linguæ. Latini quoque interdum vſurpant, ſic Terentius dixit ſummum ſuum ſaluere iubet, &c. ſubintelligens amicum: alia ſunt innumerabila, de quibus nos alibi admonuimus.

ἡγεῖτο Ἀρχίδαμος, Dux erat Archidamus.] Ab hoc facto dicit Suidas belli Peloponneſiaci primos annos appellatos Archidamium bellum: ſic enim ſcribit, τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου τὰ πρῶτα ἔτη Ἀρχιδάμιος ἐκλήθη πόλεμος, ἀπὸ τοῦ Ἀρχιδάμου εἰς τὴν ἀττικὴν ἐμβαλεῖν, ideſt, Peloponneſiaci belli primi anni vocati ſunt Archidamium bellum, ex eo, quòd Ar-

chidamus in Atticam irruperit. Huius facit Plutarchus in Cimone mentionem, & de hac ipsa Archidami in Atticam incursione in vita Periclis, vbi etiam exponit prudentiã Periclis, qui veritus, ne Archidamus vastatis cæteris, veteri iure hospitij, suis agris abstineret, siue ne in vrbe suis obtrectatoribus occasionem daret calumniæ, qui dicere potuissent Periclem cum hostibus colludere, agrum omnem, & villas Ciuitati dedit, ac donauit, ibiq; etiam describit eius constantiã, qui nunquã sit passus manus conserere cum hostibus Athenienses; quod etiam Thucydides narrat hoc secundo libro paulò supra. Meminit etiam in vita Agesilai, qui eius fuit filius, statim ab initio, & ex Theophrasto narrat mulctatum à Lacedæmonijs, quòd pusillę staturæ duxisset vxorem, cùm dicerent velle Regulos, non Reges procreare. Meminit etiã in Agidis vita, qui eius quoque filius fuit, & natu grandior ex prima vxore. Huius verò orationes habitas in Lacedęmoniorum concione pro bello cum fœderatis vnà indicendo Atheniensibus, extant supra hoc ipso secundo libro, vbi etiã legetis primã eius impressionem, & incursionem in Agros Athenienses. Plura enim fortasse attuli, quam aliud agenti erat opportunum: illud tamen non omittendum, quòd per parenthesim, hæc sunt legenda verba.

Archidamus Dux Lacedæmoniorũ.

ἐδῄουν, Vastabant.] Quantam vastitatem ediderint Peloponnesij, cùm essent (vt supra dictum est) numero sexaginta millia, præclarè describit, sed paucis Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecæ, vbi ait: Λακεδαιμόνιοι δὲ μετὰ Πελοποννησίων, καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων ἐνέβαλον εἰς τὴν ἀττικὴν τὸ δεύτερον. ἐπιπορευόμενοι, δὲ τὴν χώραν ἐδενδροτόμουν, καὶ τὰς ἐπαύλεις ἐνεπύριζον, καὶ πᾶσαν σχεδὸν τὴν γὴν ἐλυμήναντο, idest, Lacedęmonij cum Peloponnesijs, & alijs fœderatis impressionem fecerunt in Atticam secundo: progredientes verò regionem arboribus succisis viduabant, & villas incendebant, & vniuersam ferè prouinciã deuastabant: in quo tamen videtur pugnantia loqui cum Thucydide, cùm hic dicat καθεζόμενοι, ille verò ἐπιπορευόμενοι: sed nequaquam pugnant, quoniam scilicet castris positis uno in loco, ut ait Thucydides, milites uarijs hinc inde factis excursionibus regionem uniuersam uastabant, ut asserit Diodorus.

Quantã vastitatẽ ediderint Peloponẽsij in Attica.

Οὐ πολλὰς πω ἡμέρας, Non multos dies.] In fine huius nar-

rationis, dicit fuisse εὐθὺς, idest, statim: ait enim, ἐσβεβληκότων δὲ τῶν Πελοποννησίων ἡ νόσος ἤρξατο εὐθὺς, idest, Cum in Atticā Peloponnesij irrupissent, statim cœpit morbus pestilens, vt sit alterum alterius σαφηνισμός: nempè statim, idest, nō multos post dies, quadraginta autem dies totos uastarunt regionem, & tandem metu morbi, qui intus, & foris solos uexabat Athenienses, intactis Peloponnensibus, sese receperūt, ut ipsemet paulò infra testatur Thucydides: quia uerò paulò ante dixerat τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου, idest, æstate uerò statim ineunte, uariandæ orationis etiam causa, immutauit uerborum formulam, & non dixit εὐθὺς, sed οὐ πολλάς πω ἡμέρας, ut paulò post dixit πρῶτον ἤρξατο primū incœpit: quod fortasse uerbum non malè dici posset esse cum his synonymum, & idem significare: de quo infra plura dicentur.

ἡ νόσος, Morbus.] Per excellentiam quandam κατ' ἐξοχὴν pestis dicitur nomine generis apud Græcos, morbus, sic Liuius Latinè lib. 7. histor. cùm uis morbi, nec humanis consilijs, nec diuina ope leuaretur, lib. 29. tantam incessisse in ea castra uim morbi, & lib. 25. eadem ui morbi repletos, sic Vergilius dixit: *Morbi dira lues* ———————

Sic materna lingua frequentissimè, & uulgo usurpamus dicentes, loco pestis, *Il morbo*, quasi sit omnium morborū maximus, ac princeps, uel etiam fortasse ita usus obtinuit, ut pestis, morbus, nomine generis dicatur, quasi omnes continens morbos. Dicitur enim Græcè νόσος, quicquid sanitatē adimit, & est præter naturam: ita enim est appellatus à particula priuatiua νὸ & σῶον, abiecto ω, quasi ἐστερημένος τοῦ σώου, idest priuatus sanitate, τῆς ὑγείας, alio dictæ uocabulo, quæ cùm sit (ut Galenus testatur primo de differentijs symptomatum) secundum naturam affectio functionis effectrix, siue causa, Græcè διάθεσις (siue κατασκευὴ, quo utitur uocabulo de causis morborum) κατὰ φύσιν τῆς ἐνεργείας ποιητική: morbus, qui est contrarium, erit παρὰ φύσιν κατασκευὴ τῆς ἐνεργείας ἐμποδιστική, idest, constitutio preter naturam, actionem impediens, quod nobis alia Etymologia ostēdit: appellatus enim ab alijs dicitur νόσος ab νὸ particula priuatiua, & σεύω moueor, quòd scilicet motu actionis priuet; uel etiam ita dicta pestis, quòd omnes alij morbi eo tempore in hanc labem permutentur, ut præclarè significauit infra Thucydides,

Cur pestis vocetur nomine generis morbus.

Omnes morbi tē.

des, vbi ait, τὸ μὲν γὰρ ἔτος ὡς ὡμολογεῖτο ἐκ πάντων μάλιστα ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν, εἰ δὲ τις καὶ προύκαμνέ τι ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη, ideſt, annus enim ille, vt in confeſſo erat apud omnes, maximè omnium fuit immunis à cæteris morbis, quòd ſi quis & ante aliquo tenebatur morbo, in hunc omnia cõuertebantur, & deſinebant. Quare rectè cõcludit Alexander Maſſaria in ſuo libello de peſte, ad peſtem omnes morbos referri, quicumque, & qualeſcumque ſint. Et Liuius ſæpè etiam numero multitudinis efferre conſueuit: de peſtilentia enim loquens ait, lib. 37. hiſtor. ingruere morbi vulgo maximè in remiges cœperunt: & Vergilius etiam dixit in 3. de peſte: *Nec ſingula morbi,*

pore peſtis in eã conuertẽtur.

Corpora corripiunt ———————— quod etiam Græci fecere Scriptores, vt Zoſimus hiſtor. 2. μετὰ δὲ ταῦτα νούσων, καὶ πολέμων ἐνσκηψάντων, ideſt, poſt hęc morbis, & bellis ingruentibus, & Diodorus Siculus lib. 12. Bibliothecæ, de hac ipſa Athenienſi peſte loquens ait, εἰς νόσους ἐπιπτον, ideſt, in morbos inciderunt. Quem morem non ſolum eſſe peſtilentiæ docti obſeruarunt, vt in omnes morbos ſeſe conuertat, ſed aliorum quoque morborum, vt potiſſimum luis Gallicæ, quam cõſtat quaſi Proteum varijs formis inuadere, & cum eo, quicumque ſit, cui quiſque maximè ſolet eſſe obnoxius, morbo, coniungi, vt plerumque fallat non ſolum ægrotantes, ſed ipſes etiam medicos. Vel dicendum etiam eſſe atticiſmum, & ἔλλειψιν figuram, qua non ſolum in ſubſtantiuis appellatis, ſed etiam adiectiuis vtuntur Attici, vt ſubintelligatur ἡ νόσος λοιμική, ita enim appellatur paſſim apud Græcos, quod dicitur etiam per ſolum adiectiuum, omiſſo ſubſtantiuo, nempè λοιμική, ideſt, peſtilens, quomodo Razis interpres Græcus inſcripſit librum ex Syriaca lingua conuerſum περὶ λοιμικῆς, ideſt, de peſtilenti, ſcilicet morbo. Meminit huius atticiſmi per ἔλλειψιν, ideſt, defectum, Henricus Stephanus in ſua Appẽdice, vbi agit de vocibus per ἔλλειψιν apud Atticos deſideratis, ſub finem. Vel etiam dicendum voluiſſe Homerum imitari, cuius potiſſimum œconomiam, & ordinem adamaſſe, & conſectatum eſſe teſtatur Halycarnaſſæus, quod etiam de Herodoto autumant, ſed hoc inter eſt, quòd hic longè prudentior furta tegit, ac diſſimulat: ipſe enim Homerus in primo libro Iliadis, vbi facit Gręcorum peſtis

Gallicus quaſi Proteus varijs formis inuadit.

stis mentionem primo appellat eam nomine generis νόσον, deinde proprio λοιμόν. Sub Musæ enim persona dum narrat, quis auctor fuerit dissidij inter Achillem, & Agamemnonem, ait:

Λητοῦς, καὶ Διὸς υἱός, ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν, ὀλέκοντο δὲ λαοί. idest,
Latona, atque Iouis soboles, is in agmina morbum
Iratus Regi immisit, quo affecta peribant.

Mox verò vbi Achillem, qui Medicinam à Chirone Centauro didicerat, inducit loquentem, quasi scientem distinguere speciem à genere, proprio vtitur vocabulo.

ἤδη γὰρ πόλεμός τε δαμᾷ, καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς. idest,
Namque simul iam bella domant, & pestis Achiuos.

Sed non solum Thucydides, & Homerus id fecerunt, verũ passim boni id factitarũt Scriptores, sic Soranus in vita Hippocratis, cùm primo vsus esset vocabulo proprio λοιμῶν, idest, pestilentiarum, variandæ orationis gratia, mox dixit, νόσον morbũ συλλογισάμενος δὲ τὴν νόσον ἐπὶ τὴν ἀττικὴν ἥξειν, &c. idest, cùm ratiocinando collegisset morbum, idest, pestem in Atticam venturum, &c. pro quo vsurpatur etiam interdũ neutrum τὸ νόσημα, sic Thucydides ipse inferius de Peloponnesijs, quos dicit citius recessisse δείσαντας τὸ νόσημα, metu morbi perculsos. Sic paulò infra in hac ipsa peste declaranda vtitur eodem vocabulo, τὸ μὲν οὖν νόσημα. Ipse igitur morbus, &c. quo Hippocrates quoque, ac Galenus vtuntur frequentissime.

Multiplex verbi primũ interpretatio.

πρῶτον, Primum.] Hoc vocabulum ad plura referri potest, atque ita plures etiam sensus nobis afferre Thucydidiæ dictionis: in quo etiam Hippocrati similis hic auctor videtur, quem obseruatum ita coagmentare inter se verba orationis, præsertim in Aphorismis, ut plures referant sensus, & & omnes rei medicæ, & arti accommodatos. Potest igitur primum referri hoc uerbum ad ipsam pestem, ut dicat, tunc primum exortam, & natam cœpisse homines miserrimis illis modis, atque symptomatis exercere. Ex quo præclara dubitatio sese nobis offeret, in arte medica non uulgaris, aut contemnenda, de nouorum morborum exortu. Quem multi sunt, qui denegent fieri posse, cùm autument nullos nouos exoriri inter homines morbos, sed priscos reuerti, & à

medi-

medicis ignoratos denuo cognosci. Alij contra testātur, nouos in dies prodire morbos, qui nunquam antea vllo in loco regnauerint, cuius sententię grauis auctor, ac propugnator est Plutarchus lib. 8. sympos. c. 9. vbi apertissimis, & explicatissimis verbis ostendit id fieri, adductis etiam in mediū nouorum morborū exemplis, cui fautor accedit Plato, qui 3. de Repub. dicit Homeri tempore non fuisse catarrhū, sed suis temporibus ortum ob victus intemperantiam: ex recentioribus Alexāder Traianus Petronius lib. 1. de morbo Gallico, cap. 2. & Marcellus Donatus lib. 6. de med. histor. cap. 4. vbi longam texit nouorum morborum historiam, vt omittā quæ de Anglico sudore à multis, tum Historicis, tum Medicis recēsentur, quæ de Scorbuto, quę de morbo Cocoluche, & similibus nouis morbis literarū sunt tradita monumētis, inter quę recentissimum habemus exemplum noui morbi, qui Polonos inuasit, quod Capillitiū, siue Plica appellatur, de quo extant nuper editæ Patauinorum Medicorum consultationes, & iustum etiam volumen ab Hercule Saxonia publici iuris factum, sub titulo Plicæ: quare denegari nō posse credimus, quin noui possint morbi in dies generari, & ex antiquis etiā aliqui renouari, & reuiuiscere, & quodā modo renasci: sed huic explicationi aduersatur omnis historia antiqua, ex qua habemus complures ante hanc Athenien sem, pestes extitisse: & ideo non potest intelligi de morbi nouitate, qui fuit antiquissimus. Referri secundo loco potest ad ipsam Athenarum vrbem, quæ primum tunc senserit pestilentis morbi vim: nam sæpè videmus morbos ex vna in aliā regionem deferri, quæ nunquam antea illos senserit, vt de Elephantiasi apud Aegyptios morbo frequentissimo constat, qui in Italiam irrupit Pompeij magni temporibus, teste Plinio, nunquam antea in illa visus, vt de Gallico compertū habemus, qui morbus ab Indis occiduis superiori seculo ad nos primo delatus (vt à nobis contra par pari referentibus variolæ, & morbilli ad illos trāsuecti fluxere, quod testantur hi, qui Indiarum prosequuntur historias, nunquam antea ab illis cogniti, quemadmodum neque Græcis Medicis cognitos nonnulli putant) quamuis non desint, qui contra disputent, ac Gallicum ad Græcorum aliquod, vel Arabum morborum genus conentur adducere, sed firmissimis contra

An noui gignātur morbi.

Plica morbus nouus.

tra pugnantium medicorum argumentis facilè refelluntur, vt est videre in magno illo collecto volumine auctorum, qui de Gallica lue scripsere, post quos alij quoque sexcenti libros de illo morbo confecerunt: sed neque hæc explicatio procedit, nam ueteris historiæ testimonio redarguitur, ex qua constat sæpius ante pestilentijs vexatam Atheniensem urbem, de quibus infra dicetur: quare neque de illa potest illud primum intelligi. Accommodari tertio loco potest ad suam, suiq; temporis hominum memoriam, ut scilicet dicat ex sua, hominumq; sui temporis memoria primum aggressam pestem uexare ciuitatem Athenarum. Cui explicationi fauet uerbum, quod paulò infra ponit ἐμνημονεύετο, memorabatur fuisse. Et hęc fortasse retineri non temerè potest. Quarto loco illud uerbum primum potest respicere ordinē belli Peloponnesiaci, in quo non semel pestis incommodis uexati Athenienses, sed reuersa etiam est: nam post hanc pestem, quæ prima corripuit Athenienses in hoc bello, alia rursum, secundo post hanc anno, depasta est. Cui expositioni maximè fauet locus Thucydidis in tertio libro, ubi ponit uerbū huic respondens τὸ δεύτερον, idest secundo. Ait enim ἐπιγενομένου χειμῶνος τὸ δεύτερον ἡ νόσος ἐπέπεσε, idest, ineunte hieme secūdo morbus incidit: quę utrum alia, an eadem fuerit, cùm per annum tantum quieuerit, grassata per bienniū, non est hic disputandi locus. Et hæc quoque non abijcienda explicatio. Quinto loco referri potest ad uim, & magnitudinem huius pestis, quę primum sibi locū inter omnes uendicet, cui fauent interpretationi uerba Thucydidis, quæ statim subsequuntur, λεγόμενον καὶ πρότερον, &c. qui dicebatur multis alijs in locis grassatus, &c. sed nusquam tanta pestilentia, & hominū strages fuit, &c. quasi dicat. primam dico, quia licèt aliæ extiterint in Græcia pestes, leues tamen illę fuere, neque ita memorandæ, ut facilè, ac sine controuersia possim huic deferre principatum, & primam appellare, quasi præ illa cæteræ lusus fuerint, & nihil: non ratione inquā temporis, sed causa magnitudinis, & in hoc ualdè nobis arridet illud πρότερον prius, quod est comparatiuum à primo, ut uel inde eliciatur hanc fuisse Thucydidis sententiam.

Sexto, & postremo loco dicendum illud πρῶτον, cùm sit absolutè positum, esse synonymum cum uerbo superius po

ſtro εὐθὺς, id eſt, ſtatim, ſubito, ut uariandæ orationis gratia (quod etiam paulò ante ſignificauimus,) pro εὐθὺς poſuerit πρῶτον: quod verbum, cùm eſt abſolutè poſitum, teſtantur Grammatici ſignificare αὐτίκα, ſtatim, vt paſſim etiam in ipſis Lexicis legere eſt. Vt ſit ſententia, æſtate ſtatim ineunte, cùm in Atticam regionem impreſſionē feciſſent Peloponneſij, ſtatim etiam cœpiſſe peſtilentia laborare Athenieſes: cui explicationi fauet locus ipſius Thucydidis, ſupra citatus, qui dicit, cùm in Atticam Peloponneſij irrupiſſent κὐνόσος ἤρξατο εὐθὺς, id eſt, morbus inchoauit ſtatim: necnon etiam ipſum oraculum Lacedæmonijs datum, in quo pollicebatur Apollo ſe affuturum illis in hoc bello, & coadiuuaturū. Ex quo Athenienſes maximè perturbabātur, cùm animaduerterent peſtem incœpiſſe ſtatim hoſtibus irrumpētibus, firmiſſimum hoc eſſe argumentum iudicātes diuinitus immiſſam peſtem, & Deū promiſſa Lacedæmonijs patrare, cū illis intactis, ſoli, & hoſtium iniurijs ſimul, & Dei flagello peſte ſcilicet, exercerentur. Sed ego vnicuique integrum relinquo, vt quamlibet harum quattuor poſteriorum accipiat, & ſequatur: verùm antequam hoc verbum dimittam: & ad alia me conuertam, illud eſtis admonendi Græcæ linguę ſtudioſi, legi in nonnullis Codicibus τὸ πρῶτοῦ non πρῶτον, neque tamen mendum exiſtimandum, cùm retineri hæc lectio tanquam germana poſſit: dictum enim Ionicè pro πρῶτον (quod etiā & frequentius Dorici vſurpant) magna enim affinitas inter veterem Atticam linguam, quam adamauit Thucydides, & Ionicam: quare Hippocrates, qui Ionica lingua ſcripſit, Priſcus Atticus appellatus, vt Galenus teſtatur Commento in primum de Fracturis.

ἤρξατο, Cœpit.] Tria mihi videntur hoc loco querenda, cùm dicat Thucydides poſt impreſſionem à Peloponnenſibus factam in Atticam regionem ineunte ęſtate paucis poſt diebus coortam peſtem. Primum quo menſe cœperit, & de diuiſione ipſius anni, cum alio pacto Hiſtorici, alio Medici diuidant annum, & alio Aſtrologi: deinde quo tempore, vt plurimum ſoleat peſtis inuadere, & etiam deſinere, tertio, quamdiu perdurare. Aſtrologi igitur, quos omnis aliorum Scriptorum natio videtur ſecuta, annum diuidunt in quattuor partes, à duobus Solſtitijs; quæ vocant τροπὰς, quod

verbū Latinè sonat cōuersiones, & à duobus Aequinoctijs, quæ vocant ἰσημερίας, accepta diuisione, à quibus etiam duos maiores, & duos minores orbes in Sphæra appellarūt (nam à Solstitio æstiuo, quod fit mense Iunij, sub Cancro τροπικὸν Cancri nominarunt eum globum, & circulum minorem, à brumali, quod fit mense Decembris sub Capricornum, tropicum Capricorni vocitarunt oppositum circulum: duos verò maiores circulos Coluros appellatos ab imperfecta circumuolutione (cùm Sphęra enim tantum sunt mobiles circa duo propria circumferentię puncta vtrique, & mundi Polis communia, non autem secundum positionem per longum eiusdem circumferentiæ, vt Aequator, & Zodiacus) alterū Solstitiorum, quòd per ambo Solstitia, & ipsius Eclipticæ, idest Zodiaci Polos transeat, alterum æquinoctiorum, quòd puncta ipsa æquinoctiorum secet. Horum verò æquinoctiorum alterum vernale est, quod fit mense Martij sub Ariete, alterum autumnale, quod fit mense Septembris sub Libra) Quoniam verò hi diuidunt Aequatorem, & Zodiacum in quattuor insigniores quadrantes eisdem æquinoctialibus, & solstitialibus punctis discretos: ideo annum in quattuor partes diuiserunt accomodantes quattuor ætatibus, humoribus, & quattuor mundi partibus, suo modo: & vnicuique tria signa assignarunt. Veri, Arietem, Taurum, Geminos; Aestati, Cancrum, Leonem, Virginem; Autumno, Libram, Scorpium, Sagittarium; Hiemi, Capricornum, Aquarium, Pisces: quos imitati fortasse Grammatici, singula tempora in tria diuiserunt, in nouum, siue iniens; in medium, siue summum, & in præceps: quę Græcè ita vocantur νέον, siue ἀρχὴ. μέσον, siue ἀκμὴ, & τελευτὴ, quod etiam dicimus φθῖνον καὶ λῆγον: Ipsi verò Astrologi tria hæc signa varijs vocabulis appellarunt. Primum dicunt mobile ratione mutationis temporis anni: secundum fixum, quòd eo tempore suum statum tempus habeat: tertium commune, quòd tunc alterum desinat, & alterum incipiat. Medici verò, quāuis & ipsi hæc quattuor tempora posuerint: non tamen æqualia inte sese faciunt; neque ita distinguunt, vt vnicuique tres menses assignent, vt isti: sed his positis tanquam fundamentis Autumnum, & Ver tanquam simplices partes ponunt ἀτμήτους, idest, indiuisas: Aestatem longiorem in duas partes

Anni diuisio secudū Astrologos.

partes, hiemem omnium longissimã in tres partes partiuntur, neque à mensibus, quandoquidem non est eadem mensium ratio apud omnes, vt inquit Galenus, sed ab ortu siderum eas nominãt, & inchoant. Ver dicunt incipere ab æquinoctio verno. Galenus 3. Aphorism. 14. μετὰ τὸν χειμῶνα ἰσημερία τὴν ἀρχὴν ἔχει τοῦ ἦρος, idest, post hiemem æquinoctiũ principium habet Veris: quòd, quando incipiat, magna est controuersia: nam Galenus in Epid. cont. 1 dicit fieri principio Artemisij, secundum Macedonas, qui mensis ab Aetio dicitur esse mensis Maius: sed non conuenit ratio mensium Grecis cum Macedonibus, propter quam causam de mensibus non esse locutum Hippocratem, dicit Galenus. Idem Aetius eodem loco, nempe lib. 3. cap. 164. dicit incipere hoc æquinoctium fieri xxiij. mensis Martij. Μηνὶ Μαρτίῳ κγ ἰσημερία ἐαρινή ἐστι, idest, mense Martio xxiij. æquinoctium vernale est. Varro lib. 1. de re Rustica, c. 28. dicit dies primus Veris est in Aquario; mox ait, quæ diuisio redacta ad dies ciuiles nostros, qui nunc sunt primi verni temporis extant ad vij. Idus Februarij. Plinius lib. 18. cap. 26. dicit, Aequinoctium vernum ad viij. Kal. April. peragi: quod est dies xxv. Martij: Nicæna Synodus xij. Kal. Aprilis, idest, diem xxj. Martij assignauit. Astronomi quidam decimum diem Martij, quidam medium mensis: quidam recentiores, multum recessisse dicentes, assignant viij. Idus Martij; nunc, communis opinio tenet fieri v. Idus Martij, idest, xj. die, quæ est vigilia festi dicati D. Gregorio: quare vulgo iactatur ea die aues transmarinas remeare, durat usque ad ortum Pleiadum, siue Pleiadis (vtroque enim modo dici, testatur Galenus) vernales Vergilias vocant Latini, ὑπὸ πλειάδων ἀνατολὴν, qui fit circa iv. Kal. Maij, idest, xxviij. mensis Aprilis, quod spacium non peruenit ad duos menses: quare breuissima apud Medicos anni pars, Ver. Ab his ad ortum Arcturi est æstas, qui fit iv. Kal. Septembris, idest, xxix. Augusti, hoc est, duodecim dies ante æquinoctium Autumnale, licèt recentiores dicant fieri Solstitium die xiv. Septembris: quod si ita est, erũt dies xvj. ante Solstitium: & sic æstas est quattuor mensium, quam secant rursus in duas partes, primam appellant ὡραίαν, quæ est ab initio vsque ad ortũ Sirij, quem nonnulli vocant κύνα, idest, canem, sed abuti eos dicit Galenus notione ver-

Anni diuisio secũdũ Medicos.

bi τῆ τοῦ παντὸς ἄςρου προσηγορίᾳ. Canicula enim nõ est astrũ, quod est quiddam ex multis stellis constans sidus, sed stella tantum vnica ἐπὶ γένυος αὐτοῦ in genu ipsius, quam potius appellandam dicit, πρόκυνα, idest, anticanẽ. Hinc fructus horarij apud medicos in frequẽti mentione sunt: quæ pars etiã nomine generis vocitatur, teste Galeno, nempe θέρος, idest, æstas: ab ortu Sirij vsque ad arcturum est altera æstatis pars, quę dicitur ὀπώρα, unde oporarij etiam fructus nominantur: ab Arcturo usque ad occasum Pleiadum Autumnaliũ, qui fit circa Non. Nouembris, qui est dies quintus, durat Autumnus, τὸ φθινόπωρον, ab hoc tempore usque ad æquinoctium vernale, quod fieri diximus v. Idus Martij hiems appellatur, quod spacium est longissimum, & plusquam quattuor mensium: & ideo eam partiti sunt in tres partes, primũ tempus ante Solstitium appellarunt σπορητόν, idest, seminale, quòd seminibus terræ mandandis esset idoneum, medium illud tempus, μέσον χείμωνα, mediam hiemem, siue brumam, vel brumale Solstitiũ, Tertiam partem, quæ consequitur vsque ad initium Veris, φυταλίαν, idest, plantariam, quòd serendis, & plantãdis sit arboribus idonea, adeo ut in septẽ partes annus secundum Medicos sit diuisus, ut fecerat Hippocrates in Hebdomadis. ἔαρ, ὥραν, siue θέρος, ὀπώραν, φθινόπωρον, σπορητόν, μέσον χείμωνα, φυταλίαν. Thucydides verò in duas tantũ partes annum diuisit, nempe æstatem, & hiemem, vt in principio huius secundi libri, vbi ait, γέγραπται δὲ ἑξῆς ὡς ἕκαστα ἐγίγνετο κατὰ θέρος, καὶ χείμωνα. Scriptum verò est (bellum) ordine, vt singula quæque acta sunt æstate, ac hieme. Et hęc videtur fuisse communis apud multos veteres diuisio anni in duas tantum partes; quare cùm Aristoteles in probl. 2. p. probl. 21. 33. & 42. dicat ex veterum omnium sententia corpora potius exercẽda in æstate, quàm in hieme. Petrus Aponensis meritò iudicauit sub nomine hiemis intelligendum Autumnũ, Hiemem, & Ver: & Euagrius lib. 4. in descriptione pestis videtur diuidere in Hiemẽ, & Ver, Aestatẽq; sub Vere collocare, cùm dicat alios peste correptos hieme, alios Vere permanente, alios æstuante: ἑτέρους ἦρος διατελοῦντος, ἄλλους θερίζοντος, idest, alios Vere permanente alios æstuante. Titus quoque Liuius videtur hãc anni diuisionẽ in hiemẽ, & æstatẽ, aliquando sectatus; nam lib. 5. hist. ita ait, Tristem

Anni diuisio secũdũ Thucydidem.

hiemem; siue ex intemperie cæli, raptim mutatione facta in contrarium, siue alia qua de causa, grauis, pestilensq; omnibus animalibus æstas excepit: videtur verò idem Thucydides partitus æstatem in tres partes, nempe Ver, æstatis vigorem, & Autumnum: nam in hoc secundo libro, vbi gesta primi anni explicat, dicit primum ἦρι ἀρχομένῳ, idest, ineunte Vere Thebanos ingressos Platæam, mox de incursione Peloponnensium inquit, Μετὰ τὰ ἐν πλαταίᾳ τῶν ἐσελθόντων θηβαίων γινόμενα, ἡμέρᾳ ὀγδοηκοστῇ, μάλιστα τοῦ θέρους, καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος ἐσέβαλον εἰς τὴν ἀττικὴν, idest, post ea, quæ ad Platæam ingressis Thebanis gesta sunt, die octogesima, æstate, frumentoq; maturo Atticam inuaserunt. Postremo ait, περὶ δὲ τὸ φθινόπωρον τοῦ θέρους τούτου, ἀθηναῖοι πανδημεὶ αὐτοί, καὶ μέτοχοι ἐσέβαλον ἐς τὴν μεγαρίδα, idest, sub huius æstatis Autumnum Athenienses populatim & ipsi, & inquilini impetum fecerunt in Megaricam regionem. Quo verò mense inchoaret Ver apud Thucydidem declarat Acacius in sua Chronographia in Thucydidis historiam, vbi admonet notandum, quòd Thucydides annos suæ historiæ orditur à primo Sole circa, vel ante mediũ Aquarij (in quo, inquit Acacius, Ver suum veteres in regionibus paulò magis Australibus solebant inchoare) existente, videlicet post principium Februarij mensis anni Iuliani, qui erunt, teste Varrone lib. 1. cap. 28. de re Rustica, ad vij. Idus Februarij: ita enim Varro, qui nunc sunt primi uerni temporis extant ad septimum Idus Februarij, idest, septimo die mensis Februarij. His ita se habentibus, erit dicendum cœpisse extremo Vere pestem Atheniensium: nam hic incipit secundi anni gesta narrare, cùm præcedant hæc uerba, τοιός δὲ μὲν ὁ τάφος ἐγένετο ἐν τῷ χειμῶνι τούτῳ, καὶ διελθόντος αὐτοῦ πρῶτον ἔτος τοῦ πολέμου τοῦδε ἐτελεύτα, idest, Huiusmodi funus celebratum est hieme, quã præterita primus annus belli huius finitus est. Quare cùm paucis diebus post incursionem in agrũ factam (quã dicit fuisse θέρους εὐθὺς ἀρχόμενον, non ut supra ἀκμάζοντος, idest Vere ineunte, quod est prima pars æstatis, ut probatum est ex ipso) euenisse dicat, in ipso Vere cœpisse iudicandum est: neque me mouet Galeni auctoritas à sententia, qui primo de differentiis febrium, uidetur significare ex nimia æstatis caliditate ortam pestem, citato ex ipso Thucydide loco. ἐσὶ

Quando cęperit pestis Atheniensiũ.

δ᾽ ὅτε κατάρχῃ μὲν ἄμετρος θερμασία τοῦ περιέχοντος ὡς ἐπὶ τοῦ καταλαβόντος ἀθηναίους λοιμοῦ, καθὰ ὁ Θουκυδίδης, ἀλλ᾽ ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρα θέρους διαιτωμένων ὁ φθόρος κατὰ τὸ σῶμα ἐγίνετο, τῷ δὲ εἶναι τοὺς ἐν τῷ σώματι χυμοὺς ἐκ μοχθηρᾶς διαίτης ἐπιτηδείους εἰς σῆψιν, ἀρχὴ τοῦ λοιμώδους γίνεται πυρετοῦ, idest, Interdum verò dominatur immodicus calor ambientis, vt in ea peste, quæ Athenienses adorta est, quemadmodum recitat Thucydides, dicens in Tuguriolis suffocatorijs tempore æstatis habitantibus clades, & corruptio corpus corripiebat. Quia verò erant in corporibus succi ex praua victus ratione parati ad putredinem, principium pestilentis fuit febris: nam hic multa sunt notanda, primum in Latino interprete viro alioqui doctissimo Leoniceno in illo verbo κατάρχῃ, quod vertit præcedente, esse errorē: non enim ibi præcedere, sed dominari significat, quod fuit in causa, vt multi, qui de peste scripserunt, errauerint, dicentes, hanc pestem ortā ex præcedentis æstatis calore: deinde Galenū legisse θέρους, cum sit ἔτους: quod ita est intelligendum, vt dicat Thucydides, quia tempus anni vernum ita ferebat, vt possent in suburbanis habitare, vt moris erat Athenieñsibus, accedit, quòd licèt legeretur θέρους, idest, æstatis, esset Thucydidio more intelligendum, nempe, vt diximus, verno tempore, quod est prima æstatis pars. Sic intellexit Lapus Florentinus in Plutarchi Pericle vertendo, vbi narratur hoc idem factum, & legitur apud Plutarchum in vulgatis Codicibus Basileæ impressis, θέρους ὥρα, quemadmodum apud Galenum; ipse tamen vertit Veris tempore, quòd si Græcus quoque Codex apud illum habuit ἦρος ὥρα, idest, Veris tempore, tanto magis nostra confirmatur opinio. Additur ad hoc, quòd verbum illud πνιγηραῖς non caloris vim exprimit, aut ambientis totius caliditatē, sed locorum angustiā, qua cùm premerentur, quasi suffocans priuatus aer fiebat, & æstuosus. Postremo si etiam (vt isti volunt) esset intelligendum de æstatis ipso tempore, non tamen efficeretur æstate inchoasse: ibi enim loquitur Thucydides de progressu ipso morbi, & incremento ex occasione caloris facto: sed de hoc satis.

Leoniceni error.

De tempore verò in vniuersum, quo, vt plurimum consueuit, pestis inuadere ita statuendum, quòd licèt (vt præclarè docuit Hippocrates Aphor. 3. Aphor. 19.) omnes morbi in omni-

omnibus temporibus fiant, cùm non semper (vt ibi docet Galenus) ex aeris ambientis temperamento morbi oriantur: nonnulli tamen in quibusdã magis tum fiunt, tum irritantur. (in quo obiter interpretis Latini in vulgata Galeni editione error notandus, qui vertit, excitantur, cùm Græcũ dicat παροξύνεται, quod est aliud quippiam quam excitari) totus verò Aphorismus Græcè ita se habet, Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσι ὥρῃσιν γίνεται, μᾶλλον δὲ ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων, καὶ γίνεται, καὶ παροξύνεται, idest, Morbi omnes in omnibus temporibus fiunt: magis verò nonnulli in quibusdam ipsorum, & fiunt, & irritantur. Pestis verò ex his est, quæ licèt possit omnibus temporibus excitari: plerumque tamen exoriri consueuit, & sæuire initio Veris, & sub finem Autumni: quam quidem sententiam, licèt res ipsa, & experientia probet, & vulgo ita homines fateantur: pauci tamen sunt, qui id asseuerent auctores: de Autumno quidem consentiunt Arabes, sed initio fieri dicunt, sic Auicennas lib. 1. Fen. 2. doct. 2. c. 9. Pestilentia autem, & aeris putrefactio secundum plurimum euenit in postremo æstatis, & in Autumno, quod eisdem ferè verbis Rasis comprobat in 4. ad Alman. cap. 25. initio. Qui etiam solus in libello περὶ λοιμικῆς, idest, de pestilenti morbo apertè id explicat cap. 3 ita enim ex Syriaca in Græcam conuersus ait: ὁ δὲ καιρὸς ἐν ᾧ ἐπιδημεῖ, καὶ πληθύνει, ἐστὶν οὗτος. τὰ ἔσχατα τοῦ φθινοπώρου, καὶ ἀρχὴ τοῦ ἔαρος, idest, Tempus, in quo vulgatur, & augetur, est hic, extrema Autumni, & initium Veris: vbi illud etiam non contemnendum docet, fieri interdum, vt in regionibus quibusdam incolę assuetudinis vi non lędantur, etiã in pestilentem statũ aere sensim permutato: sed tamen mox in optimo occupantur statu ab ipsa peste. Quod in sua descriptione Euagrius lib. 4. testatur accidisse, vbi id tanquam maximè obseruandum notat. Τόδε πάντων παραδοξότερον τοῦτο ἦν, ὅτι εἴγε συνέβαινε τῶν εἱλημμένων πόλεων οἰκήτορας ἑτέρωθι διάγειν, ἔνθα τὸ πάθος οὐκ ἐπέσκηψε, κἀκεῖνοι μόνοι τοῖς παθήμασιν ἡλίσκοντο, idest, Hoc verò præter omnium maximè opinionem accidebat, quòd si euenisset correptarum peste Ciuitatum incolas alijs in locis habitare, quæ morbus non inuaserat, illi soli pestilentibus affectibus corripiebantur, ex quo obiter nonnullorum opinio refelli potest, qui dicunt Hippocraticam doctrinam de

Pestis vt plurimũ sæuire solet Autumno, & Vere.

Hippocratis doctrina de constitutionibus defensa.

de constitutionibus, non esse veram, quia scilicet nō statim consequantur, quæ prædicuntur ab illo in Aphor. ægritudines: nam possunt paulò post aggredi resistentibus primæ impressioni ambientis corporibus regioni assuetis. Hæc sententia Rasis, quòd Vere ineunte, & Autumno sæuiat pestis, videtur desumpta ex Hippocrate in 3. Epid. Cōmen. 3. tex. 71. in fine illius vniuersalis constitutionis, vbi ait; ἦν δὲ πᾶσι τοῖς ὑπογεγραμμένοις χαλεπώτατον μὲν τὸ ἔαρ, καὶ πλείστους ἀπέκτεινε, τὸ δὲ θέρος ῥήιστον, καὶ ἐλάχιστα ἀπόλλυντο. τοῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ ὑπὸ πλειάδων πάλιν ἔθνησκον οἱ πολλοὶ τεταρταῖοι; idest, Fuit verò omnibus antescriptis Ver difficillimū, & complures occidit: æstas verò facillima, & paucissimi moriebantur, Autumno, & sub Pleiadem rursus moriebantur multi Quartani: quod etiam paulò ante dixerat cont. 66 ubi apertissimis uerbis Ver, & Autumnū pernitiosum ostendit Hiemem, & Aestatem non ita: ait enim, μέγιστον δὲ καὶ χαλεπώτατον, καὶ πλείστους ἔκτεινε τὸ φθινῶδες, πολλοὶ γὰρ τίνες ἀρξάμενοι κατὰ χειμῶνα, πολλοὶ μὲν κατεκλίθησαν, οἱ δ᾽ αὐτῶν ὀρθοστάδην ὑπεφέροντο, πρωῒ δὲ τοῦ ἦρος ἔθνησκον οἱ πλεῖστοι τῶν κατακλιθέντων. τῶν δ᾽ ἄλλων ἐξέλιπον μὲν αἱ βῆχες οὐδενὶ, ὑφίεσαν δὲ κατὰ θέρος ὑπὸ δὲ τὸ φθινόπωρον κατεκλίθησαν πάντες, καὶ πολλοὶ ἔθνησκον, μακρὰ δὲ τούτων οἱ πλεῖστοι διενόσεον, idest, Maximum uerò & difficillimum erat malum, quodq; plures occidit tabes. plerique enim multi cùm cœpissent ægrotare per hiemem maiori quidem ex parte decubuerunt, pars recti sustinebant, paulò ante Ver mortui sunt plurimi eorum, qui decubuerant, & ex alijs nulli quidem cessarunt tusses, sustinuerunt autem per æstatem, sub Autumnum decubuerunt omnes, & multi perierunt: longis verò morbis plurimi ægrotabant. Quem locum explicans Mercurialis in suis Scholijs, ita preclarè in hanc sententiam loquitur. Id præ cæteris cōditionibus solet plerumque habere pestis, ut in hieme uix emergat, Vere sese magis prodat: Autumno autem pessimè omnium tractet, cùm alioqui Autumnus suapte natura exitialis esse soleat. Ex recentioribus, qui de peste scripsere, Marsilius Ficinus hanc tuetur sententiam, qui in Consilio de peste ita ait materno sermone (libet enim, qua quisque lingua scripsit, eadem illius sententiam non mutatis uerbis recitare. Extat enim etiam Latinè, nec malè conuersum) cap. 6.

Comprobatur testimonijs Medicorum Vere, & Autumno pestē potissimū sæuire.

sub

ſub finem, *Regna nella Primauera, più nella State, più nello Autunno.* & Bernardinus Tomitanus in Conſilio de peſte Veneta, 1556. cap. 9. planius, & explicatius proponit ſententiam, materna etiam lingua: *Sono proportionati alla generatione della peſte il principio della Primauera, & il fine dell' Autunno.* Alij etiam complures, quos omitto ſtudio breuitatis.

Subſcribunt Medicorũ decretis, & opinionibus Hiſtoriæ, ex quibus colligi poteſt maximas quaſque peſtes, aut Vere, aut Autumno inchoaſſe, & ne longius abeamus, hæc Atheniensis cœpit Vere; & cùm poſt biennium ceſſaſſet: tertio rurſus anno, repulullauit Autumno, ipſo teſte Thucydide, in tertio huius hiſtoriæ, vbi ſcribit, ἐπιγενομένου χειμῶνος τὸ δεύτερον ἡ νόσος ἐπέπεσεν, ideſt, ſuperueniente hieme ſecundo morbus inuaſit. Cùm enim ipſe diuidat annum in duas tantum partes hiemem, & æſtatem, principium hiemis eſt finis autumni. Illa magna peſtis Bizantij coorta, quam narrat Agathias lib. 5. Vere cœpit, ſic illo teſtante, ἐκείνου δὲ τοῦ ἔτους ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ ἡ λοιμώδης νόσος αὖθις τῇ πόλει ἐνέπεσε, ideſt, illius verò anni Vere ineunte peſtilens rurſus morbus in Vrbem inuaſit. Dionyſius Halycarnaſſæus lib. 9. teſtatur ortam Autumno peſtilentiam. ἤρξατο μὲν οὖν ἡ νόσος περὶ τὰς Καλάνδας τοῦ Σεπτεμβρίου μηνός, διέμεινε δὲ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὅλον, ideſt, Cœpit igitur morbus circa Kalendas Septembris menſis. Permanſit verò annum illũ totum: & vt à Græcis abeam, Latinos aliquot teſtes laudabo. Liuius, qui perraro, vbi verba facit de peſtilentijs, tempus addit, lib. 25. cœpiſſe Autumno illam inſignem peſtem dicit. Acceſſit & peſtilentia commune malum, quod facilè vtrorumque animos auerteret à belli conſilijs: nam tempore Autumni, & locis natura grauibus, multo tamen magis extra vrbem, quam in vrbe intoleranda vis æſtus per vtraque caſtra omnium fermè corpora mouit, & primo temporis, ac loci vitio, & ægri erãt, & moriebantur; poſtea curatio ipſa, & contactus ægrorum vulgabat morbos, &c. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 7. de peſtilentia illa ſub Nerone. Subſequente Autumno tanta Vrbi peſtilentia incubuit, vt triginta millia funerum in rationem Libitinæ venirent. Sigonius de regno Italiæ lib. 2. anno 615. meminit ingentis peſtilentiæ, quæ Autumno cœpit, his verbis: Eodem anno, Auguſto menſe, indictione tertia, terra

Hiſtoriarum teſtimonijs idem confirmatur.

ingenti motu contremuit: Terræmotum verò fœdissima lues est consecuta, &c. & lib. 3. alterius ingentis, quæ Vere cœpit sub anno 748. Eodem ineunte primæ indictionis Vere, cùm ingrauescere morbus in vrbe Constantinopolitana cœpisset, tum per æstatem omne acerbitatis suæ virus effudit, integris domibus exhaustis, &c. Illa sæuissima, quę Ioannis Boccacij temporibus debacchata est, Vere etiam cœpit, sic illo testante: *Quasi nel principio della Primauera dell'anno predetto, horribilmente cominciò i suoi dolorosi effetti, & in miracolosa maniera à dimostrare*: nostra memoria pestis, quæ in hac vrbe sæuijt, Vere repullulauit. Sic enim Natalis de Comitibus in sua histor. lib. 27. vbi per vernum tempus pestilentia, quæ per hiemem latuerat, repullulasset, magna, ac miserabilis strages edita est Venetijs. Sexcenta alia possem laudare testimonia, sed hæc in re perspecta, ac plana satis esse arbitror futura.

Causę cur pestis Autumno sæuiat.

Causæ verò cur Autumno sæuiat, hæ afferri possunt: prima, Temporum uarietas, & inconstantia, ac subitæ, crebręq; permutationes à frigore ad calorem, à serenitate ad pluuiã: aer enim subtilis redditus ob calorem, qui præcessit, æstatis, facilè recipit impressiones omnes, & uapores: neque tamen ita facilè potest eos dissipare, ob eundem iam imminutum calorem: secunda, Humores adusti in æstate præcedenti: tertia, Corporum, calore fractorum ante in æstate imbecillitas: quarta, Eorundem constipatio, materia ad interiora recedente: quinta, Prohibita excrementorum superuacaneorum resolutio, & transpiratio: sexta, Fructuum usus copiosior, & similia. De Vere autem, cùm dicatur esse saluberrimum, ὑγιεινότατον ab Hippocrate, nulla melior afferri causa potest, quàm Razis illa antedicta; vt tunc in optimo statu corripiantur peste, à suo contrario seminarijs illius extra protrusis. Vel quia tunc mouetur sanguis, & aer ipse est calidus, & humidus (ut inquit Ficinus) & ideo aptus ad procreandam pestem. Sic Ioubertus in libello de peste, cap. 9. cùm dixisset, pestẽ apud nos hieme sæuo extingui, ut apud Orientales summo feruore, mox addit, Quæ uerò nõ potuit à gelido aere uinci, & repercuti, Vere inchoante rediuiua, quando humores liquari, & turgere incipiunt, bellum redintegrat: & hæc generatim, & paucis de ipso uniuerso tempore. De particulari uerò, mensium scilicet, & dierum, non

Cur Vere sæuiat.

quæri

quæri solet ita frequenter apud Medicos; nō desunt tamen, qui de his quoque sermonem, & præcepta ex diuturna obseruatione collecta instituant: Ioubertus in eodem libro, & cap. obseruauit, & testatus est pestem longè plures turgente, uel silente Luna, quam alijs temporibus, & corripere, & tollere, infantes, pueros, & senes magis silente Luna, ob uim excrementorū humidorum: turgente uerò periclitari magis iuuenes, maximè carnosos, & succulentos: quia tunc maximè commouetur sanguis, & putrescit. Marsilius Ficinus paulò scrupulosius docet etiam diei horas, & particularia magis tempora animaduertere, Solis scilicet ortum, & occasum, mediam noctem, atque meridiem. Cui subscribit Prosper Borgarutius in Tract. de peste, ubi dicit, oriente, & occidente Sole, magis sęuire pestē, quàm alijs horis: nec desunt alij complures ex recentioribus, qui hæc persequantur; sed hæc arbitror sufficere pro re nata dixisse. Ex quibus habetis non solū quando soleat pestis incipere; sed etiā quando cessare, nempe eisdem temporibus interdum, interdum summa hieme, interdum æstatis ipso feruore, & maximis caloribus, licet in his quoque maximè debacchetur. Verùm non omnino certa sunt, & determinata hæc tempora, sed ut plurimum ita accidit, & iam ad tertium problema propositum aggrediamur, quod etiam sempiternam non habet ueritatem, sed ut plurimum, quod non solum his de peste theorematis euenit, sed omnibus ferè medicis Aphorismis, & præceptis, cùm enim ars nitatur coniecturis, & incerta sit, non possunt in ea esse perpetuò uera dogmata, sed interdum fallunt omnia. Hoc verò erat quanto soleat tempore perdurare. Hanc Atheniensem biennium sæuisse scimus, vt alias complures: qualis illa Romæ fuit anno 384. de qua Orosius, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit, vt etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos, afflictosq; dimiserit. Cuius etiā facit mentionē Liuius lib. 7. vbi alijs verbis biennij meminit dicens: Et hoc, & insequenti anno, &c. Pestis illa, quæ Romæ sæuijt sub Adriano vj. anno salutis 1522. biennium permansit, & mox cessauit, Demetrio quodam Græculo Taurum immolante: de qua re Iouius, & alij Historici recentiores. Pestis, quæ postremo Venetam hanc vrbem acerbissimè vexauit, per biennium

Qua parte mēsiū, quib' diebus, & horis magis sæuiat pestis.

Pestis trienniũ vt plurimũ perdurat, & cur.

diuagata, postea sedata est, vt meminisse etiam vos potestis, uel saltem ab alijs audiuisse. Sed statum tempus esse permanendi quidam uolunt trienniũ: cuius opinionis auctor est Cardanus lib. 2. de Subtilitate, ubi ita determinat: Illud sanè certum est, tot fermè esse modos pestis, quot tempora; nulla tamen pestis ultra triennium sæuit: cuius rei mox causas reddit has, dicẽs: Causa multiplex est; prima, quia si tam diu sæuiat, non habet fermè, in quos sæuiat: deinde aer ipse, cùm leuissimæ (ut dictum est) sit substantiæ, ulteriorem putredinem pati non potest: ostensum est enim superius, quæ computruerint, non amplius esse putrida. Accedit, quòd uix fieri potest, ne in tanto tempore aer moueatur, & in uentos transferat, quod corrumpitur. Videtur etiam omnibus pessimis rebus Dei beneficio modus quidam impositus. Nam nec serpentes multiplicari uidentur ultra metam quandã, nec acuti morbi ultra quartumdecimum. Hæc ille. Quę etiã ex historijs multarum pestium exemplis possunt comprobari, quæ hunc terminũ attigere triennij, nec ulterius progressæ sunt. Liuius lib. 16. ipse exercitus ægrè explebatur propter pestilentiam, quæ iam tertium annum Vrbem Romanam, ac Italiam uastabat, &c. & lib. 4. ait, imbelle triennium fermè pestilentia, inopiaq; frugum circa A. Corneliũ Consulem fuit, quæ mox cessauit eodem anno. Valerius Maximus lib. 1. cap. 7. de miraculis: Triennio continuo uexata pestilentia, Ciuitas nostra, cùm finem tanti, & tam diuturni mali, neque diuina misericordia, neque humano auxilio imponi uideret, &c. quæ cessauit eodem anno, Angue Aesculapij in Vrbem deportato. Pestis illa celeberrima, quæ describitur à Boccacio, Ioãne, & Matthæo, cognomento Villanis, & alijs multis Scriptoribus: cuius meminit etiam in Siphilide Fracastorius, per triẽnium debacchata est, postea cessauit. Sub Clemente VII. pestis illa acerbissima, ex qua uix decimus quisque ex millessimo homine traditur superfuisse per triennium desæuiit. Multas alias possem uobis ex historiarum, tum ueterum, tum recentium penu depromere, sed nolo uestra abuti audiendi patientia. Hanc sententiã Cardani exagitat Iulius Cæsar Scaliger in exercitatione 32. his uerbis: rectè, consultòq; signatũ uerbum inseruisti huic sententiæ, nulla pestis sæuit ultra triennium. Verbum inquã

hoc

hoc sæuit, necessarium fuit ad tuendam orationis tuæ dignitatem: nam mollius si sit, falsum efficiat. Sunt enim pestiferæ quędam regiones, à quibus aut nunquam, aut raro auellitur, Tolosæ aliquando, & in Prouincia tandiu perseuerauit, vt septenniũ superaret. Sed plures adhuc annos continenter permansisse pestẽ habemus ex historijs: illa grauis pestilẽtia apud Euagrium annos duos, & quinquaginta sæuijt: de qua ita Euagrius, νόσον δεύτερον, καὶ πεντηκοστὸν ἔτος κρατησάσης, idest, de morbo, qui per alterũ, & quinquagesimũ annum regnauit: & sub finẽ narrationis, ἐνεμήθη τοίνυν ὥς μοι λέλεκται, μέχρι τοῦ δεῦρο, δύο καὶ πεντήκοντα χρόνους τοῦτο τὸ πάθος, idest, Depastus est igitur, vt à me dictum vsque nunc duos, & quinquaginta annos, hic affectus, Philostrati temporibus regnauit annos quindecim pestis: quare mirari immeritò dicit illum Euagrius, si respiciat ad suam illã. Illa ingens pestis, quæ sub Gallo, & Volusiano orbem vexauit; de qua Orosius lib. 7. cap. 21. decennium integrum perdurauit, quoad scilicet ad profligandas Ecclesias edicta Decij cucurrerũt: de qua ita Cæsar Baronius in tertio volumine, ab Aethiopia eã originem duxisse, in vniuersumq; orbem progressam vix intra decennium quieuisse tradunt. Quam etiam nonnulli sunt auctores, qui autument ad decimumquintum annum peruenisse. Sed adhuc pestes reperiuntur, quæ per dies tantũ perdurarunt, vt illa Dauidis in Sacris literis, quædã per menses tres, quattuor, & plures, quas persequi, quia sunt frequentissimæ, esset nimis putidum, & alienum. Susius arbitratur statũ tempus pesti esse sæuiendi quinque mẽses, si hoc excesserit esse recidiuam morbi. Hoc tantum theoremate nostra claudetur, ac desinet disputatio, quòd scilicet Aphorismi, omnes, & theoremata de pestis moribus, & natura (quemadmodum in tota ferè accidit medicina, in qua nullum sempiternę veritatis, ac perpetuum theorema potest, vel solet reperiri) vt plurimum vera sunt, non perpetuò, quia scilicet pestis quasi nouus Proteus varias formas induit, variosq; proinde mores pręsefert, ac consuetudines in hoc vno semper, sibi constans, quòd vbique, & semper pernitiosa.

Pestilẽtię, quæ multos annos permansẽrunt.

Theoremata medica vtpluirimũ vera sunt, nõ semper.

Λεγόμενον, Quod dicebatur.] Notat hoc loco Scholiastes Græcus atticismum Thucydidis, qui cùm prius dixisset ἡ νόσος fœminino genere, mox adiunxit participium neutri generis,

neris,

neris, quasi, vt ipse putat, respiceret ad aliud vocabulum rem ipsam significans, quod est neutrum; nempe *νόσημα*, quod frequenter ab Homero etiam factū asserit. Sed melius Suidas, qui dicit hoc fuisse præcipuum in Thucydide, vt huiusmodi figuris vteretur. Inquit enim: *οὗτος ὁ συγγραφεὺς μεταβαίνειν εἴωθεν ἀπὸ τῶν θηλυκῶν εἰς οὐδέτερα. οἷον τρέπονται εἰς Μακεδονίαν, ἐφ᾽ ὅπερ, καὶ πρότερον. καὶ Θουκυδίδης γράφει*, idest, Hic scriptor consueuit à fœmininis ad neutra vocabula migrare, vt iter vertunt in Macedoniā, in quod & ante. Et hæc est Thucydidis propria, peculiarisq; scribendi ratio. Hoc etiam adnotauit inter Thucydidis idiotismos, Dionysius Alexander Halycarnassæus his verbis: *πληθυντικῶν τε, καὶ ἑνικῶν ἐναλλάττων τὰς φύσεις, καὶ ἐγκατηγορῶν ταῦτα ἀλλήλων θηλυκά τε ἀρσενικοῖς, καὶ ἀρσενικὰ θηλυκοῖς, καὶ οὐδέτερα τούτων τισὶ συνάπτων, ἐξ ὧν ἡ κατὰ φύσιν ἀκολουθία πλανᾶται*, idest, Et pluralium (vtar contritis Grammaticorum vocabulis, vt planius intelligar) ac singularium naturam commutans, & dici hęc vicissim de se faciens, fœmineaq; masculis, & mascula fœmineis, ac neutra horum aliquibus coniungens, ex quibus naturalis cōsecutio orationis diuagatur, & errat. Quare qui emendant *λεγομένη*, videntur nō agnouisse atticismū, & morem Thucydidium; qui tamen omnibus ferè magnis scriptoribus esse solet familiaris, & nos huiusmodi plura exempla collegimus in nostris varijs lectionibus, & figuram esse ostendimus cōmunem omnibus linguis: ipsi etiam Hetruscæ, cùm dixerit Boccacius, *Era ogni cosa ripieno*. Corynthus, siue Corythus, in Dialectis citat hunc locū Thucydidis, dū Atticorum consuetudinem, & idiotismum indicat his verbis: *καὶ θηλυκῶς τι λέγειν εἰώθασιν, εἶτα ἐπάγειν οὐδέτερον οὐ πρὸς τὴν φωνὴν ἀποδιδόντες, ἀλλὰ πρὸς τὸ σημαινόμενον*, idest, Et fœmineo genere aliquid enunciare consueuerunt; deinde inducere neutrum, non ad vocem respicientes, sed ad significatū: citatq; hunc locū pro exemplo, & illud Homericum:

> ——————— *νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκε*
> *Κυανέη, τὸ μὲν οὔποτε λήγει.* ——— idest,
> ——————— *Nubes circumdedit illum*
> *Nigra, quod haud cessat.* ———

Henricus Stephanus in sua Appendice, multa de hoc disseruit cap. 4. Franciscus Portus in suis, siue Notis, siue Cōment. non

Atticism' proprius Thucydidis.

non agnoſcit hoc loco atticiſmũ, ſed deducit ad latiniſmũ, & putat dictum abſolutè pro λεγομένου, vt dixit Liuius nunciatum, pro, cùm nunciatum fuiſſet. Liberas religione mentes turbauit rurſus nunciatum, infantem natum eſſe quadriennio parem. Notate autem in hac ſtructuræ Anacoluthia ſubeſſe mirum Hiſtorici artificium: nouitate enim figuræ excitat quodammodo Lectorem, & reddit attentiorẽ, ad eam, quam facit peſtis huius cum alijs comparationem.

καὶ πρότερον, Et antea.] Hic locus duplici ratione poteſt explicari, & intelligi, nempe vel de tempore proximo, & de hac ipſa peſte, quæ ſcilicet, antequam Athenas inuaderet, prius finitima loca eſſet depopulata, atque ita cõparet Thucydides peſtem ſuam cum eademmet peſte in alijs locis graſſante. Cuius ſententiæ videtur fuiſſe Sabellicus Tom. 1. Cõmen. 3. lib. 5. vbi hanc ipſam ex Thucydide totidẽ penè verbis Latinè deſcribens peſtilentiam, ita loquitur. Coorta interim grauis peſtilentia eam ex Aethiopia egreſsam, Aegyptum, quæ illi proxima eſt, mox & Lybiam corripuiſse memorant, Lemnum inde, & loca finitima, demum Athenas transgreſsam. A qua opinione non videntur abhorrere cæteri Interpretes. Valla enim ita vertit: Morbus primũ apud Athenienſes cœpit, prius quidem, vt aiunt, alibi quoque & circa Lemnũ, & alijs multis in locis graſsatus: Acacius magis etiam videtur in hac fuiſse ſententia, cùm ita vertat, Peſtilens primo morbus inuaſit Athenienſes, qui & circa Lemnũ prius, aliasq; regiones ingruiſse fertur, ſic alij ferè omnes. Vel poteſt intelligi de tempore longinquo, & de peſtilentijs alijs, quæ ſcilicet ſuperioribus temporibus fuerint alibi graſsatæ, & hanc arbitror eſse meliorem interpretationẽ: ita enim comparabit hanc peſtem cum alijs peſtilentijs externis: de qua re mox plura dicentur infra. Quam noſtram ſententiam Alexander Maſsaria Medicus eruditiſſimus, & Græcarum literarum non leui cognitione imbutus in ſuo libro de peſte videtur comprobare, qui hanc narrationẽ transferens in ſuo primo libro, ita vertit hunc locum. Et quamquam fama eſt, antea quoque morbum latè vagatum eſse, tum in Lemno, tum in alijs regionibus, nondum tamẽ memoriæ traditum eſt, tantum peſtilentiæ, atque internecionis mortalibus contigiſse. Quibus ex verbis planè oſtenditur

tur cum antiquis pestilentijs comparari, non cum eadem alibi grassata à Thucydide Atheniensem pestem.

πολλαχόσε, Multis in locis.] Si sequamur aliorum Interpretum explicationem, ac sententiam, notabitis ex hoc loco hunc morem esse pestilentię, vt quasi fera aliqua magno insidiata ouili, cùm vrbem aliquam populis refertissimam πολυανθρωπότατον est aggressura, prius vicina quædam oberret loca, quasi vires colligens, quò maiori mox impetu illam inuadat, quam ab initio cogitarat. Sic Agathias lib. 5. de Bizantina illa factum narrat, quæ finitima quędam loca, quasi saltim vexauit; mox tandē irrumpens in ipsam vrbem, quā etiam paulò ante aggressa reliquerat, ita magnā edidit stragem, vt penè deleret. Ita enim inquit: Μεταβᾶσα δὲ πολλάκις μεταξὺ ἄλλοτε ἄλλοθι, καὶ τόπον ἐκ τόπου λυμηναμένη, καὶ ταύτῃ τοῖς λειπομένοις ἀνακωχῆς τινὸς μεταδοῦσα, τοτε δὴ οὖν ἐς τὸ Βυζάντιον πάλιν ἐπανήκεν, ὥσπερ, οἶμαι τὸ πρότερον ἐξηπατημένη, καὶ θᾶττον δήπου τοῦ δέοντος ἐνθένδε ἀπαλλαγεῖσα, idest, Peruagata autem sępius interea modo hunc, modo illum locum, & vicissim vnū locum post alterū depascens, & hoc modo relictis, requietis aliquā partem faciens; tunc iam Bizantiū rursus accessit, quasi, vt arbitror, antea decepta, & celerius inde, quàm oportuerat, maturato discessu. Sic lib. 9. de Romana pestilentia narrat Halycarnassæus: ἢ τὸ μὲν πρῶτον ἵππων τε, καὶ φορβάδων, καὶ βοῶν ἀγέλαις προσῆλθεν, ἀπὸ δὲ τούτων εἰς τὰ αἰπόλια, καὶ ποίμνας κατέσκηψεν, καὶ διέφθειρεν ὀλίγου δεῖν πάντα τὰ τετράποδα, ἔπειτα τῶν νομέων, καὶ διελθοῦσα διὰ πάσης τῆς χώρας εἰς τὴν πόλιν ἐνέπεσεν, idest, Quæ primum equorum, iumentorum, & boum armenta inuasit, ab his in greges, & ouilia ingruit, & interemit quasi omnes quadrupedes, deinde pastores, & agricolas attigit, & excurrens per vniuersam regionem in vrbem demum incidit. Sic possumus dicere superiore anno ForoIuliensem hanc pestē cogitasse de Vtino Prouincię Metropoli Patria mea, inuadendo, cum finitima quædam loca, occuparit, & oppida; sed illius consilia, quasi alter Hercules in Hydræ viribus compescendis, fregit Illustrissimi Nicolai Donati prouidentia, à Senatu ad illam auertendam, & emouendam cum summa potestate, & imperio illuc missi: qui illius cōmodum illapsæ vestigia ita subito oppressit, vt penè prius extincta, quàm ingressa, videatur:

Mos pestilentiæ vicina prius loca depascendi.

Nicolai Donati in reprimenda peste prouidentia.

deatur:

deatur: cuius denuo audaciam, post illius discessum, renouatam, & quædam rursus non procul posita loca depascentem hoc anno ita repressit alter egregius Senator, illius in locũ cum eadem potestate suffectus Illustrissimus NICOLAVS CONTARENVS, vt deterrita viri præstantissimi prudentia, aggredi mox vrbem ipsam non sit ausa, sed vniuersæ prouinciæ finibus elusa discesserit. Cuius beneficio ita se deuinctos putant Ciues mei Vtinenses, vt qua ratione tantis promeritis gratias referant, nescientes, grati animi significationem, atque testimonium saltem volentes dare, varijs carminum generibus, & encomijs, illius discessum prosequantur. Ad quem obseruantiæ ergò nos quoque nuper scripsimus Epigramma in hoc genere, quod libet vobis recitare.

Nicolai Cõtareni ꝑ emota peste la[illegible].

Non tibi laus, sed honos debetur proximus almis
CONTARENE Deis, facta imitate Deùm.
Non est consilij mortalis pellere pestem,
Verum diuini magnum opus ingenij.
Carmina Iuliadæ non sunt satis, est opus aris
Compositis hymnum dicere NICOLEÒ.

ἐγκατασκῆψαι, Ingruisse.] Videtur voluisse, & vocabulo, & metro impressionem, & vim irruentis pestis declarare, cũ verbo composito vsus, heroici finem fecerit, nempe dactylo, & spondæo iuncto, vt velocitatem ostenderet in irruendo, & perseuerantiã in affligendo, quam de industria auxit ἀντιτυπίαις, & concursu aspero consonantiũ. Vis verò verbi vim, & irruptionem videtur præseferre: est enim proprium fulminis, cui pestis à multis comparatur, & ferę, cui potissimũ comparat pestem Galenus, & torrentis fluminis, & ignis, quibus assimilat Halycarnassæus. Qui ita lib. 9. de peste, ποταμοῦ δίκην, ἢ πυρὸς ἀθρόα τοῖς ἀνθρώποις ἐμπεσοῦσα, quæ fluminis instar, aut ignis repente in homines inciderat, & eodem libro ipse hoc ipso vsus fuit vocabulo, νόσος ἀνέσκηψε εἰς τὰς γυναῖκας καλουμένη λοιμικὴ, idest, morbus mulieres inuasit, qui pestilens vocatur, & mox in eodem libro de peste quadrupedum: ἀπό δὲ τούτων εἰς τὰ αἰπόλια, καὶ ποίμνας κατέσκηψεν, & ab his in caprarum, & ouium greges inuasit. lib. 10 λοιμικὴ νόσος εἰς τὴν ῥωμὴν κατέσκηψεν, idest, pestilens morbus Romam inuasit, & mox, ἡ αὐτὴ νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰς πόλεις. Idem morbus inuasit Ciuitates. Eusebius Pamphilus

Quibus rebus cõparetur pestis.

H lib.

lib. 7. eodem vtitur vocabulo, ἐπικατέσκηψεν ἡ νόσος. Inuasit morbus. Euagrius lib. 4. frequentissimè vtitur hoc vocabulo in descriptione pestis: nam primo ait, περὶ τῆς ἐπισκήψασης νόσου, idest, de morbo, qui inuasit, mox οὔτε κατὰ περίοδόν τινα τεταγμένον ἐνέσκηψεν, οὔτε αὖ ἐπισκήψαν ὁμοίως ἀπεχώρει, idest, neque per circuitum aliquem ex ordine inuasit, neque rursum cum inuasisset, similiter cessabat, mox ἔνθα τὸ πάθος οὐκ ἐπέσκηψε, vbi affectus non inuaserat: mox, τετράκις ἐπισκήψαντος τοῦ πάθους ἀνὰ τὴν ἀντιόχου, idest, cùm quater inuasisset affectio Antiochi regionē: Galenus etiam ipse vsurpauit hoc vocabulum ad irruentis pestilentis affectus vim significandam: nam in primo Epid. Commen. contex. 13. ait: ἀλλὰ τοῦτό γε τὸ κατασκῆψαν εἰς τοὺς ὄρχεις κακοηθέστερον ἦν ἤδη, idest, Sed hic humor, qui irruebat in testes, malignior erat iam. Hinc doctissimus Mercurialis in suis prelectionibus vocauit fulmen celeste. Ait enim C. XIX. non est timendum propter aerē, quia iam ex affectibus ipsis clarè conspicimus fulmen illud cæleste, quo tacti sumus, ferè ex toto extinctū esse. Et Paulus Orosius lib. 2. cap. 12. vocauit ignem morborum. Romæ ergo post Vrbem conditā anno CCXC. suspenso ad modicum bello, grauis pestilentia, quæ semper ibi raras inducias, aut factas intercepit, aut, vt fierent, coegit per vniuersam ciuitatē violenter incanduit, vt meritò preceden te prodigio, cælum ardere visum sit, quando caput gentium tanto morborum igne flagrauit.

Nicolai Cōtareni ꝙ errore[?] in fede[?] la[?]

καὶ περὶ Λῆμνον, Et circa Lemnum.] Lemnū sæpius fuisse pestilentijs vexatā, vel ex eo colligi potest, ꝙ in Prouerbij locū cessit Λήμνιον κακόν, idest, Lemniū malum, quasi omniū mala superans, & excellens, cuius prouerbij licèt aliter Suidas, aliter Herodotus originem recitent; ego tamen magis assentior Herodoto dicenti ex eo datum illi locum in communi sermone, quòd Pelasgi incolentes Lemnum, interfectis liberis, ex Atticis susceptis mulieribus, vnà cum ipsis matribus, quas rapuerant (cū enim viderēt liberos ex illis susceptos Atticè semper loqui, Atticis vti moribus, sic edoctos à matribus, & aspernari Pelasgas puellas, seseq; mutuo tueri ab iniurijs Pelasgorum puerorum; ex quo in suspitionem cùm venissent Pelasgi, ne grandiores facti, more Attico, legitimos liberos eijcerent, eos interfecerunt cum matribus)

Lemnus pesti cur obnoxia.

ira-

iratis ex eo Dijs, in famem, pestilentiam, & orbitatem inciderunt: quare oraculum Delphicum de liberatione consuluerunt. Vbi animaduertendum legi debere apud Herodotum, πιεζόμενοι δὲ λοιμῷ, καὶ ἀπαιδίῃ, non λιμῷ, vt scilicet dicat vexati pestilentia, & orbitate, non fame, & orbitate: nam de pestilentia Dij consulebantur, vt mox docebimus; & ita legisse videtur auctor Adagij, qui facit pestilentiæ mentionem, vel fortasse vtrumque fuit, & indoctus aliquis Librarius putans idem esse bis repetitum superuacaneo, verbum deleuit. Sic apud Pausaniam similis error irrepsit secundo libro, qui inscribitur Corinthiaca, vbi dicitur fuisse Panis solutoris Phanum ita appellati, quòd per quædam somnia ab illo Deo magistratibus Træzeniorũ immissa ἄκεσιν ἔσχεν τοῦ λοιμοῦ πιέσαντος αὐτούς, ἀθηναίους δὲ μάλιστα, idest, remediũ habuere pestilentię, quæ eos inuaserat, & præcipuè Athenienses: nam ibi in vulgatis legitur λιμοῦ, idest, famis: sed in melioribus Codicibus legitur λοιμοῦ, idest, pestis: quod etiam Fridericus Sylburgius in suis in Pausaniam Notis animaduertit, & Gulielmus Canterus in suo Syntagmate de ratione emendandi Grecos auctores, quod impressit cũ orationibus Aristidis à se cõuersis, testatur hoc esse frequentissimũ, vt ι in οι, & contra corrumpatur. Sic in Aristide factum dicit in oratione vltima Tomi tertij cõtra criminantes, quòd non declamaret, & Pananthenaico, in quibus alterum pro altero est positum horum verborum λιμός, & λοιμός. De hoc verò adagio ibidem Herodotus ait, Νενόμισται ἀνὰ τὴν ἑλλάδα τὰ σχέτλια ἔργα πάντα λήμνια καλέεσθαι, idest, Institutum est per omnem Greciam, vt infelicia opera Lemnia dicerentur. Meminit etiam Eustathius in primo Iliad. vbi alia etiam recenset, & recitat prouerbia ex eodem fonte deriuata, vt λημνίαν χεῖρα, λήμνιον βλέπειν, ἀντὶ τοῦ δεινόν, καὶ πυρῶδες, idest, Lemnius aspectus, pro toruo, & igneo: neque abest à ratione Lemnum crebro pestilentia laborasse ob siccitatem, scilicet & æstum nimium, cùm abundet ibi τὸ πῦρ αὐτόματον, idest, ignis sponte nascens, & exiens è cauernis, & terrę sinubus: quare Poetæ finxerunt Vulcanum à Ioue proiectum, & cęlo detrusum in Lemnum decidisse. Ad quam rem maximè confirmandam illud facit, quòd in eadem insula insigne alexipharmacum, & remedium contra pestem est in-

uentum, nempe terra ipsa, Lemnia appellata, Græcè σφραγὶς, id est, sigillum: nam ita est diuina prouidentia comparatum, vt vbi malum aliquod natura voluerit oriri, aut quid venesicum, proximum quoque remedium mali excogitarit: sic in Indicis regionibus, vbi exortus Gallicus, in eisdem etiam inuenta antidotus, nempe Guaiaci lignũ, & alia, quibus illud. etiam quasi auctarium addite ad comprobandam in hac insula pestis consentaneam illius naturę, & temperamento generationem, quia antiquitus abundauit, quemadmodum & Africa ob id etiam pesti obnoxia, serpentibus: vnde etiã nomen adepta fuerat: appellabatur enim ὀφιοῦσα, quasi dicas serpentaria: illud enim venenum terræ ipsi natura ingenitũ, & insitum ad procreandam serpentum tantam vim, atque copiam accommodatum, aptam quoque reddebat eandem ad pestis venenum concipiendum, quod est illi simile natura: nam testatur Galenus nihil aut parum differre hæc tria venena, serpentum venenatorum, pestis, & quod gignitur in nostris corporibus.

ἐν ἄλλοις χωρίοις, Aliјs in locis.] Videtur significare cæteras Græciæ regiones, insulas, & ciuitates, quę sæpius pestilentia vexatæ: nam Delphicæ pestis extant apud Historicos testimonia, quæ ab Apolline, ob Aesopi interitum dicitur immissa. Meminit Herodotus lib. 6. Delphicæ pestilentiæ, vbi dicit Sacrorum causa missos à Chijs centum iuuenes Delphum, duosq; tantum rediјsse, cæteris pestilentia sublatis: Delos ipsa etiam vexata pestilentia, cuius meminit Aeschines in illa epistola ad Philocratem. Creta non caruit, testis Maro, qui pestem illius describit in tertio. Thessaliam pestilentia laborasse multis annis ante hanc Atheniensem pestẽ testis est Soranus, quam dicit ab Hippocrate curatã, Co insulam, & patriam suam à pestis incommodis, & damnis vendicauit Hippocrates, eodem auctore Sorano in eius vita: quẽadmodum etiam Argos, & alias: idem Soranus testatur multas Græcię ciuitates integras à peste liberatas opera Hippocratis ὡς καὶ λοιμῶν ὅλας ῥύσασθαι πόλεις, id est, vt à pestilentijs integras ciuitates liberarit. In Cranone Græcię ciuitate magna etiam pestis incidit, biennio ante hanc Athenienſem, quam describit in 2. Epid. ipsemet Hippocrates, vt in primo eam, quæ regnauit in Thaso, vbi eius persequitur constitu-

Pestes olim ĩ Gręciæ locis varijs grassatæ.

tiones.

tiones. Abdera ciuitas etiam peste laborauit, & opem Hippocratis implorauit, petens vt simul ab insania Democritū vindicaret, & λοιμοῦ τὴν πόλιν ὅλην, & à peste vniuersam ciuitatem, inquit Soranus, quare in Epidemicis historijs frequēs est mentio ægrotorum in Abdera. In eisdem quoque multarum habetur mentio ciuitatum, ac locorum, in quibus ægroti curati sunt ab Epidemicis morbis, vt Perinthi, Larissæ, Cyzici, Melibææ, Elidis, Oeni, & aliorum plurimorum, quæ potestis apud ipsum Hippocratem obseruare. Orchomenum memorant pestilentia etiam laborasse, quo tempore simul Tiresiæ defecit oraculum: Potnienses quoque Pausanias memorat in Boeoticis pestilentia vexatos, ob interfectum Liberi patris sacerdotē, dum temulenta sua illa sacra peragerent. Idem testatur in Arcadicis Caphyenses peste correptos propter pueros lapidibus obrutos, qui funiculo per ludum Dianæ Idoli collo alligato illud trahentes dictitabant se Dianam strangulare. Idem in Phocicis auctor est, Cleonæos pestilentia laborasse, oraculumq; consuluisse de curatione. Lacedæmona etiam pestis ingens diuexauit priscis temporibus, pro qua cùm oraculum consuluissent, redditum responsum, mali vim cessaturam, si quotannis nobilem Virginem immolassent: quod factū seruantibus Lacedæmonijs, cùm fortè fortuna sors Helenæ obtigisset, suisq; ornamentis insignita duceretur ad aras mactanda, deuolans Aquila gladium subreptum, ad armenta detulit, & supra iuuencæ collum demisit: quo prodigio cessauit παρθενοκτονία, idest, virginale sacrificium, vt testatur Plutarchus in Parallelis ex Aristodemo. Alterius pestis in Sparta grassatæ facit mentionem idem Plutarchus in libro de Musica, vbi dicit ex oraculi monitu sanatam à Thalete, Musica: Θάλητα τὸν Κρῆτα φασὶ κατά τι πυθόχρηστον Λακεδαιμονίους παραγενόμενον διὰ μουσικῆς ἰάσασθαι, ἀπαλλάξαι τε τοῦ κατασχόντος λοιμοῦ τὴν Σπάρτην, καθάπερ φησὶ Πρατίνας, idest, Thaletem Cretensem ferunt, ex quodam Pythij oraculo accersitum Lacedæmonios Musica sanasse, & liberasse ab ingruente peste Spartā, vt ait Pratinas. Stobæus in titulo de fortitudine meminit tertię adhuc pestis, qua laborarunt Lacedæmonij, in qua χρησμὸς ἐδόθη, idest, datum est oraculum iri liberatum à peste ciuitatem, si duo se Regi Xerxi mactandos pro Patria offerrent,

rent, quod fecere Bules, & Sperches. Diodorus lib.4.cap.14. meminit etiam pestis per Græciam grassantis, quam Aristæus Apollinis, & Cyrenes filius in Chio sacris factis depulit, Sirij Canis ardoribus mitigatis, & Etesiarum flatu impetrato. Pausanias in Corinthiacis meminit cuiusdam pestis, qua Træzenij vexati, & à Pane per somnia liberati, ex quo Panis solutoris λυτηρίου πανὸς templũ erectum est. Aoniam quoque, quæ Boeotiæ regio montana est, vexatam aliquando pestilentia constat; quę cessauit ex monitu oraculi, virginum duarum immolatione, quam sponte obierunt duæ filiæ Orionis Metiocha, & Menippe, vt habetur ex Nicandro. Thessalus Hippocratis filius in oratione, quam habuit Legatus pro Co Patria apud Athenienses, mentionem facit pestis cuiusdam, qua laborauit Amphictionum exercitus, pro qua dicit consultum oraculum respondisse, vt Cerui filium in auxilium adducerent, qui mox inuentus est esse Nebrus Medicus filius Asclepiadis, qui exercitum à peste liberauit; nam νεβρὸς Gręcè significat ceruulum, & pullum ceruinum. Cum his igitur pestilentijs arbitror velle Thucydidē comparare Atheniensem pestem, & illius magnitudinem ex harum collatione demonstrare.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Ο Υ' μέντοι τοσοῦτός γε λοιμὸς οὐδὲ φθορὰ οὕτως ἀνθρώ-
πων οὐδαμοῦ ἐμνημονεύετο γενέσθαι. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρ-
κουν τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα
ἔθνησκον, ὅσω καὶ μάλιστα προσήεσαν, οὔτε ἄλλη ἀνθρω-
πεία τέχνη οὐδεμία. ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαν-
τείοις, καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο πάντα ἀνωφελῆ ἦν.
τελευτῶντές τε αὐτῶν ἀπέστησαν, ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι.

THVCYDIDES.

NOn tamen tanta peſtilentia, neque corrupte-
la, ſtrageſq; tanta hominum vſquã memo-
rabatur extitiſſe: neque enim Medici ab initio ad-
hibenda pares erant medicina ob ignorationem,
ſed ipſi præcipuè moriebantur, vt qui præcipuè æ-
gros adibant, neque vlla alia humana ars, & quæ-
cumque in templis precationes vſurpabantur, vel
diuinationes, & huiuſmodi alia adhibebantur, om
nia erant inutilia, & ab ipſorum vſu demum receſ-
ceſerunt a malo ſuperati.

FABII

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

Atheniensis pestis originem, ac principium ostendit Thucydides, quod fuit ineunte æstate anni secũdi Peloponnesiaci belli; cùm primum fœderati in Atticã regionẽ ceperunt excurrere, & vastare omnia, nunc illius magnitudinem nobis sub oculos proponit, & oratorio quasi penicillo adumbrat amplificans illius vim ex comparatione aliarum pestilentiarum, quæ licèt aliàs alias vastarint Græciẹ regiones, & ciuitates, vt supra nos ostendimus factum ex historijs; nusquam tamen tanta humani generis facta est strages, & corruptela, nusquam tot hominum millia periere, quantum memoria repeti poterat, aut ex annalibus, & historia, literarumvè monumentis conijci, quot in hac peste cõperta sunt interijsse. Exaggeratq; multo magis rem, & casus acerbitatem, ab erepto omni præsidio, quo solent pestes à locis emoueri, nempe vel humano, sub quo continetur medicæ facultatis scientia, pro qua tunc temporis regnauit ignorantia medicorum, qui eo frequentiores interibant, quo audacius ad ægros medẽdi causa incauti accedebant, & aliæ humanæ artes, vel diuino, sub quod cadũt supplicationes, & preces, & sacra, quæ fiunt in templis ad Deorum aras, nec non oracula, quæ sæpius consulta in alijs pestilentijs medicinam docuerunt. Quæ omnia, cùm essent inutilia, hoc tempore reiecta à populis, & plebe fuere, malo omnia superante.

οὐ μέντοι τοσοῦτός γε, Non tamen tanta.] Hæc particula tamen, verbumq; infra positum, memorabatur, facilè osten dunt meliorem nostram esse explicationem, quàm aliorum interpretum, qui de hac ipsa peste intelligunt: nam luce clarius meridiana constat comparare hic Thucydidem hanc pestem cum alijs; non autem cum ipsamet, quod cùm viderent ipsimet Interpretes, ita verterũt, vt fateri eos hoc sit necesse, vel Thucydidem loqui extra rem. Sabellicus, vulgato morbo tanta funerum frequentia secuta est, quanta nunquam antea hominum memoria; quid planius hac sententia? Valla, cæterum neque tantum pestilentiæ, neque tantũ funerum vsque fuisse memorabatur. Acacius, Cæterum nõ vlla hominũ memoria tanta pestilentia, tantaq; clades grassata est: quid apertius? Sed vt magis elucescat hæc ueritas, omnium Historicorum, qui pestes descripsere: testimonia afferam, qui Thucydidem hoc in loco tanquam ideam, perfectumq; exemplar imitantes, suas pestilentias amplificando cum alijs omnibus solent comparare, & anteponere, Græciq; præsertim. Dionysius Halycarnassæus lib. 10. λοιμικὴ νόσος εἰς τὴν ῥώμην κατέσκηψεν μεγίστη τῶν ἐκ τοῦ προτέρου χρόνου μνημονευομένων, ideſt, pestilens morbus Romam inuasit, maximus omnium, qui superioribus temporibus memorabantur extitisse: & lib. 9. νόσος ἐνέσκηψεν εἰς τὰς γυναῖκας καλουμένη λοιμικὴ, καὶ θάνατος ὅσος οὔπω πρότερον, ideſt, morbus ingruit in mulieres dictus pestilens, & lætalis calamitas, quanta nunquam antea, & alibi etiam. Sic Zosimus lib. 1. in Decio, ὁ λοιμὸς πόλεσί τε, καὶ κώμαις ἐπιγενόμενος εἴ τι λελειμμένον ἦν ἀνθρώπειον γένος, διέφθειρεν, οὔπω πρότερον ἐν τοῖς φθάσασιν χρόνοις τοσαύτην ἀνθρώπων ἀπώλειαν ἐργασάμενος, ideſt, Pestis urbes & uicos inuadens, si quid reliquum erat humani generis corrupit, ita vt nunquã antea superioribus temporibus tantam hominum cladem ediderit, & in Galieno, λοιμὸς ἐπιβρίσας ταῖς πόλεσι οἷος οὔπω πρότερον ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ συνέβη, ideſt, Pestis irruens in ciuitates, qualis nunquam antea in uniuerso tempore contigit. Sic Euagrius suam dicit pestilentiam, τὸ πάθος ἅπαντα τὰ πρῶην νικῆσαι, omnes, quæ præcesserunt, pestilentias uincere: & sanè si uolumus rectè iudicare, potuit mage omnium Thucydides suam alijs anteponere: nam (ut dictum est supra) omniũ fuit acerbissima, quotquot unquam

Mos Historicorũ anteponẽ di sui temporis pestilentias, cæteris.

Thucydidia, pestis omnibus antepoſita ab Auẽzoar.

antea fuere; aut etiam poſt multis temporibus, quod ita teſtatur Auenzoar lib. 3. tract 3. cap. 1. ubi de hac peſte ab Hippocrates in 3. Epid. narratæ uerba faciens ita ait. Sciendum pro certo, quòd à tempore Hippocratis uſque nunc nõ fuit epidemia aliqua tam peſſima, nec malitioſa, ſicut illa, nec in qua accidentia tam uiolenta, & malitioſa apparuerint, ſicut in illa. Mercurialis cap. 11. triplex genus facit peſtis, maximũ, paruum, medium, & inter maximas collocat Thucydidiam his uerbis: Talis fuit Athenis relata à Thucydide, & à Lucretio, de qua dicebant nullum ferè hominem fuiſſe eo tempore repertum, quem uel morbus, uel mors, uel luctus non attigerit, licèt noſtri temporis Hiſtorici perſequantur peſtes múlto acerbiores, in quibus ad ſummam uaſtitatem redactæ interdum regiones, uel ſaltem maior pars hominum extincta, quàm ſeruata: in hac enim (ut colligitur ex ipſo Thucydide) paulò plus tertia parte deſiderati ſunt: nam dicit Agnonem ex quattuor millibus militũ amiſiſſe mille quingentos, ut etiã Diodorus lib. 12. ſed de antiquis intelligendũ.

Λοιμός, Peſtilentia.] Tribus hactenus vocabulis peſtem nominauit Thucydides, *νόσον, λοιμὸν, φθορὰν*, alijsq; etiã mox vtetur: quare cùm multis apud Græcos, Latinosq; Scriptores nominibus appelletur, multis modis hoc vocabulum peſtis vſurpetur, & eius notatio, ſiue etymologia à multis deducatur; non erit alienum, ſi antequam ad alia maiora aggrediar, hæc tria vobis breuiter præſtem, vt primum ſcilicet colligam nominum hanc, quibus appellatur, apud Scriptores, varietatem; ſecundò, etymi rationem explicem; tertiò, quę ſignificet. Primò ergo (vt dictum eſt ſupra) vocata eſt peſtis nomine generis *κατὰ τὸ ἐξαίρετον*, ideſt, per excellentiam *νόσος* morbus: deinde communiter cum adiuncto *νόσος λοιμικὴ*, ideſt, morbus peſtilens, quo paſſim vtũtur omnes Scriptores, Artaxerxes in epiſtola ad Pætum: Halycarnaſſæus hoc ferè ſemper vtitur, vt lib. 9. *νόσος καλουμένη λοιμικὴ*, ideſt, morbus vocatus peſtilens: & rurſus *νόσος ἥψατο λοιμικὴ*, ideſt, morbus peſtilens attigit, & in 7. *ἥψατο νόσος λοιμικὴ*, ideſt, attigit morbus peſtilens: pro quo dicitur etiam *νόσος λημώδης*, quaſi dicas peſtilentialis morbus, quo vtitur Thucydides in fine procemij, & Plutarchus in Probl. qui etiam in Cæſaris vita appellat *νόσημα λοιμῶδες*, quo frequentiſſimè vtitur in

Peſtis quibus nominibus dicaĩ apud Græcos.

Epide-

Epidemicis Galenus,& ipse etiam Hippocrates. Aristoteles in Probl. sect.7. probl. 7. fœmininum fecit ἡ λοιμὸς, quę etiã fœminea voce, & articulo enunciata aliquando, nempe λοίμη, vt Hesychius auctor est: necnon quoque per ellipsim figuram dicta est per solum epithetum, omisso proprio vocabulo substantiæ, nempe λοιμικὴ, idest, pestilens, vt Razis Interpres Græcus inscripsit περὶ λοιμικῆς, idest, de pestilenti, scilicet morbo, de quo supra. Dicitur etiam πάθος, idest affectio, siue passio, quo utitur infra uocabulo etiam Thucydides, & Euagrius, & frequentissimè cũ adiuncto λοιμῶδες πάθος, quo utitur Euagrius, & Eustachius in Homerum, & alij frequenter Scriptores. Diodorus Sicul. lib. 12. Biblioth. dixit λοιμικὴν περίστασιν, pestilentẽ circunstantiam, siue ambitũ, & circuitũ. Tertiò dicitur φθορὰ, idest, internecio, corruptela, strages: nõ enim põt vnico uocabulo uis huius uerbi exprimi: sic dicta παρὰ τὸ φθίσθαι ῥᾷον, idest à facilitate corruptionis, & τὸ σήπεσθαι εὐχερῶς, idest, quòd facilè putredinem concipiant, & com putrescant humores, & maris etiam genere φθόρος, quo utitur bis infra uocabulo Thucydides, pro quo dicitur etiam φθοροποιὸς νόσος, idest, internecinus, & interficiens morbus: frequentius uerò νόσος ἐπίδημος, ἐπιδήμιος, & ἐπιδημικὴ, & ἐπιδημία, quo etiam absolutè frequentissimè utuntur tam Grecè, quàm Latinè uocantes Epidemiã, secuti scilicet Galenum in 1. Acutor. cont.9. ubi definit pestem ἐπιδημίαν ὀλέθριον, idest, Epidemiã pernitiosam. Suidas in uerbo, Iachen, dixit λοιμῶν ἐπιδημίας, idest, pestilentiarum Epidemiam. Homerus appellauit λοιγὸν, quasi dicas pernitiem, aut quid simile, 1. Iliadis:

> βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι. idest,
> *Si vult placatus nobis auertere pestem.*

Et mox ubi placatus Chryses rogat Apollinem, ut pestem auertat à Græcis:

> ἤδη νῦν Δαναοῖσιν ἀεικέα λοιγὸν ἄμυνον. idest,
> *Iam Danais auerte precor mala semina pestis.*

Vbi Eustathius ita: λοιγὸς δὲ ὁ ὄλεθρος ἢ ἀπὸ τοῦ λείπω κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὅθεν καὶ ὁ κατὰ τὴν νόσον, καὶ ὁ φθορεὺς ἢ μᾶλλον παρὰ τὸ λέγω ὁ λέγων, ὅ ἐστι κοιμίζων εἰς θάνατον. μάλιστα δὲ παρὰ τὸ ὀλίγος μετάθεσι τοῦ, ο, ὁ ὀλιγῶν τοὺς ζῶντας, quę sic Latinè sonant, (si uerti rectè possunt) ligos est pernities, uel à lipo, quod est

deficio, iuxta ueterum notionem, unde deductus est etiam λοιμός, idest, pestis, quæ morbo interficit, uel potius à lego legon, quod est obdormiens in mortem, præcipuè uerò ab oligos, quod est paucus ablata litera o, quasi qui paucos reddat uiuentes. Sophocles in Oedipo per metaphoram duobus nominat uocabulis, primò φοίνιον σάλον, idest funestam tempestatem, & mox πυρφόρον θεόν, idest, signiferum Deum: Ait enim:

——————— ἐν δ' ὁ πυρφόρος θεὸς
Σκήψας ἐλαύνει λοιμὸς ἔχθιστος πόλιν. idest,
——————— *vbi Ignifer Deus*
Intensa pestis erumpens vrbem afficit.

Vbi Scholiastes exponens uerbum πυρφόρος, ait: ὁ λοιμὸς ὁ πυρετοφόρος, τὸν γὰρ πυρετὸν πῦρ καλοῦσι, καὶ τὸ ἐναντίον, ὡς ὅμηρος, ἠδὲ φέρει πολλὸν πυρετόν, idest, Pestis est febrifera: febrem enim ignem uocant, & contra, ut Homerus affert multam febrem, idest, ignem. Latinè dicitur pestis, pestilentia, pestilitas à Lucretio propter metrum, item ægror, & clades mortifera: dicta est etiam contagium à contangendo, Vergilius:

Pestis nomina Latina.

Ne mala vicini pecoris contagia lædant.

Dicta etiã lues, quasi labes, vel luctus, quòd omnia inficiat, & luctu omnia repleat. Dicta etiam à nonnullis recentioribus *Inguinaria*, siue *Inguinia*, quòd in inguinibus potissimũ tumores quidam excitentur, vulgo *Ghiandussa, Bozzula, Gauacciola*: Hebraicè dicitur דבר Deber. Quo vocabulo vtitur bis Dauid in Psal. 90. verùm quia Septuaginta Interpretũ temporibus lingua Hebræa scribebatur sine punctis, & potest etiam sonare Dabar, ideo verterunt primo loco ἀπὸ λόγου ταραχώδους, quod Latinus mox Interpres dicit à verbo Aspero. Sed vera interpretatio habet à peste. Sic Iustinianus Genuensis in Octaplo: sic illi ferè omnes, qui linguã callent; D. Hieronymus vertit mortem, secutus Chaldæam fortasse versionem, quæ habet ממותא Mimotha, idest, à morte: quo in loco cũ dicat Dauid מדבר הוות Mideber auoth, videtur idẽ expressisse, ꝙ Thucydides verbo φθορᾶ: nam A. Steuchus Eugubinus vertit à pestilentia interitus, & Iustinianus à pestilentia deuastante, & Auen Esra (vt autumat etiam Steuchus) putat dictam pestilentiam Hauoth, quasi tumultuantem, accelerantem, quia celeriter conficiat, vt dicatur à pesti-

Pestis nomina Hebræa.

lentia horribili, celeri, cito conficiente. Alter locus est paulò infra, quod reddiderunt Septuaginta Interpretes, à negocio perambulante in tenebris, ἀπὸ πράγματος ἐν σκότει διαπορευομένου; vt supra decepti, teste Steucho, ꝙ legerunt Dabar, nō Deber, quod etiam verbum significat & rem τὸ πρᾶγμα: quod negociū vertit Latinus Interpres: Grecum enim verbū & rem, & negociū significat; vnde dicunt πράγματα παρέχειν, idest, negocium facescere. D. Hieronymus reddit à pestilentia In tenebris ambulante, Iustinianus à peste In tenebris ambulante. Cuius quidem Deber nullam etymi rationem eruditiores tradunt inueniri: multi tamen dicunt ita appellatum, quòd seruet ordinem, & æquo pulset pede pauperum tabernas, regumq; turres, vt ait Poeta: hoc enim verbū significat etiam ordinem, alij, quòd in desertum, ac vastitatē redigat ciuitates, idest, à verbo מִדְבָּר Midabar: alij postremo quod idem ferè sit cum morte, quæ iisdem literis paulò mutatis punctis dicitur דֶּבֶר Daber: quare etiā מָוֶת Mauet, quod est proprium nomen mortis pro peste vsurpatur apud Hebræos, vt etiam supra dictum est in versione Chaldæa, quæ dicitur Thargum esse factū, quod videmus & apud Arabas euenisse; quæ lingua valde affinis est Hebrææ: nā Haly ponit mortes pro pestes, vt lib. 5. Theor. c. 11. quo pacto inter Græcos videtur vsurpasse Dionysius Halycarnassæus lib. 9. loco supra citato, qui coniunxit νόσος λοιμικὴ, καὶ θάνατος; idest morbus pestilens, & mors, pro eo quod dicit hoc loco Thucydides λοιμὸς, καὶ φθορὰ, quod Zosimus dixit ἀπώλειαν, idest, perditionem, vulgo etiā materna lingua vsurpamus dicētes, *La mortalità*. Steuchus in explicatione Psalmi ante memorati dicit Ionathā in Chaldaica versione appellasse גִּרִידָא דְמַלְאַךְ מוֹתָא idest, Gherida Dimaleach Mota, Sagittam Angeli mortis, mortiferam, lęthalemq; sagittam, ipsam pestilentiam interpretans, quod videtur ab Homero sumptū, qui fingit sagittis Apollinem pestem immisisse Græcis.

Etymologia porrò huius vocabuli Græcè tribus modis explicatur ab auctore Etymologici. Primò, quòd dicta sit λοιμὸς pestis à λείπω λειπὸς, & π conuersa in μ λοιμὸς. Secundò, à λίαν, & μᾶν, quod est nimis inquirere, & indagare, quod scilicet nihil relinquat intactum, sed omnia vestigia abditorū persequatur, πλεονασμῷ τοῦ ὀ, idest, addito ex abundanti o litera.

Pestis vocabulū vnde deductum tam Græcè, q̄ Latinè.

tera. Postremò à λιμός, quod est fames, ob similitudinē, quia λιμός, idest fames est ἔνδεια σίτου, idest, cibi indigentia, λοιμός verò ἔνδεια σωμάτων, idest corporum indigentia, quod non esse à Grammaticis regulis alienum ostendit, cùm multa inclinent à verbis per diphthongon enūciatis, & ipsa simpliciter inflectantur, & è contra: Latinè autem dicta est Pestis à pascendo, quòd quasi fera venenata, aut efferatus rabie Lupus Ciuitates, populosq; depascat, vt per metaphoram eam appellauit Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem, & Artaxerxes in epistola ad Pætum, de qua re alibi dicetur, cùm tēpus feret. Eodem pacto (teste Isidoro in 3. Etymol.) dicta est pestilentia, quasi pastulantia. Franciscus Thomassius in Tractatu de peste, nouam affert pestis etymologiam ex ingenio suo depromptam (vt arbitror) ait enim, pestis dicitur, quasi post naturæ, & artis commoditatem lædens homines, & interficiens, quasi scilicet neque natura, neque ars iuuare, & vendicare à peste possint, præsertim ira diuina immissa.

Pestis vocabulū ad quę significāda trāsferatur apud Scriptores.

Pestis porrò vocabulum apud Scriptores transfertur sæpe ad varias res significandas per similitudinem, quarum nonnullas paucis perstringemus: significat ergo mortem quācumque uiolentam, siue etiam naturalem. Vergilius in 9. Aenead. de Rhamnete augure:

Sed non augurio potuit depellere pestem.

Liuius lib. 25. Fusa est Romana acies, sed adeo ne fugæ quidem iter patuit, omnibus uijs ab equite insessis, ut ex tanta multitudine uix mille euaserint, cæteri passim alij alia peste absumpti sunt. Pro pernitie usurpatur. Vergilius in 3.

Inachiæ Iuno pestem meditata Iuuencæ.

Sic Cicero dixit: *Pestes Reip. consules malos.*

Pro igne Vergilius in 5. de nauium incendio:

——————— Lentasq; carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.

Pro Amore Vergilius in Aenead. de Didone:

Quam simul ac tali persensit peste teneri. Et mox de eadem:
——————— Pesti deuota futuræ. idest, amori.

Idem furias uocat pestes, 12. Aenead.

Dicuntur geminæ pestes cognomine diræ. Et mox:
Hanc versa in faciem Turris se pestis ad ora
Fertq; refertq; sonans, ———————

Pro

Pro uitijs ponitur, idem Vergilius in 6.

Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes. ———————

Quare ponitur pro corruptela morum; unde apud Comicū Leno dicitur pestis adolescentium. Quo pacto Græcè dixit Dionysius Longinus ἐν τοιαύτῃ λοιμικῇ τοῦ βίου διαφθορᾷ, id est, in hac pestilenti uitæ corruptela. Augustinus Steuchus Eugubinus in explicatione Psal. 90. dicit significare pestilentiam hominem sycophantam, impostorem, fraudolentum, uel derisorem, ac linguacem: quod genus hominū in primo Psalmo uocatum est à Dauide לֵצִים Lezim, ubi Septuaginta Interpretes uertunt λοιμῶν, idest, pestilentiarum; Et in cathedra pestilentiarum non sedit. Tandem ad omne malum tam animi, quàm corporis significandum transferri potest, & ad omnes res pernitiosas, & periculosas, ut etiam adnotauit Massarias in primo libro de peste; quod probat ex Ciceronis auctoritate.

Pestis qd significet apud Medicos.

Sed cæteris scriptoribus relictis, uideamus quid pestis significet apud Medicos: Auctor Etymol. dicit λοιμὸν significare primo, & propriè τὴν λοιμικὴν νόσον, idest, pestilentem morbum, metaphoricè uerò τὸν βλαπτικὸν ἀέρα, idest, aerem noxium. Horatius Augenius uir doctissimus, mihiq; coniunctissimus lib. 4. Med. epist. Tom. 2. epist. 2. notat pestis, & pestilentię uocabulum apud Hippocratem, & Galenum tria significare: primò, constitutionem pestiferam, siue anni statum pestilentibus morbis obnoxium: secundò, congeriem, siue syndromem omnium morborum contingentium in constitutione pestilenti: tertiò, unum morbi genus, ac præcipuū ex multis in constitutione pestilenti adueniens, quod dicit esse febrem pestilentem: nam in libro de Flatibus duplicem facit febrem, pestilentem, & non pestilentem; pestilentem uocat κοινὸν πυρετὸν, idest, cōmunem febrem; quia pendet ab aere inquinato, qui omnibus communis: deinde addit ὁ μὲν κοινὸς ἅπασι καλεόμενος λοιμός, idest, communis omnibus est, quæ uocatur pestis. Laurentius Ioubertus in libro de peste, cap. 1. dicit pestem tria significare: primò, aereum uenenum ἀέρος φθορὰν, ut Galenus loquitur: secundò, morbū ab eo illatum: postremò bubonem ipsum pestilentē, à quibus rursum diuersam esse dicit febrim pestilentialem uocatam;

tam; quam etiam dici pestem uidimus. Quidam sunt, qui pestem à pestilentia distinguant, dicantq; differre, quod mihi uideretur potius ridendum, quàm animaduertendũ, nisi Medici alioqui eruditissimi id facerent, ut præsertim Sauonarola magni nominis olim Medicus, qui dicit pestilentiam esse actum, siue effectum pestis; pestem uerò esse dispositionem uenenosam in aere contingentem, ad quam sequitur morbus pestilentia dictus, reprehenditq; etiam Gentilẽ, quòd non distinxerit à peste pestilentiam; sed ibi multa etiam profert in nominibus ridenda eruditis, sed excusandus fortasse potius, quàm accusandus, quòd Grecę linguæ lumine carebat, & politiori doctrina, ut illorum temporum ferebat institutum, quod non ita facilè condonandum his, qui nostro seculo scripsere, qui non pauci sunt. Trunconius in primo libro cap. 3. recitat hanc Sauonarolæ opinionem, & aliorum: deinde suam mox sententiam, quasi arbiter controuersiæ proponit, quam apud illum potestis legere, nos cũ Galeno contentionem de nominibus reijcientes tanquam superuacaneam ad reliqua properabimus.

οὐδ' ἐ φθορὰ οὕτως ἀνθρώπων, Neque corruptela, stragesq; tanta hominum.] Non vno potuit reddi verbo Græcum φθορὰ, sed duobus fuit opus, quorum alterum vocis vim, alterũ notionis exprimeret: videtur autem Thucydides hoc verbo voluisse quodammodo complecti definitionem pestis, quæ nihil aliud esse dici potest, quàm φθορὰ, vel νόσος φθοροποιός: hoc enim est pressæ orationis, & breuitatis artificiosę munus, vel vnico verbo rerum definitiones amplecti, teste Aristotele in 3. Rhetoric. quare iã res videtur postulare, & locus, vt quod sumus in Præfatione polliciti, præstemus, & pestis definitionẽ explicemus. Ex Thucydidis ergo doctrina, & verbis hæc erit pestis definitio, λοιμός ἐστὶ φθορὰ τῶν ἀνθρώπων, idest, pestis est corruptela, stragesq; hominum, à quo Galenus suas accepit definitiones, vt videbitis, sed dissimulauit: nã nihil aliud eas esse cognoscetis, nisi declarationẽ, & paraphrasim quandam huius Thucydidiæ definitionis. Tribus in locis inuenio definitam pestem à Galeno: in 2. Acutor. cont. 9. definiuit λοιμὸν ἐπιδημίαν ὀλέθριον, idest, pestem esse Epidemiam perniciosam, quod nihil est aliud, quàm φθορὰ, in Comment. in primam Epid. alijs quidem verbis, sed eadem sententia, ὁ λοιμὸς

Definitio pestis ex Thucydide.

μὸς ἐπιδήμιον ἐςὶ νόσημα ὀλέθριον, ideſt, peſtis eſt epidemicus morbus pernitioſus, quod idem eſt. in 3. Comment. in 3. Epidem. contex. 20. definit νόσημα λοιμῶδες, ὃ πολλοὺς ἀναιρεῖ, ideſt, morbus vulgaris, qui multos perimit. vnde fluxit illa, quæ circumfertur peſtis definitio ex Galeno νόσος ἐπιδήμιος, ἡ πολλοὺς ἀναιρεῖ. Quibus omnibus in locis Galenus nõ vt definiens pronunciauit: ſed quaſi per tranſennam præteriens, & obiter attigit, ipſum credo Thucydidem, in hoc quoque imitatus: quare qui negauerint hanc eſſe Thucydidiam peſtis definitionem, poterimus nos quoque illas eſſe Galenicas inficiari, neque etiam debet quiſpiam dubitare Galenicas definitiones eſſe Thucydidias, quòd non expreſſerit verbum illud ἀνθρώπων, hominum, Galenus: nam ſubintelligitur in Galenicis: & potiſſimum in hac poſtrema, vbi dicit, πολλοὺς ἀναιρεῖ, ideſt, multos perimit, non quidem aſinos, aut lupos, ſed homines: quod explicatis verbis propoſuit Thucydides, vt Hiſtoricus, quo ſignificaret ſe hominũ geſta perſequentem, illorum quoque peſtem deſcribere, non brutorum; vel etiam quia exiſtimauit peſtem eſſe tantum hominum appellandam, non brutorum: de qua re mox dicemus. In quo etiam poſſumus illud dicere omiſſum à Thucydide verbum νόσος, ſiue νόσημα in definitione, quia fortaſſe iudicauit malus eſſe quid peſtem: & ideo non morbum, ſed ſimpliciter φθορὰν, ideſt, corruptelam eſſe nominandã, ſed hæc extra rem, ad definitionem aggrediamur. In hac definitione Galenica, ex Thucydidis doctrina deprõpta, genus eſt morbus; morbum verò ex Hippocratis, Galeniq; doctrina id debemus intelligere, quod naturales corporis primò lædit actiones, ſiue (vt vulgo Medici loquuntur) operationes, διαθέσιν ſcilicet, & affectum præter naturam, ſenſibilem, ac manifeſtam, nempe quæ ſenſibus ipſis deprehendatur, læſionẽ inferens ad excludendam ἀπάθειαν, ex Galeno in arte medica, ſiue ſit morbus ſimilaris dictus, poſitus in intemperie, vel ſimplici quattuor primarũ qualitatũ, vel cũ materia cõiuncta, vel compoſita etiam, & complicata, ſiue ſit morbus in inſtrumentis, nempe oblæſa, aut confirmatione, aut numero, aut magnitudine, aut ſitu, ſiue ſit cõmunis vtriſque, quod eſt ſolutio continui, ſiue ſit ex omnibus his complicatus, vt fieri poſſe oſtendit Galenus 1. de differentijs morborum, &

Definitiones tres Galeni ex Thucydidia deſumptæ.

Definitionis explicatio.

Genera morborũ quattuor.

alibi: siue etiam sit morbus dictus à tota substantia κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας, de quo an detur in Galeni doctrina, postea suo loco disputabimus: prima differentia est ἐπιδήμιος, siue ἐπίδημος: vtroque enim modo dici rectè posse, & scribi apud Hippocratē ostendit Galenus, quod Latinè verti potest popularis, siue vulgaris: quo verbo reijciuntur morbi Græcè dicti σποράδες, vel σποραδικοὶ νόσοι, idest, dispersi, qui nō vulgo, & communiter omnes, sed seorsim, priuatimq; quemq; comprehendunt, vel vt dicitur in definitionibus medicis, νοσήματα ἐν παντὶ χρόνῳ, καὶ τόπῳ γινόμενα, idest, morbi, qui in omni tempore, & loco fiunt; quorum causa potissimū est error in ratione victus Græcè dicta διαίτη, per quam Galenus, & in Comment. de nat. hum. & de ratione victus in acutis, & in Epidemicis, intelligit commoderationem, atq; modum in sex, siue septem rebus, quas vocant Medici non naturales: sunt verò, & regnare dicuntur hi morbi, cum eodem tempore, in eadem regione, vel ciuitate morbi natura discrepantes priuatim homines inuadunt, cum hic febribus conficitur, ille podagra; alter laborat ophthalmia, alter verò dysenteria, & similibus: de quo genere locutum Thucydidem vult Galenus in primum Hippocratis Epid. cùm de iuuenibus dixit: Vere autem alij in alia ciuitatis parte dispersi perierunt: de quibus loquitur Hippocrates in primo de salubri dięta, contex. 9. & dicit esse periculosos præ cæteris; his verbis, quæ profert, enumeratis acutis quibusdam morbis, pleuritide, peripneumonia, phrenitide, lethargo, causo: ὁκόταν γὰρ μὴ λοιμώδεος νούσου τρόπος τις κοινὸς ἐπιδημήσῃ, ἀλλὰ σποράδες ἔωσιν αἱ νοῦσοι, καὶ μὴ παραπλήσιοι, ὑπὸ τουτέων τῶν νοσημάτων ἀποθνήσκουσι πλείους ἢ ὑπὸ τῶν ἄλλων τῶν συμπάντων, idest, cum pestilentis morbi nulla speties communis vulgabitur, sed dispersi fuerint morbi, & non similes, ab his morbis perimuntur plures, quàm ab alijs omnibus, vbi duo debetis, mea sententia, adnotare: primum, quòd morbos illos acutos in superiori contextu enumeratos inter dispersos intelligit: secundum, quòd hos anteponit quidem omnibus alijs morbis, sed non pestilentibus, quos excipit: quo in loco Galenus in Commentario dicit opponi hos morbos, & quasi ex aduerso respondere pestilentibus, Epidemicis, & Endemicis, licèt in primū Epid. dicit opponi solum Epidemicis:

Morbi σποράδες idest, dispersi, qui sint.

præ-

præterea excludit hæc differentia, illud etiam morborum genus, quod licèt sit πάγκοινον, & πανδήμιον totius alicuius regionis; non tamen omnes regiones inuadit, sed solos incolas illius regionis vt plurimum vexat, & hi vocãtur morbi, & νοσήματα ἐνδήμα, ἐνδήμια, uel μεταδήμια, uel etiam ἐπιχώρια, & ἐγχώρια, Latini patrios dicunt, uernaculos, regionales, inquilinos, ut Athenis erat podagra, & arthritis, in Achaia lippitudo; in Aegypto elephas, de quibus Lucretius lib 6.

Morbi vernaculi qui sint.

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque præterea vsquam:
Atthide tentantur gressus, oculiq; in Achæis
Finibus; inde alijs alius locus est inimicus
Partibus, ac membris, varius concinnat id aer.

Sic Bronchocele uexat Narbonẽsem Galliã, de quo Aetius Tetrab.4.lib.3. in Lusitania quibusdam in partibus uernacula est phthisis, struma in quibusdam Hispaniæ locis, Romæ hemitritæus, Tridenti pleuritis, Venetijs (ut multi tradunt Medici) Hæmorrhoides, & alij in alijs regionibus, & locis, & de his agit Hippocrates in libro de aere, locis, & aquis. Postrema differẽtia, addita est ὀλέθριος, uel φθοροποιός, idest perniciosus, læthalis, uel ἡ πολλοὺς ἀναιρεῖ, idest, qui plurimos tollit, necat, ut distinguat à morbis Epidemicis salubribus, quorũ ingens interdum copia, & uis solet grassari, & licèt aliquos quoque conficiant, non tamen pernitiosi dicuntur, neque pestis, nisi magna pars, imò maxima eorum hominum, qui corripiuntur illo morbo, intereat. Sic solent interdum grassari febres quædam, dysenteriæ, erysipelata, catarrhi, & similia, quæ nomine generis nuncupantur, scilicet epidemici, siue uulgares, & communes morbi. Et hactenus cum Thucydide, Hippocrate, & Galeno definita est generatim pestis, & propriè. Quam definitionem, Theologorum quoque, & Iurisconsultorum confirmat, & probat auctoritas, qui nihil aliud addunt in ea. Diuus enim Augustinus summus Theologus, ut scitis, ita definit in Comment. in 1. Psal. Pestilentia est morbus latè peruagatus, omnes, aut penè omnes inuoluens, & Petrus Tholosanus Iurisconsultus egregius in magno illo uolumine, quod inscripsit, Syntagma Iuris uniuersi, definit pestem cum Galeno Epidemicum morbum pernitiosum. Qui uerò plura addenda huic definitioni arbi-

 trantur,

trantur, hi nescientes in species sensim delabuntur, & à genere recedunt: nam qui addendum putant, in definitione, quòd sit febris, & idem esse putant febrem pestilentem cũ peste, vt omnes ferè Arabes, & qui eos sequũtur, hi profectò speciem vnam complectuntur: est enim febris pestilens, pestis species, sed non genus; vel potius symptoma quoddam, quod potest adesse, & abesse in peste, quemadmodũ & contagium, de quo mox dicetur: quare etiam in Finitionibus Medicis simili pacto definitur, non adhibitis neque febri, neque contagio: λοιμὸς ἐςὶ κοινὸν πάθος πλείςων ὑπὸ τὸν αὐτὸν καιρὸν κατὰ πόλεις, καὶ ἔθνη ὀξεῖς κινδύνους, καὶ θανάτους ἐπιφέρον, idest, Pestis est communis affectus multorum, eodem tempore per vrbes, & nationes acuta pericula, & mortes inferens. Quæ quidem definitio nihil est aliud, quàm quædam paraphrasis quodammodo, & explicatio Galenicæ definitionis, vt illa Thucydidiæ: ex Arabibus solus Haly Abbas uidetur Galenum secutus, qui lib. 1. Theoricæ definitionẽ hanc mutatis uerbis retulit, quam refert etiam Conciliator diff. 94. Pestis est morbus multiplex, & subitus, uno & eodem tempore hominũ multitudini cõmunis: in quo tamen uidetur ille non satis expressisse illud uerbum ὀλέθριον, pernitiosum. In memorato libro Fin. med. duæ adhuc leguntur definitiones pestis, quæ non probantur, quia unicam tantum causam attingunt uniuersalem, nempe aerem, cùm à multis possit pestis oriri, ut dictũ est in Præfatione nostra, & patet ex Galeno in Epid. 1. Cõmen. Quia uerò antiquæ sunt, & occasionẽ fortasse dederunt multis recentioribus errandi, in studiosorũ gratiam recitabo. Prima est, λοιμὸς ἐςὶ νόσημα ἐπὶ πάντας ἢ τοὺς πλείους παραγινόμενον ὑπὸ διαφθορᾶς ἀέρος ὥστε τοὺς πλείους ἀπόλλυσθαι, ideit, Pestis est morbus, uel omnes, uel plurimos inuadens, ex aeris corruptione, ita ut multi pereãt: altera est, λοιμὸς ἐςὶ τροπὴ ἀέρος ὥστε μὴ τετηρηκέναι τὰς ὥρας τὴν ἰδίαν τάξιν μετὰ τοῦ, καὶ πολλοὺς ἀποθνήσκειν ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ νοσήματος, idest, Pestis est mutatio aeris, ita ut non seruent tempora propriũ ordinem, & multi eodem morbo intereant: ex quibus definitionibus multi sunt decepti, & pestem arbitrati sunt solũ pendere ex aeris corruptela. Ex antiquis fuit in ea hæresi Philon Hebreus, qui libro de Mundo, uocauit pestem ἀέρος θάνατον, idest, aeris mortem, ut refert etiam Ioannes Heurnius in

Pestis definitiones aliæ antiquorum.

Error eorũ, qui putant ex solo aere fieri pestem.

in libello de peste, & Ingrassias, qui eum citant, Ex recentioribus complures, in quorum numero est Antonius ab Altomari uir alioqui doctissimus; Philippus etiam Ingrassias, qui in hoc fallitur, quòd putat id ex Galeni doctrina colligi, nisi fortè existimauit librum hunc esse Galeni; in eadem uidetur esse Marsilius Ficinus cap. 1. qui definit pestem uaporem in aere concreatum uitali inimicum spiritui, specifica quadam proprietate, non elementari, & cap. 6. Galenũ imitatus, qui feræ comparat, dicit esse draconem cum corpore aereo, qui uenenum contra hominem spirat. Sed maximè omnium Fernelius, qui suam definitionem uidetur ex his hausisse procul dubio: quę est hęc (ut recitatur à Porto lib. 1. cap. 4.) pestis est pernities, & uenenata qualitas è sublimi, cęlitusq; in aerem demissa, quæ quasi fera uenenata Inuolat in uulgus, dixi ita recitari à Porto, quia paulò secus legitur in libris impressis Venetijs: cui subscribere uidetur Ioubertus in libello de Peste, ubi dicit eam esse uenenum aereum: & ita etiam definit, Pestis est uenenosus quidã uapor, in aere conceptus, qui uitali spiritui omnino aduersatur. Et mox sic: Pestis est aereum uenenum ex putrium uaporum admixtione, uel infelici Planetarum concursu in pernitiosissimã animantium generi conditionem dira conuersione mutatum. Heurnius in memorato libello de Peste, eandem sequitur sententiam, sed aliam quoque causam admittit, nempe uenenum in corporibus genitum: ita enim definit, Pestis est lues cordis ab aere uenenato per spirationem, uel immissionem illata, aut ueneno intus genito effecta: unde diris symptomatis infesta est, contagiosa, ac plurimis eodem tempore funesta. Qui tamen uidetur addidisse duo illa à nobis reiectá, tanquam differentias febrim, & contagiũ, quæ ab alijs recentioribus explicatissimis uerbis proponuntur, ita ut eas specificas iudicent, & quæ pestis substantiã, naturamq; perficiant, sine quibus esse illa, & constare non possit, ex ingenti numero duorum, aut ad summum trium vobis afferam definitiones, Antonius Portus lib. 1. de Peste ita definit professus ex Galeni, Hippocratisq; sententia definire: Pestis est febris contagiosa vni Ciuitati, vel pluribus communis, à nutrimentorum, vel aeris corruptela proueniens, quæ putredinem excellentem in contentis à corde, vel in ipsius corpore

Recentiorum definitiones, in quibus febris, & cõtagiũ pro differẽtijs specificis ponũtur.

pore inducit, ac vt plurimum mortales perdit. A qua non dissimilis illa Horatij Augenij lib. 4. epistolarum medicarũ, quæ ita se habet: Pestis natura est febris cõmunis acuta, & contagiosa à putredine consumata internarum substantiarum cordis proficiscente. Hieronymus Mercurialis medicus celeberrimus eiusdem est sententiæ, sed parum sibi ipsi videtur constare (pace sit dictum viri præstantissimi, quem ego ob insignem illius, & multiplicem eruditionem maximè obseruo, & colo) nam primò in suis prælectionibus de Peste, cap. 4. ita definit Pestem, vt febrim videatur excludere, dicens esse morbum communem, complures simul etiã diuersarum regionum infestantem, lęthalem, & maximè contagiosum: cùm maximè ibi etiam doceat pestiferam febrim esse sine peste, & ex Galeno probet, & testetur etiam sibi visos in Veneta pestilẽtia bubones pestilentes, sine febre. Mox cap. 27. hanc tractans quęstionem, concludit non posse esse pestem sine febri. Ad auctoritates verò Hippocratis, & Galeni clarissimas respondet adhibita distinctione duplicis febris, vel insignis, vel exiguæ, de insigni febri loqui illis in locis auctores, sine qua posse esse dicit pestem, sed quòd fiat sine febri saltem exigua, & vix sensibili nunquã esse posse concludit: in quo videtur inuehere, ac introducere rursus in medicinam iam explosam à Galeno in arte medica ἀειπάθειαν, id est, sempiternam passionem, quæ est læsio vix sensibilis: nam morbum vult esse sensibilem læsionem. Simili vsus declinatione Augenius subterfugere conatus, ac deuitare hunc scopulum, & lib. 4. prioris Tomi adhibita distinctione notionum pestis, fatetur esse posse pestẽ sine febri, si sumatur pro pestifera constitutione, quod est μίασμα, idest, inquinamentum: sed si pro congerie morborum nequaquam, Sic Andræas Gallus fasc. 4. ad auctoritates Hippocratis antedictas sentit respondendũ, quòd pestis citra febrim, idest, perceptibilem mortales corripiat. Quibus verbis apertè inuehit, & ipse affectũ sempiternæ passionis: si enim nõ percipitur febris, perpetuò possumus febri laborare, alijsq; morbis. Verùm age iam probandum est singillatim nõ esse hęc duo febrim, & contagium differentias pestis, neque characterem illius constituere; quod fiet, si probabitur esse sine his posse pestem: non enim inficiamur vt plurimum esse comites, & pedissequos

ἀειπάθεια inuecta in medicinam à Mercuriali.

dissequos pestis, sed tanquã symptomata, vt alij morbi omnes, qui possunt adesse, & abesse in peste, non vt differentias specificas, formam, naturamq; pestis constituentes, & primum de febri demonstremus, mox de contagio. Id verò triplici ratione comprobandum: primò, testimonijs medicorum, tum veterum, tum recentiorum: deinde, argumentis, & rationibus: tertiò, exemplis ex historiarum penu depromptis. Inter medicos antiquos si Hippocratem, & Galenum proferamus, quis eorum non acquiescat auctoritati, aut maius desiderabit testimonium? Id ambo clarissimis, & explicatissimis verbis docuere multis in locis; sed nos vno, aut altero contenti cætera vobis inuestiganda relinquemus. Hippocrates in 3. Epid. Comment. 3. contex. 25. vbi enumeratis symptomatis, siue morbis, qui euenerant in pestilentibus illis constitutionibus, mox addit, ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα, καὶ ἄνευ πυρετῶν, idest, in febribus hæc, & sine febribus accidebant, ubi Galenus, exponens locum, ita subscribit: τινὲς μέντοι τῶν ἐπιπολῆς ἐχόντων τὴν τοιαύτην σηπεδόνα, καὶ χωρὶς πυρετῶν διεφθάρησαν τὰ μόρια, καὶ τινὲς αὐτῶν διὰ τοῦτο ἐσώθησαν ἐκκριθείσης τῆς κακοχυμίας διὰ τῶν μορίων, ὧν αὐτὴ διέσηψεν, idest, Nõnullis quidem in superficie huiusmodi putredinem habentibus, etiam sine febribus corruptæ sunt particulæ: & nõnulli ex his propterea seruati sunt, excreta cacochymia per illa membra, quæ ex ipsa computruerant. Et mox contex. 55. idẽ confirmat: narratis enim Epidemicæ illius dysenteriæ symptomatis, addit, πολλοῖσι μὲν αὐτὸ τὸ νούσημα εἰς τοιοῦτον κατέσκηψεν ἄνευ τε τῶν πυρετῶν, καὶ ἐν πυρετοῖσι, idest, multis quidem ipse morbus eo ingruit, sineq; febribus, & in febribus. Et in 6. Epid. sect. 7. contex. 1. enumeratis τῆς ἀναστροφῆς, idest, recidiuæ pestilentis incõmodis, addit, τούτων δὲ πλεῖστοι οὐδὲ ἐπυρέταινον, οἱ δὲ πολλοὶ βραχέα, idest, horum uerò plurimi neque febricitarunt: multi uerò breui. Galenus quoque præter explicationem Hippocraticæ dictionis, ubi semper confirmat, quod dicitur ab Hippocrate, sæpe id testatus est: sed est locus insignis de bolo Armena antidoto ad pestem optima, quam testatur dari in peste his, qui carent febri, in uino albo modicè diluto: eius uerba audite: πίνεται δὲ μετ᾽ οἴνου λεπτοῦ τὴν σύστασιν, κεκραμμένου μετρίως μὲν εἰ ἀπύρετος εἴη παντάπασιν ὁ ἄνθρωπος, ἢ βραχὺ πυρεταίνοι, πάνυ δ᾽ ὑδαροῦς εἰ πυρεταίνοι.

Demonstratur febrim non collocandã in definitione pestis.

Ex Hippocrate.

Ex Galeno.

ταίνοι μεζζόνως, οὐ μὴν οὐδὲ σφοδροὶ κατὰ τὴν θερμασίαν εἰσὶν οἱ λοιμώδεες πυρετοί, idest, Bibitur uerò cum uino tenui substantia, & constitutione, permixto moderatè quidē, si expers omnino febris sit homo, uel parū febriat, valde autem aquoso, si febriat ualde; non sunt autem uehementes in calore pestilentes febres. Et quoniam multi, quorum in numero est etiam Portus, ut scopulū hunc effugerent, dixerunt in 3. lib. Epid. ante memorato describi morbos etiam non pestilentes, & de his intelligendum, quòd febri carerent laborantes, opponendus est illis ipsemet Hippocrates eodem lib. contex. 21. ubi ait enumeratis illius constitutionis morbis, ἑκάστου δὲ τῶν ὑπογεγραμμένων ἰδέων ἦσαν οἱ κάμνοντες, καὶ θνήσκοντες πολλοί, idest, ex singulis antescriptarum morbi specierum multi ægrotabant, & multi moriebantur: quod idem est, ac si dixisset, omnes erant pestilentes, quod Galenus in Commentario confirmat his uerbis: ἐκ μὲν τοῦ φᾶναι, καὶ ἔθνησκον πολλοί, λοιμώδη τὰ ἐπιδημήσαντα γεγονέναι δηλοῖ, idest, dicendo multi moriebantur, pestilentes fuisse uagantes morbos per populum ostendit, neque ualet argumentum Porti, qui dicit inter hos morbos commemoratas etiā febres tertianas, quartanas, & similia, quæ constat non esse febres pestiferas, sed salubres: nam tempore pestis omnes morbi fiūt pestis, & in illam conuertuntur, tanquam illius symptomata, & non morbi separati, ut supra demonstratum est. Inter Arabes uidetur Haly hanc tueri sententiā, qui lib. 5. c. 11. suę Theoricæ enumerat plures morbos pestilētes, qui nō sunt febres, & Auenzoar, qui lib. 3. ita ait: Incipiam rememorare de ægritudinibus, quæ ueniunt tempore Epidemiali; & de febribus eorū, ubi uideē febres distinguere ab alijs Epidemicis morbis: & mox in Tractatu ipso tertio ait, ex his, quæ pluries, & pro maiori parte uidi accidere in Epidemia, sunt febres putridæ: ergo etiā alij morbi accidebant. Comprobatur uerò hæc Hippocratis, & Galeni doctrina multorum recentium medicorum testimonijs, qui id quotidie accidere autumant in pestilentijs, ut moriantur aliqui sine febri. Ioannes Michael Sauonarola de febribus pestiferis agens, quas constituit in ebullitione putrefactiua unius ex quatuor humoribus, ita ait, & ex isto apparet, quòd non inconuenit aliquem ex pestilentia mori absque febri; quoniam nō inconuenit, ut aer

Ex Arabum medicorū cōsensu.

Ex superioris ętatis medicorum testimonio.

occur-

occurrens cordi sit ita rabiosa venenositate infectus, vt ante aduentũ ebullitionis moriatur homo, & fortasse hoc omni die euenit: videmus enim tempore pestis multos mori in decem, aut viginti horis, vel circa, in quibus nullum signum febris visum est. Et Iacobus de Partibus (vt etiã refert Mercurialis) in suis Commentarijs in Auicennam testatur in ea peste, quæ fuit ætate sua, multos ægros ad se cum vrinis accessisse, quos tangebat, atq; inueniebat absque febri, & sine vllo graui symptomate, qui tamen aut statim interibãt, aut paulopost. Et Alexãder Benedictus lib. 1. c. 1. ita ait: Hoc malum miserabile mortalibus ita euenit subito, vt plurimi sine febri inter domesticas, aut forenses actiones, vel publica negocia decem horarum spatio, vel viginti sine vrinę, pulsusq; venarũ certo signo in templis, in via, in publicis officijs ex insperato rapiantur. Clementius Clementinus de Peste; & quandoque est tam pernitiosa, & mortifera, quòd sine febre, & alteratione vrinæ subito interimit. Plura possem testimonia laudare ex superioris seculi Medicis, sed hos arbitror satis esse ad rem probandã, aliquot etiam afferamus ex his, qui nostra florent, vigentq; memoria, vt per omnia secula communi medicorum consensu ab Hippocrate, & Galeno ad nos peruenisse demonstretur, & nos non temerè hanc tueri cum Thucydide opinionem. Alexander Massaria Medicus doctissimus, qui Patauij praxim ex prima sede honestissimè profitetur in libro primo de Peste, validissimè pro hac sententia pugnat, & omnium constantissimè tenet nõ adhibendam febrim in definitione pestis, rationesque, & argumenta profligat, & refutat aduersariorum. Et quia potissimum etiam locum illum Hippocratis in libro de Flatibus, quo maximè fidunt aduersarij, elegantissimè labefactat de duplici febre; communi ex aere, quæ dicitur pestis; & priuata, quæ fit ex praua victus ratione: ideo reijcio vos libenter ad illius disputationem. Eandem tuetur sententiam Sussius in libro de Mantuana peste. Eandem Diomedes Amicus in suo libro de Peste, cap. 14. Eandẽ Petrus Parisus cap. de Bubone, vbi probat pestiferum Bubonem sine febri extitisse multis argumentis, reprehenditq; Mercurialem secus asserentem in suis prælectionibus de Peste. Andræas etiam Gratiolus in suo Tractatu, cap. 15. testatur in sua peste se vidisse

Ex eorũ, q̃ nostra viuunt tẽpestate testimonio.

disse bubones pestilentes sine febri. Eandem tenent alij cõplures, im ò ferè omnes, qui Galeni, & Hippocratis doctrinam callent. Quidam etiam febrim intermittentem dari in peste existimant, vt Agricola, quem refutat his verbis Massaria: Quomodo febris intermittens, ac proinde, vel teste Hippocrate, omni periculo vacans, pestilens, atque adeo perniciosa esse potest? sed ego defendi posse Agricolã puto testimonio Titi Liuij, qui lib. 1. Dec. 5. pestem describens ait: In morbos qui inciderãt, haud facilè septimũ diem superabãt: qui superauerãt lõginquo maximè Quartanæ implicabant, morbo, quod videtur etiam significasse Dec. 3. lib. 7. vbi ait: Eo anno pestilentia grauis incidit per vrbem, agrosque: quę tamen magis in longinquos morbos, quàm in perniciales euasit; & argumentum Massariæ nihil ualet, quòd intermittens non possit cadere in peste, quia vacat periculo: nam exploratum est tempore pestis salutares etiam alios morbos esse tunc perniciales; defenditurq; etiam testimonio Hippocratis in 3. Epid. asserentis Tertianas, & huiusmodi febres intermittentes cum morbis pestilentibus grassatas, & factas pestilentes, quia multos occiderint; vbi etiam dicitur multos perijsse Quartanos: quam sententiam tuetur etiam Oddus de Oddis lib. 1. cap. vlt. sub finem: & Diomedes Amicus cap. 14. Neque vos debet illud perturbare, quòd Doctorum hominum fuerit sententia, vt nemo possit mori sine febre, adeo vt etiam in strangulatis à carnifice dicãt febrim superuenire; nam hæc opinio multis non probatur, & sub iudice adhuc lis est: multi enim contra statuunt, sed demus etiam verum hoc esse dogma, quod est maximè falsum: nõ tamen sequitur, pestem non posse esse sine febri; nam possumus dicere ex accidenti id fieri, vt moriens febriat, ita vt febris etiam peste affecto morienti superueniens, non causa pestis primario, sed causa mortis accidat. Febrim verò hanc non esse veram febrim, & legitimam dicimus, quia per accidens, & non essentialis: quod veteres omnes Medici senserunt, qui (teste ipso Mercuriali in sua praxi, cap. de angina) huiusmodi febres nõ dignabãtur nomine febris, quia per accidẽs; quare neque phrenitim, neque pleuritim appellabãt febrẽ, & si febris perpetuò cõiuncta sit his morbis, qui etiã anginã dixerũt esse sine febri, scilicet essentiali, nõ per accidens, quę

Febris intermittẽs potest esse in peste.

An aliqs possit mori sine febri.

illi semper comes. Age verò rem quoque comprobemus euentu, & ex historijs. Quam multas pestes reperimus febri caruisse, quam multas, in quibus si non omnes aliqui certè febri caruere? Aeschines Rhetor in prima epistola ad Philocratem, vbi Deliorum pestem describit, ita ait: Amplissimũ huius rei dans testimonium, πυρετοὶ δ᾽ οὐκ ἐγένοντο, οὐδὲ ἀλγηδόνες μεγάλαι, idest, febres non aderant, neque dolores magni. Agathias lib. 5. histor. meminit pestis, in qua pars febri laborabant; pars verò contra carebat. ἡ δὲ τῆς νόσου ἰδέα παραπλησία τῇ πρεσβυτέρᾳ ἐτύγχανεν οὖσα. πυρετοὶ γὰρ ἐπὶ βουβῶσιν ἀνῆπτοντο συνεχεῖς, καὶ οὐκ ἐφήμεροι, οὐδὲ μετρίως γοῦν ὑποχαλῶντες, μόνῃ δὲ τῇ τελευτῇ τοῦ ἁλόντος ἀποπαυόμενοι, ἔνιοι δὲ μήτε θέρμης ἡγησαμένης, μήτε ἄλλου ἀλγήματος, ἀλλὰ δρῶντες ἐπὶ τὰ εἰθισμένα οἴκοι τε, καὶ ἀνὰ τὰς λεωφόρους οὕτω παράσχον, κατέπιπτον, καὶ ἀθρόον ἄπνοι ἐγίγνοντο, ὥσπερ τὸν θάνατον σχεδιάζοντες, idest, Morbi verò idea adsimilis antiquæ fuit: febres enim in bubonibus accendebantur continuæ, & non ephemeræ, neque paululum quidem remittentes, solo autem correpti peste interitu cessantes: nõnulli verò neque calore vllo prægresso, neque alio dolore, sed actiones solitas persequentes: denique & per vias ita se gerebant, vt caderent, & repente exanimes fierent, quasi mortem per ludicrum repente obeuntes. Quod etiã in 2. histor. vbi Leutharij obitum describit rabie efferatũ, de illa peste innuit, dicens, multos perijsse febri correptos: ergo etiam aliqui sine febre. Sigonius libro 2. de regno Italiæ sub anno 558. describit pestilentiam terræ motum subsecutam, & de ea narrat in hanc sententiam, & verba: Febres ad Bubonem intumescentem adiectæ, eum, quem inuaserant, extinguebant: nõnulli verò, nec febre occupati, nec dolore vllo vexati, dum secreto corpora curarẽt, & domi, & foris, vt cuique contingebat, cadebant. Et Boccacius de sua peste, quæ omnium fuit acerbissima, ait: *Senza alcuna febre, ò d'altro accidente moriuano.* Aliæ sunt complures, sed ad rem probandam hæc arbitror satis esse, cùm præsertim possitis apud Masariã loco memorato plures videre, quas nos consultò omittimus, ne actum agere videamur, inter quas ponit & illam Vicentinam sui temporis, in qua testatur multos febri caruisse, & hanc ipsam Thucydidis collocat, licèt mox reuocet quasi pedem, & fateatur, vel saltem

Probatur esse pestẽ posse sine febri ex historijs pestiũ quæ febri caruere.

non audeat negare adfuisse febrem. Eius hæc sunt verba: An fortasse hac in re nobis exempla desunt? Thucydides celebrem illam pestilentiam accuratissimè describens, vt neque leuia quæq; prætermittat, febris non meminit, cuius tamen pręcipuam mentionem illum facturum fuisse credi potest, si modo illa ęgroti manifestò laborasset, quamquā ex immoderato interno ardore, vt neque tenuia vestimenta, nec aliud quicquā sustinere illi posent, ne febre quidē caruisse, illos conijcere licet. Sed de hac re suo loco disputabit.

Argumētis probatur posse esse pestē sine febri.

Restat, vt idem etiam comprobemus argumentis. Inter quæ illud familiam ducit à similitudine deductum: Si enim constat dari venenum non modo calidum, sed etiam frigidum; ergo etiam in peste, quę est venenum, vt demonstratū est, & alibi demonstrabitur, debet esse aliquod symptoma, quod nō sit febris, cū non semper calor dominetur in peste.

Secundum argumentum deducitur à causis pestis, quæ sunt multiplices, & inter alias potest esse etiam frigus: nam constat ex historijs frigoris quoque causa pestes genitas, vt illa, qua Liuius lib. 5. quæ subsecuta est hiemem gelidā, ac niuosam, adeo vt viæ clauderentur, & Tybris esset glacie innauigabilis, & illa, quæ consecuta est Padum conglaciatum, de qua in Præfatione nostra diximus, & aliæ cōplures. Quod quidem fieri posse multi sunt, qui autument etiam Medici, & vt omittam antiquos Auicennam, qui id apertè testatur, & Hippocratem, ex cuius libris Epid. tertio præsertim colligi id potest, cùm dicat hieme multos tabidos perijsse, & sacro igne correptos propter frigus, ex recentioribus tuentur hanc sententiam non pauci, asserentes ex frigida cōstitutione oriri pestem, vt Andernacus, Andræas Gallus, Gratiolus, & alij complures. Ergo potest esse pestis sine febre.

Tertium argumentum depromitur à symptomatis: nam in hac ipsa peste narratur multos amisisse memoriā, & suorum, suiq; nominis oblitos, quod profectò nulla alia vi factum, nisi cerebro refrigerato: ergo potest esse pestis sine febri, cùm adsint symptomata à frigiditate profecta, cum quibus non est profectò febris adiuncta.

Quartum sumi potest à varietate morborum in peste vagantium, inter quos sunt etiam multi frigidi, quos superueniens soluit febris; ergo datur pestis sine febri: pugnarent

enim

enim hæc inuicem adesse semper febrim in peste, & sæuire morbos frigidos, qui febri accedente soluuntur in peste.

Quintum, & vltimum à ratione consequentis ex Dialectica methodo desumitur: nam si datur aliqua febris, quæ sit sine peste, vt omnibus est exploratum (quinimò Galenus docet dari etiam febrim pestilentem sine peste, de qua re alibi disputabimus, si feret occasio) ergo debet dari etiam pestis sine febri, vt scilicet possint subcontrariæ propositiones simul esse veræ, aliqua febris est sine peste, aliqua febris est cum peste, cùm earum contradictoriæ ambæ falsæ, nulla febris est sine peste, omnis febris est sine peste: quæ propositiones si veræ sunt, & rectè colliguntur, profectò eadem debet esse veritas in earum conuersis, quæ sunt subcontrariæ, aliqua pestis est cũ febri, aliqua pestis non est cum febri, quæ ambæ veræ, vt contradictoriæ ambæ falsę, omnis pestis est cũ febri, nulla pestis est cum febri: sed rem hanc esse meridiana luce illustriorem iam factam puto: quare ad alia me conuerto, & de contagio quoque idem asserendum, atque constituendum existimo, quòd scilicet non sit in definitione pestis collocandum, tanquã differentia specifica, sed esse symptoma separabile, & non necessariò inhærens, aut consequens, vt de febri dictum: in qua disputatione, quia longiores fuimus, hic breuiores erimus: nam multæ pestes recensentur, in quibus non adfuisse contagium narratur, vt in illa Procopij superius in Præfatione memorata, quam caruisse contagio dicunt, vt in illa Dauidi immissa, in qua Iosephus asserit consumpta septuaginta millia hominũ paucis vnius diei horis, nempe à mane ad prandiũ, vt omnes ferè à Deo immissę, quas nimis esset longum persequi, cùm vos videã audiendi satietate iã defatigatos, vt ipse sum dicendi. Gregorius Nyssænus egregius Philosophus, & medicinę etiam nõ ignarus, explicans illud dictum Seruatoris, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: multis, & disertis verbis ostendit pestilentiam non esse contagiosam, licèt D. Basilius, qui etiam Medicus fuisse prohibetur in explicatione primi Psalmi, pestem natura dicat esse contagiosam, sed excusandus, quia ibi agit Interpretem, & ex vulgi sententia loquitur. Huius sententiæ sunt omnes ferè probati, & illustres Medici, qui de peste scripsere, quiq; sequi Galeni doctrinam

Cõtagiũ quoq; nõ est adhibẽdũ in definitione pestis.

pro-

profitentur maximè, vt Philippus Ingrassias, Oddus, Alexander Massaria, qui omnium maximè in primo libro hanc tuetur mordicus sententiam, necnon Diomedes Amicus, & alij complures. Marinellus, Curtij Marinelli Medici eruditi, & amici nostri, necnon Lucretiæ Marinellæ virginis nostra hac tempestate omni dicendi, & poetica præsertim laude celeberrimæ, parens, in disputatione de Peste Venetiarũ 1575. argumento tertio, vbi refutat tanquã falsum illud conclusum: contagiosus, ergo pestilens morbus, Triplex statuit genus pestis, Impertiens, Impertitum, & Impertiens, Impertitumq; simul. Et eam pestem, quæ est impertiens tantum, vt quę venit ab aere, dicit non afferre contagionẽ: nam aer, & homo, quamq; corpora distincta inter sese, quorũ vltima sunt simul: tamen nõ sunt inter se motiua, & mobilia, nec actiua, & passiua, & quæ huius sunt generis, eorum non est verum contagium, imò neque cõtactus: quod tamen secus quibusdam videtur: nam Diomedes Amicus, cap. 3. concludit in peste ab aere pestilenti procedente, tunc potissimum adesse contagium, quando putrefactio in eo existit, vt de peste, inquit, quæ ex Aethiopia aduenit, cõstat: sed de hac tota re alibi erit disputandum.

ἀνθρώπων, Hominum.] Hoc adhibitum in definitione pestis à Thucydide vocabulum plura nobis problemata suppeditat, & quasi discutienda, & explicanda proponit: primum, an de solis hominibus dicatur verè pestis, an verò de omnibus animantibus: secundum, an detur pestis, quæ solos homines interficiat, reliquis intactis animantibus, & è contra. tertium, an detur communis omnibus animantibus, & an hæc Atheniensis fuerit ex eo genere: quartũ, an sit aliquod animal immune ab omni pestis genere: & an sit aliquod genus hominum, quod peste non attingatur. Quod attinet ad primum dicimus pestem veram, & legitimam de solis dici hominibus, & omnes medicos de sola peste hominum facere mentionem, & tradere, ac docere curationis modum: & quamuis hoc verbum non sit positum ab Hippocrate, Galeno, alijsq; medicis in definitione pestis, per excellentiam tamen semper de eo loqui iudicamus, cùm hominum sit medicina, non brutorum, cùm præsertim artifices artificibus scribant, qui id præclarè tenent, & artis suæ obiectũ, & stratum

An pestis vera dicatur de solis hominibus.

tum sciunt esse humanum corpus: quod etiam in ipsa artis definitione collocatur, quam dicunt esse scientiam, qua humani corporis affectiones cognoscũtur ad abigendos morbos, & inducendam bonam valetudinem, ac tuendam, nam de brutorum morbis docent Veterinarij. Thucydides verò apposuit verbum, Hominum, quippe qui idiota idiotis, idest non medicis, ipse etiam Historicus, non Medicus scribebat (vt dixit Galenus de diff. respir.) vt scilicet significaret, se pestem hanc persequi, quasi ad actiones hominum, quas complectebatur historia, pertinentem, & dignam, quæ literarum monumentis consignaretur ab auctore: nam si fuisset brutorum, non eam esset profectò persecutus. Ad secundum dicimus procul omni dubio dari pestes, quæ solos homines afficiãt, & huiusmodi sunt ferè omnes, in quibus etiam videmus sępenumero canes, & feles, ac mures, & similia animantia illæsa ipsa pestis contagionem deferre in domos alienas, & intactas adhuc, seminarijs protinus inficere pestilentibus: quare decreto etiam publico solent interfici, & è contra etiã dantur species pestis, quæ tantum bruta perimunt, & est hoc frequentissimum: nam visæ sunt pestes, quę solum in boues grassarentur, quædam, quæ solum in porcos, quædam, quæ solum in oues, quod est frequentissimum: & quædam, quæ in alia animantium genera, cæteris intactis; quædam etiam recensentur, quæ in arbores tantum sæuierunt: inter humanas quoque pestes est maximum discrimen; nam quædam pestes fuere, quæ magis hoc, quàm illud genus hominum afficerent, vt illa Liuij lib. 37. quæ sæuijt potissimum in remiges. Ingruere morbi vulgo, maximè in remiges cœperunt, vt illa, quæ à Dionysio Halycarnassæo lib. 9. narratur, quæ ingruit potissimum in grauidas: *νόσος ἐνέσκηψεν εἰς τὰς γυναῖκας καλουμένη λοιμική, καὶ θάνατος, ὅσος οὔπω πρότερον, μάλιστα εἰς τὰς ἐγκύμονας*, idest, morbus ingruit in mulieres dictus pestilens, & strages, quanta nunquam antea præcipuè in grauidas, vt ea, quæ ab eodem commemoratur lib. 4. in virgines, & pueros grassata potissimum, *κατέσκηψεν οὐκ εἰωθεία νόσος εἰς παρθένους τε, καὶ παῖδας*, idest, ingruit insolitus morbus in virgines, & pueros, vt illa, quæ apud illum legitur in plebem, & multitudinem lib. 7. *ἥψατο δέ τις, καὶ νόσος τοῦ πλήθους λοιμική*, idest, attigit verò, & quidam morbus pestilens plebem, vt il-

An dẽt pestis, quę solos homines, vel bruta separatim afficiat.

Pestes, q̃ magis vnum gen⁹ hominũ, q̃ aliud inuaserunt.

la,

la, quæ accidit anno ſalutis 558. de qua Sigonius libro 20. præcipuè iuuenes vis illa morbi abſumebat, & mares magis quàm fœminas: nam diſſimili lue conficiebantur, vt hæc ipſa Athenienſis, quæ Athenienſes affecit, non Peloponneſios, teſte Thucydide, vt illa apud Euſebium, quæ Ethnicos, non Chriſtianos, & aliæ.

An detur peſtis genus cõmune omnibus animantibus

Ad tertium reſpondemus, dari frequenter genus hoc peſtis vniuerſum, & commune, quod pari clade, & bruta conficit, & homines, atque ſæpenumero ab ipſis brutis, & ratione carentibus ad homines delabi, & quaſi degenerare, & è contra. Sic illa peſtis, quæ narratur à Liuio lib. 41. à bobus in homines vertit. Verba ſunt Liuij, Delectus Coſs. eò difficilior erat, quòd peſtilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, eò verterat in homines, &c. lib. 1. idem Liuius meminit peſtilentiæ, quæ fœda homini, fœda pecori lib. 4. vbi ait, multa Duumuiri ex libris, placandæ Deũm iræ, auertendæq́; à populo peſtis cauſa fecere; magna tamẽ clades in Vrbe, agriſq́; promiſcuè hominum, pecorumq́; pernitie accepta. & lib. 5. de ea peſte communi ait, grauis, peſtilenſq́; omnibus animalibus æſtas excepit. Huiuſmodi fuiſſe hanc Athenienſem poſſumus aſſerere, cùm dicat in fine huius narrationis. ὄρνεα καὶ τετράποδα ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων, ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρετο, ideſt, aues, & quadrupedes, quæcumque hominum carnes attingunt, cùm multi eſſent inſepulti, vel non accedebant, vel ſi guſtaſſent, moriebantur: & quod mox addit de canibus, qui ob contuberniũ magis ſenſerunt: quare Aetius, Paulus, & alij cõplures medici ſolent inter ſigna futuræ peſtis collocare interitus prægreſſos, vel brutorum quadrupedum, vel pennatorum.

An piſces nõ ſint obnoxij peſti; vt vult Ariſtoteles.

Ad quartum problema dicimus nullũ eſſe animantis genus, quod non ſit aliquo modo obnoxium peſtilentiæ, licèt Ariſtoteles 8 de hiſtoria animalium, cap. 19. dicat, morbum peſtilentem non incidere vniuerſis piſcibus. Ait enim, νόσημα δὲ λοιμῶδες μὲν ἐν οὐδενὶ τοῖς ἰχθύσι φαίνεται ἐμπίπτον, οἷον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων συμβαίνει πολλάκις, καὶ τῶν ζωοτόκων, καὶ τετραπόδων εἰς ἵππους, καὶ βοῦς, καὶ τῶν ἄλλων εἰς ἔνια, καὶ ἥμερα, καὶ ἄγρια, ideſt, morbus peſtilens quidem nequaquã piſcibus videtur incidere, vt in homines contingit ſæpè, & in animantia viuipara, & quadrupedes, in equos, & boues, & alia nõnulla tam

dome-

domestica, quàm agrestia, quod mox sequenti capite etiam affirmat de palustribus, & fluuialibus; nam ibi loquitur solum de maritimis: Cuius rei causam dicunt esse nonnulli, quia aer non ingreditur aquam, nisi in superficie: sed cùm fateatur ibi Aristoteles pisces etiam ęgrotare tam maritimos, quàm fluuiales, non video, cur non possint, aut debeant in communi peste ipsi quoque periclitari, quamuis demus nō pati proprium aliquod pestis genus, quo tamen carere non ausim etiam affirmare, cùm aquarū quoque causa excitentur pestilentiæ, & possint multis modis vitiari, tum ex terræ coniunctæ vaporibus, tum alijs de causis plurimis, aquæ, ad quæ accedit, quòd cùm venena, & venenatos pisces producant aquæ, vt constat de multis, consentaneum quoque est, vt possint concipere pestilens venenum, neque est verissimile, Deum Optimum Maximum voluisse à communi periculo pisces esse immunes, cui ipsum hominem ad sui imaginem creatum, cuius gratia cætera condidit, maximè voluit esse obnoxium. Age verò quis sub tanta aquarum vi, & copia potuit deprehendere in alto præsertim Oceano, quòd pisces non capiantur peste? Ego puto omnia orta, cùm sint etiam casura, posse pestilenti veneno tolli, & nihil esse ab eius labe immune, nisi quod Deus voluerit. Idem asserendum arbitror, de quibusdam hominibus, quos tradunt non attingi à peste. Iulius Cæsar Scaliger exerc. 32. tradit oram illam Occidentalis Aethiopiæ, quæ Nigir fluuiū accolit nūnquā pestem sensisse, sed semper expertem huius fuisse maleficij. Cardanus de subtilitate, lib. 10. testatur, in India apud Calecutum urbem, & totam regionem nunquā pestem uisam. Plinius lib. 2. cap. 98. idem euenisse Locris, & Crotone asserit, ubi nunquam dicit peste laboratum. Mercurialis cap. 17. dicit Moschouitas, & Nigritas nūnquā peste tentatos: quain re ita dicendum, si nolimus in dubium reuocare historiæ ueritatē (Pliniū enim multi sunt, qui putent non ita esse uera, ne dicam de alijs) si credere dignū est ita fuisse, non propterea immunes fuisse hos homines, quia peculiari prerogatiua donati sint, sed casu id factū, locorū salubritate, uel alia aliqua de causa, ne peste tentarentur, vel si tentarentur, (quod factū fuisse existimo aliquādo) minus persentirent illius uim: & ideo immunes fuisse dictos. Qua ratione dixit

Homines & loca, q̄ nunquam peste tentata.

Aristoteles, quasdã uolucres esse ἄποδας, id est, sine pedibus, non quòd careant omnino pedibus, sed quòd habeant exiguos, & medici appellant præfocatas, ἄπνους, id est, sine spiritu, non quòd omnino nihil respirent: essent enim mortuę, sed quòd parum. Sic Hippocrates in tertio Epid. dixit ἀπνοίας διὰ τέλεος, à ventis silentium perpetuum: cùm tamen mentio sit flatuum, & ventorum, qui spirarunt, eo ipso anno: significat enim pusillum fuisse ventum, & nullius momenti, vt contra Euagrius dixit suam pestem fuisse πανολέθριον, non quòd omnes occiderit, sed maiorem partẽ. Sed demus etiã verum hoc esse; non tamen asserendum, non posse eos aliquando tentari, & esse obnoxios: non enim sequitur, quòd si quis nunquã febricitauit, non possit mox febre corripi, neque, quia Xenocrates nunquã risit, ridendi facultate caruisse illum asserendum. Cur verò hæc omnia accidant, quæ diximus in his problematis, facilè cognoscemus, si in memoriã reuocabimus, quæ sunt ab Aristotele iacta fundamenta, nullum agens nisi in patiente accõmodato, & apto suam exercere actionem, quod mox à Galeno vsurpatum, & sæpius repetitum, οὐδὲν τῶν αἰτίων ἄνευ τῆς τοῦ πάσχοντος ἐπιτηδειότητος ἐνεργεῖν πέφυκε, id est, nulla causa sine patiẽtis aptitudine agere natura consueuit, prout ergo vel hominum, vel brutorũ sunt cõstituta corpora, ita etiam causæ vel magis, vel minus agunt; vnde oriuntur etiam naturales illæ sympathię, & antipathiæ, necnon dispositiones ad suscipiendum causarum effectus, vel resistendum: quam rem elegantissimè explicat Hippocrates (si modo eius est) in libello de Flatibus, vbi videtur quasi de industria horũ à me propositorũ problematum solutionẽ afferre: cùm enim statuisset διοσὰ ἔθνεα πυρετῶν, id est, febrium duo genera; alterum commune, quod dicit vocari λοιμὸν, id est, pestem; alterũ priuatum à praua victus ratione profectum, quo afficiuntur hi, qui peccant in victus ratione, mox infert de pestilenti morbo verba faciens (locum integrum recitabo, vt res planior fiat, & dilucidior) ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς διὰ τοῦτο τοιοῦτός ἐστιν, ὅτι τὸ πνεῦμα τωὐτὸ πάντες ἕλκωσι. ὁμοίῳ δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος ὅμοιοι, καὶ οἱ πυρετοὶ γίνονται, ἀλλ' ἴσως φήσει τις. διὰ τί οὖν οὐχ ἅπασι τοῖσι ζώοισι, ἀλλ' ἔθνει τινὶ αὐτέων ἐμπερίπτουσι αἱ τοιαῦται νοῦσοι, διότι φαίην ἄν, διαφέρει σῶμα σώματος, καὶ φύσις φύσιος, καὶ

τροφὴ

Causę antedictorũ accidẽtiũ in peste.

τροφὴ τροφῆς, οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταῦτα, οὔτ' ἀνάρμοσα, οὔτ' εὐάρμοσά ἐστιν. ἀλλ' ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα. ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιουτέοισι πλησθῇ μιάσμασι, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμια ἐστὶν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσι, ὅταν δὲ ἑτέρῳ τινὶ ἔθνει ζώων ὁ ἀὴρ ἀνάρμοσος ᾖ, τὸ νόσημα κεῖνα νοσέουσιν, ideſt, Cōmunis igitur febris propterea talis eſt (ideſt, cōmunis omnibus) quia ſpiritum eundē omnes trahunt: ſimili verò ſpiritu, ſimili modo corpori immixto, ſimiles etiā febres fiunt: ſed fortaſſe dicet aliquis: Cur ergo non omnibus animantibus, ſed generi cuidam ipſorū accidunt [hi morbi?] quia (inquā ego) differt corpus à corpore, & natura à natura, & nutrimentum à nutrimento: nō enim omnibus generibus animantium hæc aut nō conſentanea, aut conſentanea ſunt; ſed alia alijs congrua, & accōmodata. Quibus ex verbis habemus quinque cauſas, propter quas dictæ varietates in peſtilentijs accidunt. Prima eſt qualitas aeris, quæ non eadem ab omnibus hauritur. Secunda eſt, modus attrahendi, qui non omnibus idem: piſces enim exempli gratia, alio pacto, quam nos hauriunt, cùm pulmone careant, aerem, ſi modo trahunt, quod nonnulli in dubiū reuocant. Tertia eſt, corporum conſtitutio Quarta, natura, ſiue temperamentum. Quinta, & poſtrema, victus ratio: per quam etiam conſtat, poſſe nos aeris quoque vitia declinare, & uitare peſtem, ut Socrati in hac ipſa Athenienſi peſte ferunt eueniſſe, qui illius incommoda ſolus effugit, ſummo uſus remedio temperantiæ. Apertiſſimis uerò argumentis res hæc tota explicatur à Galeno in 1. de diff. febr. cap. 4. ubi agit de febre peſtilenti, & reddit rationem, cur tali, ucl tali tempore non omnes ſimiliter afficiantur, & in peſtilentijs nō omnes moriantur. Subditque, μεγίστη μοῖρα γενέσεως νοσημάτων ἐστὶν ἡ τοῦ μέλλοντος πάσχειν σώματος ἑτοιμότης, ideſt, maximam partem in generatione morborum habet ipſa paſſuri corporis promptitudo, ſiue habilitas: & mox in eandem ſententiam, χρὴ ἐφ' ἑκάστου τῶν αἰτίων ᾗ τινι μάλιστα ἐπισκεψάμενον δυνάμει νοσάζειν πέφυκεν, ἑξῆς ἐπισκοπεῖσθαι τὰς ὁμολογούσας, καὶ ἀντιβαινούσας αὐτῷ διαθέσεις τῶν σωμάτων εὖ εἰδότα, ὡς ταῖς μὲν ὁμολογούσαις ἑτοίμη βλάβη, ταῖς δὲ ἐναντιωμέναις τε, καὶ ἀπομαχουμέναις, εἰς ὅσον ἂν ἥκει δυνάμεως, καὶ μεγέθους ἡ ἐναντίωσις, εἰς τοσοῦτον ἀπαθέσι τοῖς ὑπάρξει διαμένειν, ideſt, Oportet in unaquaque cauſa contemplatum, qua potiſſimum potentia ſit

Quinque cauſæ ex quibus oritur ī peſtilentijs varietas.

 para-

paratũ natura ægrotare, deinceps considerare consentientes illi, & aduersantes dispositiones corporum, illud pro cõperto habentem, quod consentientibus facilis, & parata læsio: aduersantibus verò, & contrapugnantibus, quantum uiribus, & magnitudine crescit contrarietas, tantum inuictis esse contingere. totoq; illo capite nihil aliud agit, nisi, ut uarijs rationibus, & argumentis probet uarietatem hanc læsionis uel maioris, uel minoris, uel nullius in corporibus pendere ex ipsorum corporum constitutione, & statu, quam uocat modo ἐπιτηδειότητα, modo ἑτοιμότητα, modo διάθεσιν: & confirmat id etiam ex methodo ipsa curatiua, quâ in pestilenti statu utens saluti corporum consulebat, humida nimis corpora exiccando, temperata retinendo, plena, & cacochyma minuendo, obstructa aperiendo, & similibus, cuius se dicit fecisse mentionem, ut doceret, Καθ' ὅν τινα τρόπον ὑπὸ μιᾶς αἰτίας δυναστευούσης ἔνιοι μὲν ἁλίσκονται πυρετοῖς, ἔνιοι δὲ ἀπαθεῖς διαμένουσιν. αἱ γὰρ τῶν σωμάτων διαθέσεις ἀνόμοιοί τε, καὶ πολυειδεῖς ὑπάρχουσαι, τίνες μὲν εὐνίκητοί τε, καὶ παθεῖν ἑτοιμόταται πρὸς τῆς ἐνεργούσης αἰτίας εἰσί, τίνες δὲ ἀήττητοι, καὶ τὸ πάμπαν ἀπαθεῖς ὑπάρχουσιν, ἢ δυσκόλως πάσχουσι, idest, Quo nam pacto ab eadem causa potenti, nonnulli quidem corripiuntur febribus, nonnulli uerò illæsi perseuerant: Corporum enim dispositiones dissimiles cùm sint, & multiformes: aliæ quidem de facili superabiles, & ad patiendum sunt aptissimę ab agente causa: aliæ uerò inuictæ, & omnino impassibiles remanent, uel difficillimè patiuntur. Et in fine capitis repetit, curationis rationem, siue sit ἴασις, siue προφυλακή, idest, siue curatio, siue præcustodia, locuples dare testimoniũ, quòd in pestilentijs affici, uel non affici morbis pendet à corporũ habitudine, & dispositione ad patiendum, uel reluctandum causæ morbificę, οὐ σμικρὸν τεκμήριον ἐστὶ τοῦ μὴ πάσχειν ὁμοίως ὑπὸ τῆς τοιαύτης αἰτίας ἅπαντας, ἡ τῶν κωλυθέντων ἁλῶναι τοῖς ἐπιδημίοισί τε, καὶ λοιμώδεσι νοσήμασι διάθεσις, idest, Non paruũ argumentum est, quòd patiantur similiter ab eadem causa omnes, eorum dispositio, qui prohibentur corripi ab Epidemicis, & pestilentibus morbis. Illustratur à simili ratio hæc, uenenorum exemplo: nam quædam sunt uenena, quæ omnibus animantibus sunt noxia, ac deleteria; quædã quæ uni animantium generi uenenum, alteri cibus, ut de cicuta constat,

Veneno-rum exẽ-plo decla-ratur pe-stis natu-ra.

ſtat, quæ ſturnis cibus nobis, uenenum: quędam quæ præparatione quadam ita mitigantur, ut uires ueneficas amittant, quod in ſolutiuis uehementibus medicamẽtis uidemus euenire quotidie, quæ naturam referunt ueneni, ut in Helleboro, Stibio, & alijs quamplurimis, quædã quæ ſubito, enecãt: quædam rurſus, quæ longis implicant morbis, & longo poſt tempore homines tollunt.

οὔτε γὰρ ἰατροί, Neque enim Medici.] Duas uidetur cauſas afferre Thucydides, cur initio nihil profuerit Medicina, nempe peſtis ingens uirus, & Medicorũ ignorantiam, primã cauſam attigit eleganter etiam Ouidius, qui lib. 7. ita ſcribit:

Medicina initijs peſtilẽtiarũ nihil valet ob duas cauſas.

Dum viſum eſt mortale malum, tantæq; latebat
Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi,
Exitium ſuperabat opes, victæq; iacebant. Et lib. 15.
——— *Poſtq; mortalia certum*
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentum,
Auxilium cæleſte petunt. ———

Idem attigit breuiſſimè Sillius Italicus hoc Hemiſtichio:
Succubuit Medicina malis. ———

Vergilius in Georg. non omiſit tanquam maximè accommodatum ad exaggerandum, & ad πάθος:
Quæſitæq; nocent artes, ceſſere magiſtri
Phyllirides Chiron, Amithaoniusq; Melampus.

Manilius lib. 1. Aſtronomicorũ, ubi meminit huius peſtis, de hoc ſic ait:
Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant,
Ceſſerat officium morbis, & funera deerant
Mortibus, & lachrimæ. ——— Et Seneca in Oedipo:
Non vota, non ars vlla corruptos leuant,
Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.

Eandem attigit Diodorus Siculus Biblioth. lib. 14. de Peſte Carthagin. καθόλου δὲ συνέβη, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἰατρῶν βοήθειαν ἄπρακτον εἶναι, καὶ διὰ τὸ μέγεθος τοῦ πάθους, καὶ τὴν ὀξύτητα τοῦ θανάτου, ideſt, Generatim uerò accidit, & medicorum auxilium eſſe inefficax, tum ob mali magnitudinem, tum ob celeritatem mortis. Boccacius elegantiſſimè utramque attigit cauſam in deſcriptione peſtilentiæ ſui temporis, in qua uidetur Thucydidem ante oculos ſemper habuiſſe, & illum imitatus, cuius hæc ſunt uerba, materno ſermone: *A cura*

delle

delle quali infirmità nè consiglio di Medico, nè virtù di Medicina alcuna pareua che valesse, ò facesse profitto; anzi ò che natura del malore nol patisce, ò che l'ignoranza de' medicanti (de' quali, oltre il numero delli scienziati, così di femine, come d'huomini senza hauere alcuna dottrina di Medicina hauuta giamai, era il numero diuenuto grandissimo) non conoscesse da che si mouesse, & per conseguente debito argomento non vi prendesse, nõ solamente pochi ne guariuano, anzi quasi tutti infra'l terzo giorno della apparizione de sopradetti segni, chi più tosto, chi meno, & i più senza alcuna febbre, ò d'altro accidente moriuano. Et Matthæus Villanus in sua historia eandem pestem describens, inquit: *E' Medici in catuna parte del Mondo per Filosofia naturale, ò per Fisica, ò per arte d'Astrologia non hebbono argomento, nè haueano cura.*

ἤρκουν, Pares erat, sufficiebant.] Hoc uerbum nullo Latino exprimi commodè potest; ideo ualdè in eius notione exprimenda laborant Interpretes. Valla uertit, pares erãt; Acacius, sufficiebant; Portus pluribus explicat: ægrotis mederi, eosq; sanare poterant, in Scholijs, opem ferebant, remediũ reperiebant. Hoc eodem uerbo, eandem uoluit exponere sententiam Halycarnassæus lib. 10. οὔτε τῶν ἰατρῶν ἀρκούντων ἔτι βοηθεῖν τοῖς καμάτοις, idest, Cùm neque Medici sufficerent amplius laboribus, doloribusq; auxiliari. Hoc loco Græcus Scholiastes addit, εἰ γὰρ εἴδησαν, ὅτι λοιμὸς ἦν, οὐκ ἂν ἐπεχείρουν διὰ τὸ μεταδοτικὸν, idest, Si enim sciuissent, quòd pestis esset, non adhibuissent manus, ob contagij uulgationẽ. Quæ quidem uerba mihi uidẽtur esse transposita: nam debent apponi uerbo ἀγνοίᾳ, idest, ignorationi. Neque mirum hoc, quoniam id multis alijs in locis factum obseruauit inter cæteros Henricus Stephanus, qui etiam hoc loco notat respicere ad illud uerbum. Ait enim, Respiciunt ad uocem illam Thucydidis ἀγνοίᾳ, tanquam Thucydides dicat, quòd Medici initio curationes, & remedia ægrotantibus adhiberent, id ex eo contigisse, quòd morbum, quo illi laborabant, pestem esse ignorarẽt: si enim id sciuissent, non fuisse aggressuros id facere, contagionis metu, quasi uerò (addit adhuc) eo tempore timidiores, quam hoc, Medici forent, quo multi ad curandos, quos peste laborare sciunt, accedere non dubitant.

Hippocrati similis Thucydides in co-

Τὸ πρῶτον, Primũ, ab initio.] Vel ex hoc loco discant studiosi Auditores, quàm sit Hippocrati similis in dicendi genere Thucydides, audiuistis ex me sæpe in explicandis Aphorismis

rissimis Hippocratem ita solitum coagmentare uerba, ut ex uaria illorum syntaxi, uarios sensus; & omnes in arte medica præclaros liceat elicere, & expiscari. Idem obseruare licet in hoc Scriptore, ut hoc etiam loco: nam hoc uerbum potest accomodari superiori ἤρκουν, & ita erit sensus, quòd medici ab initio quidem propter vim morbi, addo etiam ignorationem causarum vincere tantum malum medicamentis nequaquam poterant, innuens subsecutis postea temporibus, mitiori facto morbo, & exploratis causis, atque deprehensis adhibita remedia, & sanatã pestem, & ita tacitè Hippocrati, qui dicitur hoc præstitisse, suus reddetur honos: vel potest accommodari subsequentibus verbis θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, medentes ignoratione, & hæc erit accõmodata Scholiastis interpretationi explicatio, quòd scilicet ignorarent esse morbum vagantem, pestem, quod si sciuissent, cauissent, vt postea fortasse fecerunt: cognita enim peste, à curando destiterunt, sibi fuga consulentes, metu contagionis.

gmentandis verbis suę orationis.

ἀγνοίᾳ, Ignoratione.] Duplex hæc potuit esse ignorantia, & quòd esset pestis, & ignoratio causæ, siue etiam medicinæ accommodatæ, quod vtrumque solet initijs pestilentiarum euenire. Et primum solet esse frequentissimũ: semper enim Medici in dubium reuocant, an pestis sit, necne, qui grassatur morbus. Philippus Ingrassias in suo libro de peste Panormitana, cap. 4. & mox 11. multis probat non esse mirandũ, si ab initio non fuerit cognitus ille morbus, huncq; pro defensione sui, aliorumq; medicorum Thucydidis locũ citat, præterea multis vtitur exemplis recentium pestilentiarum, in quibus id semper acciderit, vt Venetijs frequentissimè, laudatq; rei testem Alexandrum Benedictum, qui lib. de febre pestilenti, cap. 12. Idem probat, citato etiam hoc Thucydidis loco, ita scribens: Marcus Antonius Cornelius Patritius Venetus inter sæuissimæ pestilentię ætatis nostrę initia, in qua plures Medici extincti sunt, ignoto morbi genere (nondum enim pestis detecta erat) febre satis leui correptus est, quam vel ephimerinam putabant, submisso per membra calore, & cæteris notis securitatem promittentibus, septimo die caput, ac ceruix sudore frigido maduerunt, atque protinus interijt. Interea dum admirarentur Medici, dum casum inopinũ perscrutarentur, dumq; vulgus insanũ eos damnaret

Duplex ignoratio medicorũ in pestilẽtijs.

Initijs pestilẽtiarũ semper ignoratan sit, & dubitatur.

ret

ret inscitię; ecce per plures vicos ciuitatis pestis acrius vrbē cœpit premere, adeo vt 300. protinus singulis diebus funera redderentur, & infra etiā narrat casum similem ignoratæ pestilentię, his verbis: Patauij quoque ætate nostra Antoninus quidā Siculus disciplinarū nostrarum sectator, laterum dolore vrgebatur, pleuriticusq; à medicis habitus est: is quinto die obijt; ac pestilentia statim subsecuta est. Sic in peste anni 1535. factum dicit, vbi narrat per triduum feriatum à publicis prælectionibus Patauij ex Senatus Veneti decreto, vt Medici studerent, ac perscrutarentur, an esset pestis, sic factū asserit anno 1555. vbi etiam decepum Nicolaum Massam dicit, Medicum egregium, qui credidit primo ex aeris vitio ortum malum, mox ex Iustinopoli delatum contagiū compertum est, quod ille agnoscens, cecinit Palinodiam in epistolis: sic nostra memoria euenit anno 1575. cùm Medici Patauini, duoq; illa potissimum lumina clarissima Capiuacceus, & Mercurialis pestem non esse primo asserentes, sed genus aliud morbi etiam non contagiosum, fuerunt in causa, vt mox assuetudine, & commercio vulgaretur, ac latissimè serperet: quare Alexander Massaria ita in primo libro de Peste in hanc sententiam pronunciat. Vbicumque iniquo, & infausto omine huiusmodi morbi se prodere, & apparere cœperunt, uehementer dubitatum fuisse audio, quales nam illi fuerint, & Bucius de Peste, cap. 3. asserit in omnibus nostrę memorię pestilentijs, Tridentina, Patauina, Veneta, Mantuana, Milanēsi, & alijs deceptos initijs medicos, non existimantes esse pestilentiam, & inde assuetudine uulgatos, ac propagatos morbos. Idem asserit Petrus Parisus ann. 2. ubi dicit Panormitanam pestem uulgatā, dum querunt medici, an est, & ipse de se ipsò fatetur se fuisse falsum in quadam peste, idq; pluribus repetit in Tractatu, cap. 2. neque id debet mirum uideri: morbi enim nouitas facilè imponit inexpertis, cùm ex libris tantum nouerint id genus morbi, quod raro incidit, & proinde meritò hęsitant, & labuntur interdum non iniuria: est enim experientia, alterū crus, quo suffulta incedit medicina, & hanc causam adducunt medici in excusationē, ut Ingrassias loco memorato, & Petrus Parisus cap. 4. ubi etiam probat vtrumque esse necessarium ad cognoscendam pestem, doctrinam scilicet, & expe-

In cognoscenda peste necessaria doctrina, & experimētum.

experimentum; plus tamen posse experientiam sine doctrina, quàm contra, idq; confirmat exemplis: ex quo fit, vt medici, quamuis doctissimi, hæsitent tamen initijs, & Empirici interdum, ac idiotæ literatis videantur, ob vsum, experientiamq; meliores, quod Galeni etiam testimonium maximè confirmat 3. de præsag. ex pulsu, vbi vult & vsu, & ratione æstimanda signa pestis, atque ait in pestilẽti illo morbo, qui viguit suis temporibus multos medicos propter inexperientiam, vel ipsis idiotis fuisse incertiores: ἐφ' ὧν ἦν θεάσασθαι τοὺς ἰατροὺς ἰδιώταις ὁμοίους ἐνίους δὲ, καὶ πολὺ χείρους ἰδιώτου συνετοῦ, idest, In quibus erat videre medicos idiotis similes, & nonnullos etiam imperitiores idiota prudenti. Et ideo Franciscus Frizimelica Patauinus in suo consilio de peste Patauina, rationem habendã statuit cuiusdam Empirici, cùm posset melius ob experientiam nouisse, quàm docti, ac literati medici: ita enim scribit materna, & nostra lingua: *Ne mi faccio beffe di quel Croce, perche per la lunga esperienza, si è fatto più pratico, che noi altri literati, quali (dirò di me) rare volte habbiam vedute infermità tali.* Fallopius de Bubone pestilenti fatetur se plus vna die experiẽdo cognouisse in Patauina peste, quam antea tot annos prælegendo, & scribendo de peste, quoniam, inquit, res experimentum requirit, & cognitio mea antea vocabatur imperfecta, idẽ asserit Salius de febre pestilẽti, c. 2. in fine. Secunda species ignorationis in peste esse solet causæ, vel medicaminis accommodati, ac præsidij: nam potest inter medicos constare de peste, quòd sit, sed dubitari, à qua causa sit profecta, & proinde quo præsidio tollenda, & emouenda: ex multis enim causis oriri solet, hisq; & separatis, & interdũ coniunctis multis simul, quas sumus in Præfatione nostra persecuti, ad tria quasi summa capita omnes adducentes diuinam, elementariam, & materialem, & pro varietate causæ etiam præsidij ratio mutatur. Si enim ira diuina sit immissa ad flagellum, nulla valent medicamenta, nisi animorum expiatio, ac preces, & vota. Si ab aere, emendandus est aer, atque ita de reliquis: quæ quidem dubitatio in omnibus ferè solet pestilentijs contingere, vt in hac ipsa dubitatum primo an essent putei veneno infecti, an ex Aethiopia fluxisset, an culpa Periclis, qui multitudinem agrestem, & pecora intra mœnia recepisset, & æstatis tempore in arctis tectis ha-

Medici in pestilẽtijs interdum imperitiores idiotis & Empiricis.

In pestilẽtijs semper dubitari solet de causa pestis.

N bitantes,

bitantes, & aere suffocato incidissent in malum. Sic apud Liuium sæpe fit mentio huius dubitationis, vt lib. 5. grauis, pestilensq; omnibus animalibus æstas excepit, cuius insanabili pernitie, quoniam nec causa, nec finis inueniebatur, &c. & lib. 6. pestilentia etiam breui consecuta, nullis occurrentibus tantæ cladis causis ex Manliano supplicio magnæ parti videri orta, &c. in recentioribus pestilentijs tot ferè sunt exempla, quot pestes, quibus recitandis, ne sim putidiusculus, supersedebo. Neque verò de medicorum dignitate, & doctrinæ opinione detrahendum, quòd aliquando fallantur, & hallucinentur: nam tota ars est στοχαστική, idest, coniecturalis, & similitudines contingentes in morbis decipiunt non solùm plebeos, vulgaresq; medicos, sed etiam eruditissimos, Hippocrate teste, & ipsa interdum medicinæ lumina Hippocrates inquam, & Galenus decepti sunt, & id ingenuè confessi, seu potius professi, vt de Suturis Hippocrates, referente Celso, qui etiam in quadam epistola ad Democritum fatetur se maiorem reprehensionem μεμψιμοιρίην, quàm honorem ex arte assecutum, & addit ἐγὼ μὲν γὰρ ἰητρικῆς ἐς τέλος οὐκ ἀφῖγμαι καίπερ γηραλέος κατεσώς, idest, Ego verò ad finem medicinæ non perueni, quamuis senex sim. Quod dicit nō esse debere mirum, cùm Aesculapius inuentor à se ipso dissenserit, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν πολλοῖς διεφώνησεν. Sed & ipse in multis à se ipso dissensit. Galenus de suo ipsius morbo deceptus est, quē primo credidit esse nephriticum, & mox nouit esse colicum dolorem, vt ex 2. de loc. aff. cap. 5. habetur.

Medicis non vitio vertendū, si interdū hallucinētur.

Hippocrates, & Galenus, ac etiā Aesculapius decepti.

ἀλλ' αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον, Sed ipsi maximè moriebantur.] Huc pertinere Græci Scholiastæ notam arbitror, quæ dicit, μάλιστα τῶν μὴ προσιόντων, maximè, seu præcipuè præ his, qui non accedebant. Vt compararet medicos accedentes ad ægrotos, cum idiotis non accedentibus, quia alioqui non esset verisimilis sermo. Medici enim propter cognitionem sui corporis, & earum rerum notitiam, quæ prodesse, & obesse solent, meritò minus alijs hominibus ęgrotāt, & morbis sunt minus obnoxij; in peste tamen, quamuis munirent sese antidotis: multo tamen maior copia medentium morbis corripiebatur, quàm aliorum, qui non accedebant, ratione scilicet contagii, quo afficiebantur. Præfixa autem est hæc nota, ac scholium subsequenti statim verbo μάλιστα repetito:

Neque vobis hoc nouum videatur, quia frequentissimè id vsu venit, vt superius quoque monstrauimus, vt scilicet sint suo loco emota scholia. Notent verò obiter studiosi eloquentiæ adolescentes esse figuram hic structuræ, siue verborum, & elocutionis dictam παλιλλογίαν, seu ἀναδίπλωσιν in repetitione illius verbi μάλιστα, elegantissimam. Hanc porrò sententiam Thucydidis, quòd medici ob accessum ad ægros primi occumbant, & intereant, expressit elegantissimè lib. 7. in descriptione pestis Ouidius, qui ex hoc Thucydidio fonte penè omnia traduxit in suum.

Medici primi intereunt in pestilētijs

Nec moderator adest, inq; ipsos sæua medentes
Erumpit clades, obsuntq; auctoribus artes,
Quo propior quisque est, seruitq; fidelius ægro
In partem leti citius venit, atque salutis
Spes abijt, finemq; vident in funere morbi.

Et Seneca, de quo supra.

Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.

Lepidissimè verò Hetrusco idiomate idē attigit in sua Tragicomędia Ioannes Baptista Guarinus Poeta celeberrimus, & nobis (quæ est eius humanitas) amicissimus in descriptione pestis Arcadianæ, his versiculis:

Perian senza pietà, senza soccorso
D'ogni sesso le genti, e d'ogni etade:
Vani erano i remedi, il fuggir tardo;
Inutil l'arte: & prima che l'infermo
Spesso nell'opra il Medico cadea.

Ex hoc Thucydidis loco Petrus Parisus in Tractatu de Peste, elicit consectariū, siue cōclusum vniuersale, & Aphorismum Medicum, quòd scilicet in pestilentibus morbis, & contagiosis medici priores ferè semper obeunt, ob eorum ignorantiam his verbis materno sermone: *Dunque certo è, che quando le malatie sono contagiose, i Medici sono i primi à morire, come scriuono molti Autori* (in margine verò citat hunc Thucydidis locum tantum) *perche non conoscendo eglino la natura del male, si accostano à gli amalati, & gli maneggiano, onde subito s'infettano, & si moiono:* nos verò aliud conclusum, & theorema, aliudq; dogma ex hoc contextu elicimus, nempe optimum esse in peste remediū, quod tradit Hippocrates, nempe fugā, de quo alibi dicetur suo loco. Medici per iocū solent vsurpare quasi pro-

In peste optimum remediū fuga.

Pilulę, de tribus.

uerbio, pilulas, de tribus adhibẽdas pestis tempore, quæ sunt cito, longè, & tardè, vt scilicet cita, & subitasit fuga loci pestilentis, atque ea in longinquas regiones, & tardus sit reditus, & remigratio. Harum facit mentionem in suo libro sæpius Ingrassias, & Andræas Gallus in fascic. 5. de peste, sub finem, & alij ferè omnes, qui de peste scribunt, recentiores, ὅσῳ, καὶ μάλιϛα προσῄεσαν, Vt qui maximè ægros adibant. Ex hoc loco Thucydidis facilè coniicitur contagij rationẽ fuisse cognitam, & exploratam antiquis: nam hic cùm dicat medicos ea de causa primos interijsse maximè, quia maximè ad ægros adibant, & accedebant, contagione scilicet, & vi morbi repletos, quod Scholiastes apertissimis verbis significauit, vt supra vidimus, negari non potest de contagio intelligere, quod inferius multis in locis apertissimè demonstrauit, vt cùm dicit, ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνησκον, καὶ τὸν πλεῖϛον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει. Qui locus videtur hunc illustrare, idest, alter ab altero in curatione repleti, vt pecudes interibant, & ingentem istud stragem edebat. Et paulò ante, cùm dicit, animalia carniuora, si gustassent insepulta cadauera; correptos pestilentia interijsse, γευσάμενα διεφθείρετο: & mox canes propter contubernium magis quàm cætera animantia expertos vim pestilentiæ, & alibi: ex quo demiror nonullos, qui ausi sunt asserere incognitum antiquis fuisse contagium, eo nixi argumento, quòd in definitione pestis nulla sit facta mentio à Galeno, neque Hippocrates in Epidemicis vsquam videatur, ne nutu quidem, & significatione tacita meminisse: quibus ita possumus respondere, Hippocratem more suo in Epid. nullam fecisse contagij mentionem, quippe quod esset notissimum: ille verò, teste Galeno de diff. respir. vbi comparat cũ Thucydidi, quæ euenerant ægrotis, multa, nempe vulgaria, prætermisit, & pauca ex his, quæ ad ipsum morbum pertinent, circa quem ægrotus periclitatus est, adscripsit: multa verò alia ab idiotis quidem neglecta, artificiosam verò cognitionem exhibentia, & quæ optimos medicos latere possent, adnotauit, multa etiam, quæ penitus non euenerunt ægrotis, scribens, hoc ipsum indicans, quòd non euenerunt: Thucydides còntra omnia scripsit etiam idiotis nota, quod fortasse ex industria fecit Hippocrates, vt eius differret ab

Contagiũ cognitum antiquis ostẽditur cõtraquosdã recentiores.

Cur nullã fecerit cõtagij mentionẽ Hippocrates ĩ Epid.

Hiſtorici narratione, explicatio peſtilentiæ: qua etiã de cauſa ſcribit Galenus prætermiſſam ab ipſo mentionem difficultatis reſpirandi; quam tamen conſtat fuiſſe frequentiſſimam: quod ſe oſtendit etiam demonſtraſſe Galenus exactiſſimè in libris de diſſect. Hippocratis. De Galeno verò probatum eſt ſupra ex induſtria eum prætermiſiſſe cõtagij mentionem in definitione, quia non eſt ex eius differentijs ſpecificis: alibi verò apertiſſimam fecit mentionem, & ſi extarẽt libri eius in hanc Thucydidis peſtem conſcripti, profectò haberemus exactã de contagione diſputationẽ: hic enim de ipſa erat locus, vt diſſereret: & hoc libentius in excuſationẽ Galeni adducerẽ, quòd de tanta re nullam fecerit priuatam diſputationem, vt aſſeramus fuiſſe factam, ſed deſiderari; nõ tamen reijcio excuſationem Maſſariæ, qui ita excuſat Hippocratem, & Galenum lib. 1. Itaque ſum ego in ea ſententia particularem tractationem de contagio peſtilenti ab Hippocrate, & Galeno prætermiſſam fuiſſe, tanquam rem, quæ manifeſtò, & neceſſariò peſti accedat, & quæ in ſumma nullum in ſe artificiũ complectatur, vt propterea viri minimè idiotæ, ſed artifices nobiliſſimi illius quidem meminerint, & aliqua ſemina iecerint, quantum vnicuique ſatis eſſe poteſt; copioſius autem, & priuatim de illo agere minime dignati fuerint. In quo tamen duo non effugere poſſe reprehenſionem video. Primum, quòd dicat contagium manifeſtò, & neceſſariò peſti accedere, in quo videtur inſeparabile facere à peſte contagium, & proinde in definitione adhibendum, quod pugnat cum antedictis ab ipſo, qui mordicus tenet contagium non ponendum in definitione peſtis, & peſtem eſſe poſſe ſine contagio: alterum eſt, quòd dicit Hippocratem iecisſe ſemina aliqua, & meminiſſe contagij: nam debuit locum aliquem proferre, vbi id fecerit Hippocrates; negant enim aduerſarij vllum reperiri in Hippocrate locum, vbi ne nutu quidem, & tacita ſignificatione ſit indicatum cõtagium: quare meliorem exiſtimo noſtram defenſionem: de Galeno verò nihil eſt, quòd dubitemus: nam extat locus clariſſimus lib. 1. cap. 2. de differentijs febriũ, vbi apertiſſimis verbis contagij peſtilentis facit mentionem, ita dicens: καὶ μὲν δὴ καὶ ὅτι λοιμώδους ἀέρος κατάστασις ἀνεγκὴ σωφετόν, οὐδὲ τοῦτο ἀγνοοῦσιν οἷς μέτεστι συνέσεως, ὥσπερ γε, καὶ ὅτι συν-

διατρίβειν

Maſſarias ſibiipſi cõ tradicit.

Galenus explicatiſſimam fecit contagij mẽtionem.

διατρίβειν τοῖς λοιμώττουσιν ἐπισφαλὲς, ἀπολαῦσαι γὰρ κίνδυνος, ὥσπερ ψώρας τινὸς, ἢ ὀφθαλμίας, ideſt, ſiquidem verò & quòd peſtilentis aeris conſtitutio attulit febrem, neque hoc ignorant, qui ſunt ſapientiæ participes, quemadmodũ & quòd ſimul inhabitare cum peſte correptis lubricum, & minime tutum. Periculum enim eſt, ne ſuſcipiatur, vt ſcabies quædã, & lippitudo. Quibus verbis quid poteſt eſſe dilucidius? Ex quibus etiam confirmatur noſtra coniectura, quòd Hippocrates omiſerit tanquam rem notiſſimam contagij mentionem: ita enim de eo loquitur Galenus in his verbis, vt ſtultitiæ eos quodammodo condemnet, atque ſtoliditatis, qui id ignorent: mox in eodem libro, cùm dicit, ex Aethiopia fluxiſſe σηπεδονώδη τινα μιάσματα, ideſt, putredinoſa quædam inquinamenta, videtur ſignificare (vt multi putant) contagium, quia inquinamentum cùm referatur ad aliud, nempe ad rem inquinatam, vel quæ inquinari poteſt, profectò non poteſt eſſe ſine contagione, nam ex re inquinata fluunt ſeminaria inquinamentorum, quæ rem aptam, & paratam afficiunt, & inquinant: vt exempli gratia ex corpore peſtilentia laborante effluunt quidam vapores, qui aerem vicinum inficiunt, & corruptionis accepto fermento mox aer dilatatur, & agit latè contagium, quod ſi ita eſt, profectò, Hippocrates etiam non diſſimulanter fecit contagij mentionem in lib. de Flatibus, vbi dicit fieri λοιμὸν, ideſt, peſtem, quã ibi vocat κοινὸν πυρετὸν, ideſt, febrem communem, cùm πλησθῆ τοιούτοισιν μιάσμασιν, ἃ τῆ ἀνθρωπίνη φύσει πολέμια, ideſt, fuerit repletus his inquinamentis, quæ ſunt humanæ inimica naturæ. Quã rem non ſolũ ſcriptis, ſed etiam factis comprobauit Galenus: nam contagij metu, Roma aufugit, in patriã reuerſus, vt teſtatur Baronius Cardinalis in tertio volumine ſuorum Annalium, qui ita de illo ſcribit: Meminit eius quoque peſtis Galenus, qui tum Romæ agens, eius vitandæ cauſa fuga ſibi conſuluit, in patriam rediens. Quod etiam confirmat Zuingerus volumine octauo, ſui Theatri lib. 3. vbi agit de fortitudine declinãte aduerſa: ita enim ait, tribus annis Romæ verſatus Galenus ingruente magna peſte, confeſtim ex Vrbe in patriam properauit, annum iam agens triceſimum ſeptimum: quæ verba deſumpta ſunt ex auctore illius vitæ impreſſæ cum libris Galeni Venetijs in editione Iuntarum.

Galenus fuga vitauit peſtilens contagium.

Quod

Quod miror auſos quoſdam recentiores negare, & contra aſſerere, fidẽ hiſtoriæ peruertentes: de quibus ita ſcribit Iacobus Zouellus in libello de ſtatu peſtilenti, cap. 2. citato Galeni loco de inquinamentis ab Aethiopia defluxis. Nos mehercule docent hæc Galeni verba ipſum nõ latuiſſe peſtem morbum eſſe contagioſum, quod tamen recentiorum quidam arbitrantur, eo quòd Roma procul nõ aufugiſſet, cùm ibi inſæuiret peſtilens morbus, illudq́; Antonino Imperatori non prædixiſſet; quem licèt quidam dicant peſte abſumptum; Dion tamen, & Xiphilinus ſcribunt veneno ſublatũ clam à medicis Commodo gratificantibus. Ariſtoteles quoque Peripateticorum princeps apertiſſimam facit contagij mentionem in Probl. ſect. 1. probl. 7. vbi ita quærit, Διὰ τί ποτε ἡ λοιμὸς μόνη τῶν νόσων μάλιστα τοὺς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις προσαναπίμπλησιν, ἢ ὅτι μόνη τῶν νόσων κοινή ἐστιν ἅπασι, ὥστε διὰ τοῦτο πᾶσιν ἐπιφέρει τὸν λοιμὸν, ὅσοι φαύλως ἔχοντες προϋπάρχωσι, καὶ γὰρ διὰ τὸ ὑπέκκαυμα τῆς νόσου τῆς παρὰ τῶν θεραπευομένων γινομένης ταχέως ὑπὸ τοῦ πράγματος ἁλίσκονται; ideſt, Propter quid peſtis ſola morborum præcipuè accedentes ad ægrotantes replet? vel quia ex morbis omnibus ſola communis eſt omnibus: quare propter hoc omnibus infert peſtem, qui male affecti ante fuerint, etiam propter incitamẽtum, ſiue fomitem morbi in curatis exiſtentis velociter ab ipſo negotio, ideſt, peſte, corripiuntur: ex quo videtur Ariſtoteles Hippocraticam doctrinam delibaſſe: nam quod ille vocat κοινὸν πυρετὸν, ideſt, febrem communem, hic appellat κοινὴν νόσον; morbum communem, quod ille μίασμα, inquinamentum, hic ὑπέκκαυμα, incitamentum, ſiue fomitem, in quo illud etiam notandum, quod ponit πράγματος pro λοιμοῦ, ideſt, negocio pro peſte: quo pacto ſupra diximus Septuaginta Interpretes à negocio ἀπὸ πράγματος, vertiſſe illud verbũ Deber, quod peſtem ſignificat in Pſal. 90. & in 7. ſect. probl. 4. Διὰ τί ἀπὸ μὲν νόσων ἐνίων νοσοῦσιν οἱ πλησιάζοντες, ἀπὸ δὲ ὑγείας οὐδεὶς ὑγιάζεται; ideſt, cur ex aliquibus morbis afficiuntur morbo accedentes: à ſanitate verò nemo ſanatur? Lucretius meminit:

Ariſtoteles cognouit peſtilens contagium.

Qui fuerant autem præſto contagibus ibant. Et mox:
Idq́; vel in primis cumulabat funere funus,
Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci
Ex alijs alios, auidi contagia morbi.

Poetę antiqui cognouerũt contagiũ.

Ver-

Vergilius quoque agnoſcit in illo verſu:

Ne mala vicini pecoris contagia lædant. Et in Georg.

Continuo ferro culpam compeſce, priuſquam

Dira per incautum ſerpant contagia vulgus. Ouidius:

Afflatuq; nocent, & agunt contagia late. Sillius Italicus lib.14.

Et poſuere auidæ mortis contagia peſtes.

Apud Liuium frequentiſſimè fit mentio contagij lib.3. de Peſte anni 289. ab Vrbe condita, ait miniſteriaq; inuicem, ac contagio vulgabant morbos; & eodẽ lib. de Peſte anni 299. Duo ſimul ingentia mala exorta fames, peſtilentiaq; fœda homini, fœda pecori, ideſt, contagioſa: fœdare enim eſt contagionis verbum, & lib.25. de Peſte, anni 538. primo temporis, & loci vitio, & ægri erant, & moriebantur, poſtea curatio ipſa, & contactus ægrorum vulgabat morbos; vt aut neglecti, deſertiq; qui incidiſſent, morerentur, aut aſſidentes, curantesq; eadem vi morbi repletos ſecum traherent. Dionyſius Halycarnaſſæus lib. 10. de illa peſte maxima ſcribẽs, meminit contagij explicatiſſimè his verbis: οἱ γὰρ ἐπικουρεῖν τῶν ἑτέρων βουλόμενοι νόσοις, ἁπτόμενοί τε καματηρῶν σωμάτων, καὶ συνδιαιτώμενοι τὰς αὐτὰς ἐκείνοις νόσους μετελάμβανον, ideſt, Nam qui opem ferre alienis morbis volebant, tangentesq; affecta corpora, & cohabitantes, eoſdem, quibus illi vexabãtur, morbos ſuſceperũt. Et mox: οὐχ ἥκιστα ὁ γεωργὸς ἐπόνησεν ὄχλος ἀναπιμπλάμενος, καὶ προβάτων, καὶ τῶν ἄλλων τετραπόδων ἅμα διαιτωμένων, τῆς νόσου, ideſt, Neque minus agreſtis turba laborauit, repleta vi morbi, cùm ſimul & pecudes, & aliæ quadrupedes habitarent. Diodorus Siculus lib. 14. Biblioth. vbi agit de Carthaginienſium peſtilentia meminit apertiſſimè cõtagij, Ait enim: ἥψατο μὲν οὖν ἡ νόσος πρῶτον τῶν λιβύων ἐξ ὧν πολλῶν ἀποθνησκόντων τὸ μὲν πρῶτον ἔθαπτον τοὺς τετελευτηκότας, μετὰ δὲ ταῦτα διά τε τὸ πλῆθος τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τὸ τοὺς νοσοκομοῦντας ὑπὸ τῆς νόσου διαρπάζεσθαι, οὐδεὶς ἐτόλμα προσιέναι τοῖς κάμνουσι, ideſt, Attigit primũ morbus Libycos, ex quibus cùm multi interirẽt, initio quidem ſepeliebant defunctos, poſtea ob multitudinem mortuorum, & ex eo, quòd ægros curantes (Interpres vertit, efferentes) morbo corriperentur, nemo audebat ad ægrotantes accedere. Euſebius Pamphilus lib.7. de Christianis in peſte ſibi mutuo inſeruientibus, & ægrotos libentiſſimè curantibus, ait: ἀφομένεσα τὰ τοῦ παρ' ἑτέ-

Historici meminerunt peſtilentis contagionis.

ρων

ρων ἀναπιμπλάμενοι πάθους, καὶ τὴν νόσον ἐφ' ἑαυτοὺς ἕλκοντες ἀπὸ τῶν πλησίων, ideſt, libentiſſimè ſeſe alieno replentes affectu, & morbum in ſe ipſos trahentes à vicinis, & propinquis. Appianus Alexandrinus in bello Illyrico ſcribit, Celtas ſuperatis Illyricis, ipſorum rebus potitos, fuiſſe peſte infectos. Quẽ auctorem citat etiam Mercurialis; quem quidem ſi conſideraſſet, & alios quoque, potiſſimumq; locum infra poſitum Thucydidis, vbi dicit, aues, & carniuora animalia, ſi quæ cadauera guſtaſſent, interijſſe accepto morbo, ſi Ariſtotelis verbum ὑπέκκαυμα, quod fomitem propriè ſignificat, ſi etiã Boccacij locum de duobus porcis ex fomite panni cuiuſdã in via correpti extinctis, nõ ita (credo) audacter pronũciaſſet pauciſſimos Hiſtoricos, ac nullũ penè medicum, ſiue Grecũ, ſiue Latinum, aut Arabem vſque ad Auorum noſtrorũ memoriam, memoriã contagij fomitis ſcriptis vllam reliquiſſe.

ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν, Quanto maximè accedebant.] Videtur in his verbis ſignificare ſibi nõ ignotũ fuiſſe contagiũ, quod ad diſtans vocant medici recentiores, cùm dicat, medicos, quo propiores acceſſiſſent, magis infectos, & prõptius, atque celerius obijſſe; illudq; proinde nobis videtur quærendum, cùm ad diſtans fiat, fluatq; contagio, quot paſſibus ab infectis tuti eſſe poſſimus: de qua re pauci verba fecere, qui de contagio, & peſte ſcripſerunt. Philippus Ingraſſias extremum terminum non ſuſpectum dicit eſſe quinquagintã paſſus: ita enim ſcribit materno ſermone: *Di più la vera peste suole ammorbare, & infettare per distanza non pur di vna, & forse di due canne, come qualche volta accader suole, ma forse di cinquanta passi più, & meno, secondo la grandezza, & atrocità di tal peste*. Verùm in hac re vix puto quicquã certi ſtatui poſſe, cùm habenda non ſolum circumambientis aeris peſte correptum ſit ratio, ſed etiam ventorum, qui ſæpe deferunt contagioſa ſeminaria, & longiſſimè inficiunt, de quo infra diſputabitur.

Quot paſſibus ab infectis tuti eſſe poſſimus de contagio.

Sed iam videtur res ipſa poſtulare, vt cùm nulla ſit in tractatu de peſte, magis contrita, & in Scholis agitata quæſtio, atque diſputatio, quam hæc de cõtagio, cumq; toties de illo factam à Thucydide mentionem oſtenderim, & deinceps etiam ſint crebro nobis, & frequenter facienda verba, de illo paucis hoc loco diſputem. Vt autem ordo ſeruetur, tria potiſſimum in omni diſputatione adhibenda neceſſario, præ-

Tria in explicãdo contagio præſtãda.

O ſtabo,

stabo, primum eius notiones persequar, vt distinguantur: deinde definitionem explicabo: postremo differētias illius, siue species proponam, & enumerabo, non dissimulatis, aut neglectis causis, & modis penetrationis. Primo igitur nomē hoc contagij, siue contagis (vt vocat Lucretius ratione Metri) siue contagionis, quo vtitur Cicero vocabulo: quodq; Festo magis probatur, quàm cōtagium, quoque vti potissimum dicit Oratores. Tribus rebus tribuitur (vt obseruauit etiam Mercurialis cap. 12.) ipsi morbo cōtagioso, quo significatu dixit Vergilius:

Contagij notiones variæ.

Nec mala vicini pecoris contagia lædant.

Vbi Seruius interpretatur morbi, & pestilentiæ, & 3. Georg.

———— Culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.

Tribuitur qualitati veneficæ, quo sensu dixit Ouid. de peste:

Afflatuq; nocent, & agunt contagia late.

Idest, qualitatem illam veneficam, & τὰ μιάσματα, idest, inquinamentorū seminaria dispergunt per aerem. Tribuitur postremò communicationi morbi contagiosi, qua notione accipitur à medicis, vt cùm dicunt contagione vulgari morbos, quo modo Lucretius de peste vsurpauit:

Qui fuerant autem præsto contagibus ibant.

Sunt aliæ complures notiones huius vocabuli minus ad medicam doctrinam pertinentes, vt cùm ponitur pro contactu, quo sensu Plinius vsurpauit in epistolis de virgine, fœdumq; contagium quasi plane à casto, puroq; corpore nouissima sanctitate reiecit: pro coniunctione, quomodo Lucretius animi, & corporis complicationem lib. 3. vocat contagem, & contagium:

Corpus enim magis his vitijs affine laborat,
Et mala multa animus contagi fungitur eius.

Et mox de eadem loquens:

———— Neque consensu contagia fiunt.

Transfertur denique ad multa significanda per metaphoram, vt cum dicit Cicero, contagionem aspectus, belli, conscientiæ, malorum, sceleris, turpitudinis, &c. Sed hæc omnia missa facientes ad definitionem Medicæ contagionis, de qua est institutus sermo, aggrediamur.

Definitur igitur contagio à Fracastorio, qui tribus libris elegan-

elegantissimè, & doctissimè de hoc argumento disputauit, in 1. cap. 1. hoc pacto: Contagio est consimilis quædam mixti secundum substantiã corruptio, de uno in aliud transiens, infectione in particulis insensibilibus primo facta. Quòd enim sit infectio, seu corruptio, de uno in aliud transiens, uel ipsum nomen ostendit: in duobus enim oportet esse contagionem. Consimilis uerò dicitur, quia oportet & cui contagio fit, quod Græci uocant μεταληπτικόν, & à quo, quod ijdẽ uocant μεταδοτικόν, simile quoddam uitium accidat, alioqui non esset cõtagio: quare uenenati, quamuis ab aliquo datũ uenenũ hauserint, nõ tamen dicũtur accepisse contagionẽ, cũ is, qui dedit, remaneat incolumis, & in lacte, ac carnibus corruptis nõ dicitur esse contagio, quamuis computrescant, in quo etiã illud, aliud, significat, quòd nõ continuũ: in quo etiam potest diffundi putrefactio; sed diuersum debet esse: contagio enim propriè est inter diuersa. Additum porrò secundum substantiam, quia cum omnis actio, & passio fiat, aut circa substantiã, aut circa accidentia, non dicitur contagio, si quis ab aliquo fuerit calefactus, aut factus uitiosus, quia hęc sunt accidentia, adiuncta sunt illa uerba infectione in particulis primo insensibilibus facta, quia contagio fit circa particulas componentes, quæ sunt minimæ, & insensibiles, ipsius mixti, seu totius partes, quamuis & ab his mox totum corrumpatur, & ideo mixti etiam appositum uocabulum: nam quæ primo totũ ipsum uniuersum corrumpunt, & mixtũ, non dicuntur contagio, ut combusta domus non dicitur contagione perijsse, neque corpus igne cremati: dupliciter enim mixtũ corrumpi solet, aut per contrarij aduentum, sub quo consistere nequit, & extare eius forma, ut in igne: aut per dissolutionem mixtionis, ut in putrefactis, sub quæ cadit ipsa contagio. Sciendum uerò particulas illas, in quibus fieri diximus contagionem insensibiles, posse & corrumpi simul, & alterari etiam solum: nam ad putrefactionẽ faciendam non est necesse eas corrumpi, sed alterari tantũ, quatenus dissolui mixtio possit, & euaporare calidum cum humido innato: neque uos moueant Francisci Valeriolæ argumenta, qui definitionem hanc Fracastorij, & doctrinã conatur labefactare, quia illi facilè est respõdere, quod cum fecerit elegantissimè Horatius Augenius Epist. med. lib. 4.

Definitio contagionis ex Fracastorio.

Epist. 1. cap. 1. ad eum uos reijciam. Portus uerò in 1. de Peste, ita definit, accepta à Fracastorio doctrina, paulò tamen verbis immutata, ac circumscripta. Contagium est corruptio corporis in totum, vel in parte, ab vno in alterum transiens corruptione in particulis clam facta: clam verò adiecit ad Fracastorij doctrinam propter causas abditas, quas indagare difficillimum, scire vero, & tenere sine dubitatione, ex his, est, quæ fieri fortasse exquisite non possunt: in viuo enim animante putrefactio nō ita deprehendi potest, vt in cæteris rebus. Hieronymus Mercurialis cap. 12. de pestilētia, elegantissimè ita definit. Contagiū est cōmunicatio morbi facta à corpore in corpus, morbi inquā similis specie, vbi quatuor dicit considerãda in ea communicatione: corpus communicans, quod nos supra diximus appellari à Græcis scriptoribus τὸ μεταδοτικόν, corpus, cui cōmunicatur, quod est apud eosdem τὸ μεταληπτικόν, rem communicatam, quæ appellatur ab Hippocrate, & Galeno μίασμα, idest, inquinamentū, quod contagionis seminarium, & est νοσερὴ ἀπόκρισις, idest, morbosa excretio ab eodem dicta Hippocrate in lib. de natura hominis, & medium, per quod fit communicatio: rē communicatam vult esse præter naturam, & ex tribus præter naturam à medicis constitutis, non morbum, non symptoma, sed causam morbi, neque eam incorpoream, quæ fit per solam qualitatē meram, vt cùm stupor à torpedine per baculum communicatur piscatori, de quo Galenus lib. 6. de loc. aff. cap. 5. sed corporeā, quæ vel humor, vt in Scabie, & Gallico, quam solā cognouisse dicit Aristotelē, Alexandrū, & Galenum, vel uapor, & spiritus, quia cùm sit corpus mixtum, tribus præditus est qualitatibus, nempe quia putrefacit, & vrit, feruidus, quia penetrat, & adhæret, subtilis, & tenax, quia enecat subito, uenenatus, & tota sui substantia naturæ hominis inimicus. Valeriola in Appendice ad locos cōmunes, cap. 2. ita definit: primò, Contagio affectus sui generis quidam est plurimis tacito quodam consensu, atque contactu communicatus: mox ita: Contagio est corporis, seu cōpositi corruptio quædam ei similis, à quo primū manauit, quæ infectione in particulis communicata, ex vno in aliud transeat: & mox infectio quædam ab uno in alterum analagia quadam transiens: quæ definitiones eædem ferè sunt cū

Definitiones aliorū medicorū

Porti.

Mercurialis.

Valeriolę

illa

illa Fracastorij, cuius doctrinam hic Valeriola aggressus est conuellere, sed illam, vt dixi, tuetur Augenius, & Marcellus etiā Donatus, aduersus quos rursus pugnat Gerardus Colūba Messanensis lib. 1. de qua re nos alibi fortasse dicemus. Et quoniā Tomitanus magni vir nominis materno sermone in suo Tractatu etiam definiuit elegantissimè contagionē, non erit vobis fortasse iniucundum illum audire sua lingua differentem: *Il contagio è vna macchia, ouer infettione fatta per la impressione d'alcuna qualità, la quale passa da vno soggetto à l'altro per debita vicinanza.*

Tomitani.

Causæ verò, seu principia huius contagionis, & putrefactionis sunt duo (ut omittamus nūc specificā illam, & à tota substantia (vt aiunt) morbi rationem, de qua aliàs, quam dicunt cæca, & nobis inexplorata potestate agere, & perdere) alterū est internum, alterum internū. Internum est triplex, auctore Fracastorio, qui lib. 1. c. 12. hæc statuit putrefactionis principia, & causas ex Galeno acceptas, obstructiones, plenitudinem, & humorum malitiam, seu prauitatem, ex quibus putrefactio fit sordida, & conclusa: sordida quidem (vt idem cap. 10.) in qua non fit superficialis putredo, & euaporatio eius, quod putrescit, sed profunda, & ad totum: conclusa verò, in qua non abeunt, & exhalant, quę euaporant, particulę, sed quodammodo conclusæ, benè, ac diu agitantur, & miscentur, lentorem habentes, ex quo fortis fit mixtio, & glutinosa, ex qua seminaria contagionis eiusdem participes naturæ effundi, & enasci possint, quę alios inficiant, hos magis, illos minus, pro ratione præparati corporis: illud enim perpetuò memoria tenendū, quod dictum supra ex Galeno 1. de diff. feb. c. 4. quòd nulla causarū sine patientis aptitudine potest agere: οὐδὲν τῶν αἰτίων ἄνευ τῆς τοῦ πάσχοντος ἐπιτηδειότητος ἐνεργεῖν πέφυκεν, quod Haly Abbas etiam repetit lib. 5. c. 11. suæ Theoricæ, vbi citat hunc Galeni locum; quæ quidem corporis ἑτοιμότης, idest, promptitudo, siue præparatio, tanti est momenti, vt quidam etiam arbitrati sint, posse morbos quoque suapte natura nō contagiosos attrahi, vt exempli gratia, Tertianam simplicem, quemadmodum Tomitanus narrat cap. 4. quamuis errare eos putet, qui id asserunt, quia scilicet non satis est corporis suscepturi promptitudo, sed adesse oportet etiam agentis causæ vim, atque potentiā,

Cōtagionis causæ & principia.

necnon

necnō medij (vt vocant) analogiā ad vtrumque. Externum principiū, siue causa est aer, qui uel solis potest immutare, & alterare qualitatibus, uel putridos etiam transmittere uapores, ita seminarijs contagij commixtos, ut possint eodem ueneno conficere mortales. Tres uerò contagionis species, siue differentias ponit eodē in loco Fracastorius: alia enim sunt, quæ contactu solum afficiunt; alia, quæ præter hoc, & fomitem etiam relinquunt, & per ipsum contagiosa sunt, ut scabies, phthisis, areæ, elephantiasis, Gallicus, & id genus: alia, quæ non contactu tantum, uel fomite, sed etiam ad distans transferunt contagionem, & hæc inter se ordine quodam se habent: nam quæ ad distans contagiosa, eadem etiā per fomitem, & per contactum, non contra, quæ per fomitē etiam contactu, non contra: quare simplicissima species est, ex contactu. Huiusmodi est contagio fructuum inter se, ut uuæ ad uuam, pomi ad pomum, de quo Satyricus:

Contagionis species tres.

Contagiū ex contagio.

Vuaq; contactu liuorem ducit ab vua.

Fit uerò in fructibus, & alijs quoque omnibus, quæ putrescentia sese tangunt, si analoga sint, per idem principium, quod est putrefactionis: quæ quidem nihil est aliud, quàm dissolutio quædam mixtionis calido innato euaporante, atque humido. Eius uerò euaporationis principium semper est aliena caliditas, siue ea in aere fit, siue in humido circumfuso: humidum enim partes eius, quod tangit, emollit, laxat, beneq; separabiles reddit; calidum uerò sursum tollit, ac separat, unde dissolutio mixtionis fit; quare principium sunt particulæ illæ insensibiles, quæ euaporāt, calidæ quidē, & acres, sed humidę commixtione, quod ita intelligendum, quia in his euaporationibus putrescentium rerum miscentur ut plurimū minimæ particulæ, & sic principia fiunt tum generationum quarundam, tum corruptionum nouarum, quæ deinceps seminaria sunt contagionum, quæ dum sunt in primo, dicuntur solū putrefactio: ubi uerò in alterum accessere, tum iam contagio dicitur, quæ consimilis dicta est in utroque infectio, neque potest, nisi inter duo ad minus esse, cùm putrefactio sit in uno. Quinque enim omnino requiruntur in contagione corpus tactiuum, corpus tactile, materia, quæ traducitur, instrumentum, per quod fit traductio, ut spacium, tempus, locus, quæ quatuor etiam posuit Mercurialis,

rialis, ut ſupra : tandem morbi ſpecies, quæ eleganter explicat Marinellus in libello de Peſte, qui etiam inde colligit eſſe triplex genus contagij, maximum, medium, minimum; maximum vocat, cùm duo corpora ſeſe tangentia, mediante aliqua re, vel ſine medio, ideſt, immediate ſint ſubſtantia eadem, quantitate æqualia : medium, cùm duo tantum ex his tribus conueniunt : tertium, cùm alterum tantū, de quibus ipſe legendus eſt : minutiſſimè enim has perſequitur differentias, & explicat.

Contagio per fomitem.

Per fomitem verò fit contagio per eadem principia, ſed differunt mixtione, quòd in illis eſt debilis, & non lenta : in his verò fortis, & lenta; eſt autem fortis, & valida mixtio duplex, altera in duritie, vt in metallis, ſaxis: quorum inſenſibilia minima annos quamplurimos durant : altera in lentore quodam, & multa, ac elaborata mixtione, quæ fit è valde minimis bene inuicem agitatis, quæ potiſſimum contingit in euaporationibus cōcluſis, vbi nō diſpergitur, quod euaporat, ſed ualde agitatum minutiſſimè cōmiſcetur, quæ ſi lentorem quoque accipiat, tunc ualida fit magis mixtio, & apta ſeruari in fomite: quare omnia, quæ per fomitem inficiunt, lenta ſunt, & glutinoſa : quæ uerò lenta non ſunt, ſed uel in ſicco per ſe conſiſtunt, uel aqueo multo abundāt, & apta citiſſimè alterari, putreſcentia quidem contagio afficiunt, quod tangunt: fomitem uerò non relinquunt, quod uel non adhęreſcunt, & glutinātur, uel cito alterantur: quare marceſcentes fructus cōtactu afficiunt; non autem fomite, quia plurimo aqueo referti, & quod euaporat, non eſt lentum, aut glutinoſum : quod uerò eſt huiuſmodi, reſidet in his, quæ tangit, & propter fortem mixtionem non facile alteratur; & ſi analogum ſit, quod tangit, ſtatim inficit; ſi non aptum affici, ſed ſeruare ſeminaria infectionis, tunc illud fit fomes, quod nactum mox aliquid primo illi analogum, non ſecus afficit, & inficit, ac ſi primo occurriſſet illud: quare neque omnis euaporatio fomes, neque omne recipiens poteſt eſſe fomes: nam illa ſola eſt euaporatio fomes, quę lenta eſt, & in concluſa, ac elaborata mixtione. Et duplex cōſtitui poteſt; uel enim inſenſibiles ſunt particulæ, & corpuſcula indiuidua ἄτομοι, in meatibus rerum inconſpicuis latentia, eandem uim, & qualitatē retinentia, unde fluxere, uel etiam putridi

Fomes duplex.

tridi uapores eodem pacto à corporibus delati, à quibus accepere contagiũ, in eisdem poris, meatibusq; latentes, quę eadẽ labe possunt inficere, qua corpora, vnde delati. Et hoc genus solũ videtur agnouisse Horatius Augenius, qui Epist. med. lib. 9. ita ait, statuere oportet semina pestilẽtiæ esse substantias quasdam vaporis specie ab infectis corporibus vi caloris effluentes, qualitate viscidas, ac naturam eius corporis præseferentes, à quo defluxerunt corrupti, siue fuerint spiritus, siue solida cordis substãtia, siue humores in finibus cordis cõtenti. Si verò diligentius rẽ perpendamus, plures fomitis species, & euaporationis oportet constituere: cum enim corpus ex quatuor constet elementis, quatuor quoque res illis respondentes oportet euaporare. Primum ex igne incorpoream penè quandam substantiam, quæ est illa venenata qualitas, & species venenatę intus latẽtis materię, & caloris; qualis solet esse exhalatio sicca fumi speciẽ referens; ex aere, aeris naturam referentia, vt vapores fuliginosos, qui sunt pilorũ materia, ex aqua, serosas, & tenues humiditates, quæ ex cute resudant, ex terra, corpuscula minutissima, & atomos, seu ramenta, qualia in Solis radijs conspiciuntur concursare. Neque verò apta sunt omnia, vt fomes fiant, sed solum ea, quæ sunt foraminulenta, & calida moderate, aut parũ frigida, in quibus condi, & latere possunt seminaria contagionum propter foramina, & non alterari, neque ab ipso fomite, neque ab extrinsecis, nisi ea plurimum habeant virium, & excellant, vt ignis, aqua frigidissima, acetum, & similia: quare neque ferrũ, neque saxa fieri fomites possunt, sed lana, panni, lectuli, pelles, ligna, parietes etiam, & similia foraminibus prædita, in quibus diutissimè perdurare virus potest, quemadmodum & odor diu permanet in vestibus, & fuligo, atque fumus in parietibus, quæ propter subtilitatem facile penetrarunt in intima foramina, & propter lentorem mixtionis, ac constantiam diu perseuerant, neque aeri obnoxij, neque extrinsecis alterationibus. Mercurialis præter laxitatem, & raritatem, & insignis qualitatis carentiam, desiderat in fomite etiam debitam quantitatem, nixus auctoritate Galeni, qui 3. de simpl. med. fac. c. 23. docet deleteria omnia, etiã intra corpus assumpta nõ posse lædere, nisi habeant debitã quantitatem; vt centesimam partẽ drachmæ Cantharidum,

Quatuor fomitis spẽs iuxta quatuor elementa.

ridum, & ſcintilla ignis nocet nihil, & irridet nonnullos medicos, qui exiſtimabant in minima quadam re poſſe conſiſtere peſtiferum venenum, & referebant ex contrectatione particulæ fili aliquos peſtem contraxiſſe. Et in hoc genere illud eſt magnopere animaduertendum, quòd interdum aliqui non affecti peſtilentia poſſunt afficere, & inficere alios ratione fomitis, quia ſcilicet ſecum deferunt ſeminaria contagionis; quæ cùm ſint lenta, glutinoſa, adhærent interdum cuti animantis, & orificijs meatuum, qui cùm ſint anguſti in corporibus frigidiori præditis temperamento, & venarũ anguſtia laborantibus, non facilè ſinunt ad interiora peruenire, ac penetrare ipſa ſeminaria, ſed latent in recrementis cutis: nam in viuentibus particulis id fieri nequit, vt præclarè adnotauit doctiſſimus Mercurialis, quòd ſi eo tempore incidant in corpus aliud rarioris texturæ, calidiorisq; temperamenti, facilè primo relicto etiam immuni, in hoc aptius migrant, & labem deferunt, præſertim ſi ſanguinis quoque, & ſpirituum accedat analogia, qualis ſolet eſſe in cognatis, vel etiam in amantibus, & ea, quam vocat Mercurialis arcanam qualitatem, quam dicit eſſe cordis intemperiem, ob quã illud facilè recipit contagionem, & inficitur peſtilentia. Quod etiam comprobatur Gallici morbi, qui & ipſe contagioſus, exemplo: in quo ſæpe fit, vt mulier ſana, & ab omni lue venerea immunis alium inficiat, nempe fomite Gallici intus latente, neque dum propagato, atque diffuſo in viuentes particulas, in corpus illud pronius, & paratius ad ſuſcipiendam labem, transfuſo, quòd omnes ferè, qui de Gallico ſcripſere, teſtantur, idem confirmatur exemplo hiſtoriæ illius puellæ, veneno nutritæ, quam narrat Auicennas ex ſententia Rufi, qua Reges Perſarum, quos volebant, interimebant, oſculo ſcilicet, vel Veneris vſu venenatos, qualis dono miſſa traditur Alexandro Macedoni ab Indorum Rege à nonnullis citato Aueroe in prooemio 3. Phyſic. vbi non extat. Quam rem recitat & Mercurialis lib. 1. de venenis, c. 9. vbi ille contra, ac nos ad probandum, quòd poſſet alios venenare, ipſa nequaquam veneno læſa, vtitur exemplo peſtis, in qua quidam alios afficiunt, ipſi non infecti: quod facilè demonſtrauit Euagrius in hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 4. c. 28. vbi narrat contigiſſe in ea maxima peſte, vt ſæpe ſani homines, ex

Non affecti peſte poſsũt alios inficere, ratione fomitis.

infectis regionibus discedentes; & in liberas abeuntes, inficerent homines illos sanos, & regiones, eo quòd in seipsis conseruantes, veluti in fomitibus venenum pestiferum cōmunicabant alijs, atque ita mox etiam aerem afficiendo, pestem, & morbum communem inducebant: quod etiam Ficinus testatur his verbis: Nec vlla te admiratio capiat, quòd interdum sine vllo nocumento homo, vel bestia, prędictum suscipiant vaporem, ac tum alios inficiant; ignitum namque ferrum stupam consumit, & paleam: ipsum verò nullatenus consumitur: hoc enim ex recipientis subiecti dispositione prouenit, in quo potissimum secundum Aristotelem, Galenum, & Auicennam rei consistit effectus. Illud etiam in hoc non prætereundum, quòd corpora etiam mortua (licèt multi sint, qui id fieri posse denegent) possunt inficere, & seminaria contagionis efflare, ratione intus putrescentis humoris: quod præclarè testatur Ouidius in sua peste, vbi dicit, cadauera afflatu nocere, & disseminare contagia:

Corpora mortua possũt inficere contagio.

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ,
Mira loquar, non illa canes, auidæq; volucres,
Non cani tetigere lupi, dilapsa liquescunt,
Afflatuq; nocent, & agunt contagia late.

Vel etiam in pilis, & cute, eorumq; recrementis possunt latere fomites, & seminaria contagionis: & ita accedētes propius inficere. Quanto autem tempore possint permanere isti fomites in rebus, magna est inter medicos controuersia, de qua fortasse alibi plura differemus, hic breuitatis studio paululum satis erit delibare, & cæteris opinionibus prætermissis, Marsilij Ficini sententiam afferemus, qui in personis bimestre spacium ponit, in parietibus, & ferramētis annuū, in vestibus laneis triennium: idq; probat exemplo arantij, & muschi. Verba eius sunt in cap. 24. Hæc denique scias velim, quòd scilicet per bimestre spacium remanet venenū in personis, parietes, firmamenta, & quæ sunt ex lignis constructa, nisi corrigantur cum lotionibus, fumigijs, ignibus per annū, vel plus forsitan suam reseruant venenositatē. Vestes quoque laneæ, & id genus, nisi euententur, lauentur, sæpiusq; fumigentur, vel ponantur ad ignem, ad ventum, ad Solem tribus annis, & vltra remanent infectæ. Nosti quidem mucidi odorē arancij, in qua marcescit capsula, multos seruari annos,

Quāto tēpore possint fomites perdurare in rebus.

nos, similiter suo, quo prius erat bombace, muschi diu permanet odor: equidem, vt ignis oleum, sic nutrimentum huius est lana veneni, & quidem ita enutrit hæc lana venenũ, vt non modo conseruet ipsum, sed & augmentet, simulq; fortificet, alij breuius tempus statuunt, sed sæpe falluntur. Alexander Benedictus lib. de Peste, cap. 3. narrat quandam historiam de Culcitra, quæ post tres annos seruatis seminarijs contagionis infecit attingẽtes. Audiui, inquit, patris mei ætate in Veneta vrbe culcitram pestilentiæ tempore suspectam in interiores domus partes cuiusdam Patritij eiectam, ac post tertium annum requisitam, quam materfamilias discuti iussit: longo enim situ in abdito loco virus vehementius cõtraxerat, quo serui protinus subita peste correpti sunt. Ad distans verò contagium primo in dubium reuocat Fracastorius, an per eadẽ principia, per quæ duo superiores contagiones, & quinque fundamentis nititur conuellere, ac labefactare hanc sententiam. Primo febrium pestiferarum, quæ horis decem, vel duodecim perdunt sine sensu caloris, aut frigoris. Secundo lippi, quoniam contagio hæc fieri videtur per vocatas species, & simulachra rerum, vt visio. Tertio ob subitam, & momentaneam penetrationem cõtagij, & necem, quod notæ qualitates ob contrarium nequeunt facere. Quarto, quòd deberet propagari ad debilius, si fieret ex notis qualitatibus. Quinto ratione motus, quia notis qualitatibus constantia corpora vnum motum habent sursum, ac deorsum: hæc verò contagio ad omnem partem fertur, & imitari videtur spiritualium motum, qui fit in orbem: his tamen non obstantibus concludit cum Aristotele, & Galeno fieri per cõmune principium, & eundem inficiendi modum, quo superiores species, nempe per qualitates notas, & per seminaria contagionis, quæ non solũ putrefaciendi vim sortita sunt, sed gignendi etiam, & propagandi alia ipsis similia natura, & mixtione, non secus ac spiritus in animali è sanguine solent alios sibi consimiles generare; differre tamen ab his, quæ solo contactu inficiunt, quòd hæc in forti mixtione constituta sint, & lentore valido; ab his, quæ fomite, & contactu, quòd validior adhuc mixtio, & profundior putrefactio, magis sordida, & ad minima elaborata, & maior subtilitas, propter quod & penetrant magis, & maiorem actio-

Cõtagiũ ad distãs.

nem habent: preterea quoque accedere posse arbitratur antipathiam, quam habeat ad animal non solum materialem, sed etiam spiritualem, quæ potest fugare spiritus, & calorem humorũ mixtionem continentẽ, & maximè inde gignere putrefactionem subitam, quam tamen non principem statuit causam, sed coniunctam, & non certam.

Refutat verò eorum sententiam, qui putabant per occultas fieri proprietates, & non posse esse harum contagionum principiũ illas ostendit. Supponit verò, quòd ex decem primis generibus ab Aristotele constitutis, duo tantum possint esse actiua, substantiam, & qualitatem, à substãtia prouenire solum motus locales sursum, deorsum, rarefactionẽ, cõdensationem, & circularem. Reliquas actiones à qualitatibus prouenire, quas dicit esse vel materiales, vel spirituales: materiales rursus duas: primas, quæ omnia generant, & alterant, vt calidum, frigidum, humidum, siccum: secundas, vt lux, odor, sapor, sonus, &c. quæ nihil quidem inter se agunt, vt patet, quia sibi inuicem non sunt contrariæ; sensus tamen mouere dicit: sed hoc, mediantibus illis, quæ dicuntur spirituales, quæ species sunt, & simulachra materialium, siue sint cum his vniuocæ, vt lucis lumen, quod & ratione, & nomine conuenit, siue non, vt saporis, odoris, & soni species, quæ nomen non habent, nisi quis velit effingere, & nouare, ac dicere, saporimen, odorimen, & sonimen, esse dicit eas, tum ex sensibus, tum ex intellectu. Harum vim, & actionem multam esse in natura asserit, sensus posse, intellectumq; mouere, esse principia motionum in animalibus, motus locales facere, attractionẽ, fugã, nonnullas etiã primas qualitates producere, vt lumen, quod gignit calorẽ.

Qualitates duplices.

Quomodo uerò seminaria contagionum ferantur ad distans, & etiam in orbem, satisq; fiat argumentis oppositis, ostendit cap. 7. vbi dicit exhalare ex rebus omnibus, & circũquaque ferri insensibilia corpuscula, quorum diuersæ sunt actiones, & facultates. Principium uerò motus ad omnes partes, partim per se fieri, partim ab alio, per se sursum ferri, ut est omnis euaporationis natura, cùm sit calida, quod patet in fumo: ab alio in latus, & deorsum, quod duabus fit causis: primum obsistentia aeris, aut tabulatorum, & eiusmodi, in quæ incidentes exhalationum partes pelluntur in latera,

Quomodo seminaria contagij ferãtur ad distans.

primum

primum, mox etiam deorsum, secundo aeris natura, qui eua porationem omnem, si tenuis sit, & bene solubilis, diuidit vsque ad minimas particulas, & indiuisibiles, qua diuisione innumerabili facta, multum aeris accidit repleri, & circumquaque misceri primo sursum, mox & in latera, & deorsũ. Quomodo verò seminaria tam paruæ quantitatis non alterentur, saltem medio in aere, ostendit fieri ex lenta, & glutinosa mixtione, quæ in aere diu valeat consistere, quamuis non sit dura: nam dura propter tria resistunt: primò, quòd in pauca quantitate plus habent materiæ: secundò, quòd propter terram plus habent frigiditatis: tertiò, quòd partes non bene subtiliari, & rarefieri possunt propter densitatem: priora duo, etsi non insunt ita lentis, vt duris; insunt tamen aliqua ex parte, tertiũ verò habent non minus, ac dura, hoc est difficultatem subtiliationis propter partium tenacitatẽ, & quòd mixtio è valde minimis constat, quæ bene vnita aduersus alterationes omnes valent: nam si rarefieri oporteat, præsto sunt partes terreæ, quæ prohibent, secundum quodlibet minimum sitæ: si verò densandum sit, occurrunt statim igneæ partes, quæ similiter impediunt ob propinquitatem: quare alterationes omnes sustinent, mediocres tamen: nam validissimas non sustinent, vt ignem, & aquam frigidissimã: quòd verò in tam pauca quantitate vis multa insit, fulguris declarat exemplo, itẽ piperis, & euphorbij, huiusmodi dicit esse seminaria cõtagionis acria, & in lentore constituta, quę & ipsa actu fiunt à calore animalis subtiliante eam mixtionem, & vniente partes consimiles, & talia habere aduersus humores, & spiritus maximam potestatem, & posse asserit, si ad spiritus analoga sint, paucis etiam horis perdere. Ingredi verò corpora dicit è paruis poris, & venis, & arterijs in maiores, & ab his viciſſim in alios, sæpe etiam vsque ad ipsum fontem vitæ cor peruenire.

Tribus modis penetrat cõtagio.

Triplicem verò statuit penetrationis modũ, per propagationem, seu sobolem, quia prima seminaria, quæ adhæserunt, è vicinis humoribus, quibus analoga, consimilia sibi alia generant, & propagant: & hæc alia deinceps vsquequo tota massa humorum inficiatur, & totum animal. Secundũ per attractionem, quæ fit tum inspiratione per anhelitum, tum venarum dilatatione: simul enim cum aere attracto introducuntur

troducuntur seminaria contagionum permixta aeri, quę intus recepta non eadem facilitate protruduntur per expirationem: agglutinantur enim humoribus, & solidis, interdum etiam spiritibus, qui contrarij speciem fugientes ad cor secũ delato hoste sese recipiunt: non enim probat eorum sententiam, qui putant contagia, & venenum suapte natura cor petere, atque aggredi quasi inimicum, cum illis non insit voluntas, & cognitio, licèt fieri ego posse credam ratione antipathiæ: quare quæ minus acria seminaria, quæ crassiora, & lentiora, quasi habentia analogiam ad crassiores humores tardius penetrant. Tertium postremò per dilatationẽ, quia omnis euaporatio de angusto in amplum facillime diffunditur, sic cum in summo corpore angustiores sint meatus, & venæ, quo verò ad cor propius itur, eo maiores, facile ab illis ad has, addito maiori calore, tanquam calcaribus peruenire, atque diffundi testatur.

Quinque modis propagaẽ cõtagiũ ex Cardano.

Cardanus lib. 1. de venenis, cap. 12. quinque ponit modos, quibus dicit propagari contagia. Primum, communem vocat, scilicet per aerem attractum non solum per os, sed per oscula arteriarum diffusa in ambitu totius corporis, & hunc esse modum celerrimum dicit, quo communicantur omnes morbi cordis, pulmonis, pectoris, & cerebri: maxime verò pulmonis, qui primus occurrit aeri; & ideo facile patitur. Secundum, asserit fieri per concubitum, quo morbi diuturni, qui totum corpus occupant, cum putredine cõmunicantur, vt elephantiasis, & lues indica, ob seminis retentionem. Tertium, dicit esse modum, ex communi cibo, ac potu, quo morbi, qui saliuam inficiunt, communicantur, vt phthoes, aphthæ, tusses, & huiusmodi. Quartum, esse per contactum autumat, & per lintea, infectasq; vestes, quo omnes morbi cutis inficiunt sanos, vt elephantiasis, lepra, scabies, pediculi, lues indica, & capitis tinea, ac impetigo Quintum, modũ esse dicit, cùm per radios contagium propagatur, vt in ophthalmia, & lippitudine, quos morbos ex fixo intuitu constat propagari: & ideo dicit Fracastoriũ credidisse eos propagari per radios, sed esse deceptum: nam dicit propagari per vapores, quos magis excipiunt apertis oculis; & ideo ex fixo intuitu. Pestem porrò asserit communicari omnibus his modis, vt quę putredinem secum habeat maximam, & calorem

tenuem.

tenuem. Sed hi modi omnes ex ipso sunt Fracastorio accepti, eiusq; doctrina, quam omnes delibant, & hauriunt, mox parum grati conuellere conantur, & labefactare, vt facit etiam Valeriola.

Contagio ad distans similis fascino.

Simile verò videtur hoc tertium genus contagij ad distãs, illi quod fascinum appellant, de quo miranda quædam prædicant & Philosophi, & Poetæ: & eisdem etiam potest ferè modis fieri: illud enim fit quatuor modis, vt à me est alibi demonstratum in quadam mea disputatione de amantium silentio, oculis, tactu, voce, & etiam imaginatione, quibus addi præterea potest etiam odoratus in peste: nam de tactu in dubium reuocari non potest, de oculis etiã habemus exempla, ex Historijs: nam Euagrius lib. 4. histor. Ecclesiast. & Nicephorus, Callistus in ea grauissima pestilentia testantur aliquos interdum fuisse infectos ex solo aspectu intra domos: quod videtur innuere etiã Cicero, qui in oratione pro Cluẽtio per metaphoram dixit, nemo inuentus est, qui non contagionẽ aspectus illius fugeret. Matthæus Villanus in illius pestis descriptione testatur ex visu irrepsisse in aliquos contagionem, his verbis: *Auenne, perche parea, che questa mortifera infezione s'appicasse per la veduta, e pe' toccamenti, che come l'huomo, ò la femina, ò fanciulli si conosceuano malati di quella enfiatura, molti gli abbandonauano.* De eadẽ idem asserit Guido Cauliacus in descriptione eiusdem pestis, cuius verba prisca illa, & veteri materna lingua non pigebit referre: *Et fò de tanta contagiosità, & specialmente quella, la qual fò co'l sputo de sangue, che non solamente stando, ma ancora esguardando l'vno riceueua la malatia da l'altro.* Quod plerique etiam alij testantur: citat enim hunc, & hanc pestem Ingrassias cap. 2. pri. par. his verbis: *Con tale, & tanto veneno, che solamente guardando, l'vn l'altro infettaua.* Et Augustinus Buccius cap. 2. de hac ipsa loquens, citato Guidonis Cauliaci testimonio, ait: *Con sì potente veneno, che sol mirando gli huomini tocchi, si contraheua il male.* Quod mirum minime videbitur, si ea, quæ de Catablepha cõmemorantur, considerauerimus: neque verò solum de visu, & tactu, sed etiam ex auditu (quod mirabilius videbitur) relatum est contractum esse contagiũ. Duobus in locis huis rei facit mentionem Ingrassias in suo libro materna lingua cõscripto de Peste Panormitana, cap. 7. partis primæ, ubi ait: *A vista, & vdita haue qualche volta infetta, come*

Contagio suscepta ex visu, & auditu.

per

per le Historie si legge. Et par. 2. cap. 5. idem repetit his uerbis: *Si come sono quelle, che infettano al distante, insino à tanto, che al parlare, & à vista si piglila infettione.*

Cõtagio suscepta ex odoratu.

Præterea ex odoratu etiã suscipi posse pestilens contagiũ, docent Historiæ. Dionysius Halycarnasseus lib. 10 de illa insigni pestilentia auctor est multos ex odore tetro cadauerũ infectos. ἐκκυμαινομένων γὰρ τῶν σωμάτων βαρεῖα, καὶ δυσώδης προσπίπτουσα, καὶ τοῖς ἔτι ἐῤῥωμένοις ἡ τοῦ πνεύματος ἀποφορὰ ταχείας ἔφερε τοῖς σώμασι τὰς τροπὰς, idest, eiectorum corporum grauis, & fœtida incidens valentibus etiam adhuc corporibus spiritus delatio celeres afferebat conuersiones ad morbum. Et Titus etiam Liuius lib. 3. in illa peste, quam describit, testatur ex colluuione mixtorum omnis generis animantiũ odore insolito vrbanos affectos. Et Appianus Alexandrinus lib 6. de bello Punico: ὁ οὖν φθόρος αὐτοῖς ἦν πολύς τε καὶ περιώδυνος συνοῦσιν ὠδωδόσι, καὶ σηπομένοις σώμασι, idest, strages verò ipsis aderat multa, & magno cum dolore coniuncta, versantibus cum fœtidis, ac putridis corporibus. Diodorus Siculus lib. 14. Biblioth. in peste Carthaginensium testatur malum vehementer auctum: Διὰ τὴν τῶν ἀτάφων δυσωδίαν, καὶ τὴν ἀπὸ τῶν ἑλῶν σηπεδόνα, idest, Propter insepultorũ corporum fœtorem, & exhalantem à paludibus putredinẽ. Et in historijs frequens est mentio, & apud medicos etiam pestium, quæ ex tetro odore, vel cadauerum insepultorum in bellis, vel locorum dictorum Charoniorũ, vel similium profectæ sunt: inter quas celebris illa in Aethiopia ex locustarum in litore putrescentiũ odore creata, & aliæ complures: & huiusmodi fuisse hanc Atheniensium pestem Haly videtur innuere, cùm dicat lib. 5. cap. 11. suæ Theoricæ profectam ex putridis vaporibus, qui ad Atheniẽses peruenerunt ex mortuis, qui in terra erant Aethiopiæ. Et Ouidius præclarè testatur, ex odore cadauerum vitiari aerem, & pestẽ gigni.

Corpora fœda iacent, vitiantur odoribus auræ.

Quod etiam demonstratur fieri posse exemplo venenorum: scribit enim Rhasis quoddam genus esse fungorum, quæ olfacta præsentaneam mortem afferunt, & Matthiolus in Commentario in 6. Dioscoridis, in proœmio narrat, Circũforanei cuiusdam Senis Historiam, qui Vetonicum vocatũ florem veneno infecit, & cùm eum olfaciendũ exhibuisset

suo

ſuo æmulo in publico Senenſi foro, is ex ſolo olfactu repente mortuus concidit. Et Hieronymus Mercurialis var. lect. lib. 6. cap. 15. refert ex Nicolai etiam Florentini teſtimonio Franciſcum Ordelafum Foroliuij Capitaneum habuiſſe veneni genus, quod ſolo odore mortem inferret; & hi, qui de venenis ſcribunt, tradunt inter præſentiſſimas veneni ſpecies eſſe odorem venenatum. Declaratur etiam id fieri poſſe à comparatione non modo parium, vt eſt venenum, ſed minorum: nam ſi datur extra peſtem, & extra venenũ odor malus enecans, multo magis in peſtilẽti veneno id fiet: hoc verò à me eſt declaratũ in diſputatione, quòd odor nutriat, vbi contra quã hic arguo, ſi datur odor enecans, ergo & nutriens; ſumptum verò probo Theophraſti teſtimonio, qui lib. 6. de cauſis plantarũ, cap. 5. vbi agens de malis odoribus, *τῶν κακωδιῶν*, ait, *ἔνιαι δὲ κοιναὶ πᾶσι οἷον αἱ ἐκ τινῶν ἐκπνέουσαι χασμάτων, καὶ ἄντρων θανατήφοροι τοῖς προσπελάζουσι*, ideſt, Quidã cõmunes omnibus, vt qui ex quibuſdã expirant hiatibus, & antris lætales his, qui accedunt. Qui etiã de hiſtoria plantarũ, lib. 6. c. 4. de Atractilide dicit habere odorem grauem, & homicidam. *ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δεινὴν, καὶ φονώδη.* Habet verò odorem grauem, & homicidam. & in 3. cap. vlt. de Euonymo. *ὄζει δὲ δεινὸν ὥσπερ φόνου*, olet graue quaſi cædis, ſupple *αἴτιον*, cauſa. & Homeri, qui in δ Odyſſ. dixit:

Φωκάων ἁλιοτρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή. ideſt,

Altarum Oceano Phocarum odor exitialis.

vbi Grecus Scholiaſtes interpretatur *ὀλεθριώτατος*, ideſt, lætaliſſimus, pernitioſiſſimus. & Philoponi in 2. de anima, vbi ait: *χαρώνιαι ὀσμαὶ πνιγώδεις*, ideſt, Charonij odores ſuffocatorij, & mox: *φθείρεται ὑπὸ τῶν φθαρτικῶν ὀσμῶν*, corrumpuntur à lætalibus odoribus: & ex argumento Topico à contrario probatur: nam ſi datur odor *τρόφιμος*, ideſt, nutriens: datur etiã odor *φθαρτικός*, ideſt, enecans: &, ſi vera eſt Phyſicorum ſententia à Plutarcho relata, quòd ex eiſdem corrumpimur, quibus nutrimur, vt patet in Aſtomis populis, qui teſte Plinio, Solyno, & alijs, odore nutriuntur bono, & contra malo perculſi ſubito intereunt, profectò cùm detur odor nutriens, vt luce clarius eſt probatũ, datur etiam odor enecans. Oſtendit tandem ſuſcipi peſtẽ ex odoratu ipſa curatio: quæ eſt certiſſima demonſtratio, teſte Mercuriali in ſua praxi: ex

qua maximè solitus Hippocrates venari naturam affectuũ: nam si verũ est ipsius Hippocratis, & Galeni dogma, quòd fiat ἴασις διὰ τὸ ἐναντίον, curatio per contrarium: si odoribus, & rerum odoratarum incendio curatur, & præcauetur, vt in hac ipsa Atheniẽsi factũ scimus, ergo etiã ex odore malo, & pestilenti suscipitur pestis; & per instrumẽtum odoratus.

Vi imaginationis, & fascinũ fit, & pestis suscipitur.

De phantasia quoque, & imaginatione idem asserendũ: per eam enim & fascinum fieri, & pestem suscipi posse arbitramur: quod cùm primum nos ex ingenio nostro fieri posse statuissemus, ex vi ipsius imaginationis, de qua miranda Scriptores tradunt; mox ab alijs etiã Scriptoribus animaduersum vtrumque inuenimus, & obseruauimus, quos libet hic recitare. Et primum de fascino Petrus Gregorius Tholosanus in Syntagmate iuris, lib. 34. cap. 11. ita testatur. Tanta fertur maleficiorũ improbitas, vt scelerata animi sui intenta imaginatione excitent materiam sui corporis corruptã, & venenosam, per quam primo oculi illorum inficiuntur: postea circumiectus aer, & consequenter aliæ partes consequentis aeris, vsque ad contiguũ alijs aerem, quẽ si quis iam infectum traxerit respiratione, veneno inficitur, vt de intuitu Basilisci narrant, qui ea ratione solo visu enecat, & si virus eius speculo repercutiatur, à seipso mortem accipit. Et Auicenna (vt idem refert) existimat animam multoties operari in corpore alieno, sicut in proprio, & tale opus putat esse oculi fascinantis, & operantis æstimationis, & defendit imaginatiuam posse etiam corpora extranea immutare, & Magum ibi definit, qui mentes hominum minus Deo fidentiũ turbat, & sine vllo veneni haustu, violentia tantum carminis interimit. De peste verò plures sunt, qui testentur, & facilior est ratio, quia & agens, & patiens pari pacto sunt affecti: paratus enim ad suscipiendam pestilentiã, & promptus redditur vi imaginationis patiens: agens vero vi morbi vehementis latissimè seminaria profundit, & per medium analogum repente fit infectio, atque contagio: interdumq; etiam longissimo interuallo, quia, vt inquit Auicennas de med. cord. tract. 1. cap. 5. in melancholico fortitudo imaginationis facit apparere, quòd iam in actu sit res, cuius similitudo animæ repræsentatur, vnde etiam vulgo dicitur, imaginatio facit casum. Vis verò morbi pestilentis sæpenumero ferit phan-

Pestis fecit phantasiam.

phantasiam, vt constat ex varijs pestium historijs, qualis illa Procopij 2. de bello Persico, in qua repente læsa imaginandi facultate, sibi videbantur ab aliquo cædi, & verberari, statimq; eos morbus inuadebat: qualis illa Appiani Alexandrini de bello Parthico, ob esum herbæ cuiusdam, qua statim mente mouebantur, & insani interibant: qualis illa Carthaginiensium, de qua Diodorus Siculus libro 14. Biblioth. vbi ita ait: τινὲς δὲ εἰς μανίαν, καὶ λήθην τῶν ἁπάντων ἔπιπτον, οἱ περιπορευόμενοι τὴν παρεμβολὴν ἐξεστῶτες τοῦ φρονεῖν ἔτυπτον τοὺς ἀπαντῶντας, ideſt, Nonnulli verò in amentiam, & obliuionem omnium rerum incidebant, qui circumeuntes castra, emoti mente verberabant obuios factos: quales multæ aliæ, quæ vel spectro oblato, vel aliqua alia ratione emota mente legũtur apud Historicos inuasisse. Hoc testatur Franciscus de S. Nazario celebris Iurisconsultus, qui enumerans causas pestis in Tractatu de Peste, cap. 4. ita ait: Quandoque suboritur ex tristi imaginatione concomitata timore: nam spiritus tristis cõturbat viscera, & casum facit imaginatio: ex medicis complures, Ingrassias in par. 1. cap. 8. ostendit id fieri posse Sapientium testimonio appellato, his verbis: *Alcuni Sauij hanno scritto non esser impossibile, si come per la paura di qualche animal arrabiato si son veduti molti arrabiare, parimente per lo timore della peste potersi appestare, giongendoui la profondissima imaginatione.* Et Petrus Parisus in Tractatu de Peste, cap. 2. vbi reprehendit Præfectos ciuitatum, qui pestilenti tempore pauperes concludunt, ob tres causas, quibus augetur pestis, pauperiem, cacochymiam, & imaginem pestis, quam sua lingua vocat *L'imagine, ò rappresentatione della Peste*. Fallopius de Bub. pestil. cap. 8. idem asserit dicens, Omnes timent, & multi ex solo timore cum forti imaginatione inciderunt saltim in febrem pestilentialem. Iulius Palmarius Constantinus Parisiensis Medicus in libro de morbis contagiosis ita præclarè disserit in hanc sententiam. Futuræ pestis metum, atque intentam cogitationem sæpe eam allicere profitemur, multosq; integrè sanos illius solius terrore, metuq; perculsos repente vitium sensisse testamur, ac non multo post è medio sublatos nulla alia, vt mea fert opinio, ratione, quam quòd vehemẽs, & intenta animi cogitatio, atque imaginatio crebra, dũ cor mirificè afficit, idipsum sæpe imprimat, atque inurat, quod

tantopere metuitur: quod etiam alijs in locis repetit, plures possem recitare huius sententiæ auctores, & laudatores; sed satis iam istud esse probatum theorema existimo.

Ἀνθρωπεία τέχνη, Humana ars.] Sic Halycarnassæus lib. 9. de Peste Romana, οὔτε ἀνθρωπίνη βοήθεια ἤρκει τοῖς κάμνουσιν οὐδεμία, idest, Neque humanum vllum auxilium laborantibus par erat, & Liuius Dec. 1. lib. 7. Cum vis morbi, nec humanis consilijs, nec diuina ope leuaretur, &c. & Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. Triennio continuo uexata pestilentia ciuitas nostra cùm finē tanti & tam diuturni mali, neque diuina misericordia, neque humano auxilio imponi uideret. Scholiastes verò declarat hic, quę esse possit alia humana ars, quę scilicet nō sufficeret, aut par esset depellendo morbo, & ait: μαντικὴ, καὶ ἐπῳδὴ, idest, diuinatio, & incantatio: nam apud ueteres hæ duæ artes quoque florebant, & in depellēdis morbis frequentissimè adhibebantur: quare frequens quoque mentio apud Medicos, & ut primum de primo agatur, iuxta naturæ ordinem. Eustathius in Hom. Iliad. lib. 1. ait: οἱ δὲ παλαιοὶ ἐν τῷ ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, φασὶ, καὶ ὅτι κοινὰ πῶς ἐστὶ τέχνη ἰατρικὴ, καὶ μαντική. Μελάμπους οὖν καὶ Πολύειδος ἀμφότεροι ἐπ' ἀμφοῖν ἔνδοξοι ἐγένοντο, καὶ Αἴσχυλος δέ που φασὶ τὸν ἰατρὸν μάντιν ὀνομάζει, καὶ Ἀχιλλεὺς δὲ ἰατρικῶς νοήσας τὰ κατὰ λοιμὸν μαντικῆς δέεται, idest, Veteres in explicando Hemistichio, uatemq; rogemus: dicunt etiam, quòd communes quodam modo & affines sunt medicina, & diuinatrix, Melampus igitur, & Polyidus ambo in utrisq; pręclari extitere: & Aeschylus (ut aiunt) medicum uocat diuinatorem, & Achilles ex Medica scientia intelligens pestis naturam, diuinatricem postulat. Et ipsemet Hippocrates in epistola ad Philopœmenem in hanc sententiam dixit asserens se non contemnere somnia, ἰατρικὴ δὲ καὶ μαντικὴ, καὶ πάνυ ξυγγενές ἐστιν, ἐπεὶ δὴ, καὶ τῶν δύο τεχνέων πατὴρ εἷς Ἀπόλλων, ὁ καὶ πρόγονος ἡμέων, ἐούσας, καὶ ἐσομένας νούσους προαγορεύων, καὶ νοσέοντας, καὶ νοσήσαντας ἰώμενος, idest, Medicina autem, & diuinatio ualde cognatę sunt, quoniam & pater ambarū artium unus est Apollo, qui noster etiam progenitor, præsentes, & futuros morbos prædicens, & ægrotantes, & ægrotaturos sanans. Quod uerò per diuinatricem artem pelli posset, & soleret pestis, Homeri uidetur testimonium comprobare, qui inducit Achillem consultantem,

Diuinatio, & incātatio adhibebantur ab antiquis ī depellendis morbis.

Diuinatio.

fultantem, & concionantem de peste depellenda, hortari, ut consulantur diuini, quasi scilicet morbus arte medica, quam ipse callebat, non posset debellari; quorũ tres species facit, Eustathio teste, ἐνθουσιαστὴν, ἱερέα, & ὀνειροπόλον. Licet ibidem ipse plura genera commemoret: sed ex his tribus potissimũ haberi remedia posse uidetur innuere, nempe à furoris diuini responso, ab hostiarum extis, & somniorum interpretatione: ex quibus etiam legimus interdum apud medicos reperta remedia. De somnijs ad delendam pestem extat testimoniũ Pausaniæ in Corinthiacis, idest, 2. libro, ubi dicit fuisse templum, λυτηρίου πανὸς, idest, Panis Solutoris, qui ita fuit appellatus, ꝙ per insomnia à pestis periculo liberarit Trezenios, Τροιζηνίων γὰρ τοῖς τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν ἔδειξεν ὀνείρατα, ἃ εἶχεν ἄκεσιν λοιμοῦ πιέσαντος αὐτούς, ἀθηναίους δὲ μάλιστα, idest, Trezeniorũ enim magistratibus ostendit somnia, quæ attulerunt remediũ pestis, quæ eos apprehenderat, & præcipuè Athenienses, & apud Lucianum in Scytha fit mentio curatæ pestis admonitu Toxaris in somnio facto Demanetæ Architelis Areopagitæ uxori apud ipsosmet Athenienses, irrorandis, scilicet angiportis. Apud ipsum Galenum sæpe fit mentio remediorum ab ipso per insomnia inuentorum, ut Sacerdotem in Pergamo Aesculapij curauit diuturno lateris dolore secta in summa manu arteria ex Dei monitu in insomnio. Sanauit etiam lateris dextri hypochondriacum dolorem secta arteria inter pollicẽ, & indicem eiusdẽ brachij monitus in insomnio, de ratione curãdi per sang. mis. Plato in Phædro dicit appellatã μαντικὴν, quasi μανικὴν interiecta litera τ, ibiq; facit duas species diuinationis, μανίαν, & οἰωνιστικὴν: plures uerò, qui uelit species superstitiosæ diuinatricis apud ueteres legere, adeat Syntagma Iuris Gregorij Tholosani lib. 34. cap. 3. & 4. 5. & 6. ubi quamplurimas collegit artis huius species, collectas ex Giraldo, Vnero, Coclite, Rabinis, Francisco Veneto, & alijs, ut sunt λεκανομαντία ex pelui, γαστρομαντεία, κατοπτρομαντεία, κρυσταλλομαντεία, δακτυλομαντεία, ὑδρομαντεία, ὀνυχομαντεία, κοσκινομαντεία, ἀξινομαντεία, γαστριμαντεία, κεφαλαιομαντεία, κληρομαντεία, ὀνειρομαντεία, βοτανομαντεία, νεκρομαντεία, σκιομαντεία, ἀστραγαλομαντεία, γεωμαντεία, Chiromantia, κοτταβομαντεία, πυρομαντεία, Spatulomantia, Vmbilicomantia, & alia complura genera.

Diuinantium tres species.

Ex insomnijs depulsæ pestes, & morbi.

De

Ex incantatione, ἐπῳδῇ remedia adhibita.

De incantatione uerò, siue ἐπῳδῆς plura apud Medicos reperientur testimonia, quæ non fortasse inutile erit, aut iniucundum colligere prius propositis Poetis, quibus uniuersale hominum iudicium comprobabitur. Homerus primus afferatur, qui affirmat profluuiū sanguinis in uulnerato Vlysse inhibitum fuisse carmine, in τ̃ ὀδυσ.

ὠτειλὴν δ' ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπ' ἀοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον. ——— idest,
Vulnera semidei, præstantisq; optimè Vlissis,
Inuoluunt pannis, mox ater carmine sanguis
Comprimitur ———

Et Pindarus in Ode 3. Pyth. ubi de Aesculapio loquitur, quē dicit omnigenis morbis mederi solitum inter methodos curandi ab illo adhibitas recenset primum incantationem ἐπαοιδὴν. Ait enim:

——— λύσαις ἄλλον ἀλ-
λοίων ἀχέων
ἔξαγεν τοὺς μὲν μαλακαῖς
ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
τοὺς δὲ προσανέα πί-
νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων
φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.

Quæ sic eodem metro sonant:

Soluens diuersis
Morbis alios
Liberauit carminibus
Placidis hos leuans,
Mollia combibere hos
Pharmaca, aut membris dare circum
Illa iubens, alios sanans sectione.

Plenos veterum libros huiusmodi ἐπῳδαῖς incantationibus fuisse, vel ex Galeno colligitur, qui sexto de simplicibus medic. Archigenem & Pamphilum has in suis libris referentes coarguit. Marcellus qui de re Medica scripsit in carmine Heroico, quod in fine collocatur, huius per carmina medicinæ meminit his verbis

Gramine siue malis ægro præstare salutem,
Carmine seu potius, namq; est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Et

Et in ipſo libro, quo complectitur varia medicamentorum genera frequenter facit incantationis, & carminis mentionem. Ammianus Marcellinus Hiſt.li.16. aperte teſtatur illis temporibus incantamenta adhibita ad leniẽdum dolorem, ex medicinæ ẽt auctoritate, qđ tamen vetitum eo tempore oſtendit. In caſtris Auguſt.per ſimulationem tuendæ Maieſtatis Imperatoriæ multa & nefanda perpetrabant, nam ſi ſuper occentu ſoricis, vel occurſu muſtellę, vel ſimilis ſigni gratia quemquã conſuluiſſet peritum, aut anile in cãtamentũ ad leniendum adhibuiſſet dolorem, quod medicinæ quoque admittit auctoritas, reus vnde non poterat opinari, delatus, raptusq; in iudicium pęnaliter interibat. Strabo lib.15. Geograph, dicit apud Indos magno in precio & honore eſſe medicos, & inter hos commemorat diuinatores, & incantatores. Hipp. in libello de morbo ſacro inter ſumma præſidia non diuina recenſenda dicit, ſi quis morbum tollat, vel περικαθαίρων vel μαγεύων, ideſt, vel expiando, vel magicis carminibus incantando, ut omnes vertunt interpretes. Adrianus Cæſar excantationibus, & magicis artibus aquam intercutẽ qua laborabat, eduxit, & Horatius ſolui poſſe carminibus veneficium oſtendit, dum ait,

Ah, ah ſolutus ambulat

Veneficæ ſcientioris carmine,

Et de his vide ſyntagma iuris Gregorij Tholoſani ſupradicto lib.34. ferè per totum. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, & idẽ in re ruſtica in curandis belluarum morbis barbaris aliqñ vti verbis ſuadet, & cantionibus. M. Varro podagras curari carmine, & verbis prodidit, vt aſſerit Plinius Theophraſtus iſchiadicum morbũ carminibus ſanari dixit. Apollonius manes Achillis incantatione dicit euocaſſe, & alia quædam miranda de incantatione in medicina narrantur. Sed ne fabulæ hęc ob antiquitatem exiſtimentur, recentiorum etiam aliquod afferamus teſtimonium. Olaus magnus (ut teſtatur ẽt Marcellus de Med. Hiſt.) lib.3. ſuæ Hiſtoriæ tradit Bethnicos homines ſeptentrionis magicis incantationibus inimicos etiam abſentes ita petere, ut triduo oborto carcinomate pereant, alij etiam Medici teſtantur quoſdam curare vulnera, & ſagittas è corporibus extrahere incantationibus, de qua re meminit & Marcellus de Medica

Hiſto-

Historia; sed extat exemplum pulcherrimum apud Antonium Beniuenium in libello de abditis morbor. causis c.26. cui titulus sagitta carminibus euulsa. narrat ibi Historiam militis, cui telum dextra parte pectoris illatum sinistræ scapulæ ossi vsque adeo inhæsit, ut & multi mucronem frustra euellere conati sint, nam redire tanto spatio non poterat sine laniatione carnis venarum, ac neruorum, ex quo subsecutus esset facile spasmus, & interitus. quare (inquit) medicę artis præsidio destitutus, cum id citra mortis periculum fieri non posset, aduocat ariolum, qui duobus digitis plagæ superpositis, & carminibus nescio quibus insusurratis telū ex osse iubet redire; &c. sed apud antiquos tanta erat horum incantantium (ut ita loquar) copia, ut integri populi hac facultate præditi existimarentur. A. Gellius lib. 16. cap. 11. ita de Marsis testatur. Gens in Italia Marsorum orta fertur esse à Circes filio Marso, ea Marsis hominibus, quorum dūtaxat familię cum externis cognationibus nondum etiam permixtæ, corruptæq; sunt, vi quadam genitali datum, vt serpentiū uirulentorum domitores sint, & incantationibus, herbarumq; succis faciant medelarum miracula. meminit Verg. lib. 7. cuiusdam Vmbronis ex Marrubia gente sacerdotis, qui fuit incantator. de quo ait.

Sed non dardanię medicari cuspidis ictum
Eualuit, nec eum iuuere in vulnera cantus.

Innumerabilia huius rei testimonia extant apud Poetas de ueneficis, ac magis, quæ ut nota prætereo, reijciens ad Ouidium de Circe & alijs, Lucanum de Erichthone, Tibullum, Propertium, Horatium, & omnes denique Poetas, quæ licet fabulosa, duxere tamen initium à rei ueritate. Incidi nuper in Aetij locum pulcherrimum, ubi præcantationis Christianę exemplum proponit, imò duo ad spinas euellendas ex tonsillis, & aspera arteria, προσέχων τῷ πάσχοντι ἀνθρώπῳ ἀντικρὺς καθεζομένῳ, καὶ ποιήσας αὐτὸν προσέχειν σοι, λέγε, ἄνελθε ὀστοῦν, εἴτε ὀστοῦν, ἢ κάρφος, ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, ὡς ἰησοῦς χριστὸς Λάζαρον ἀπὸ τάφου ἀνήγαγεν, καὶ Ἰωνᾶν ἐκ τοῦ κήτους. ἄλλο. λέγε κατέχων τὸν λάρυγγα τοῦ πάσχοντος, Βλάσιος ὁ μάρτυς ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ λέγει ἀνάβηθι, ὀστοῦν, ἢ κατάβηθι, quæ sic Latine sonant. Ad patientem hominem e regione te conuertens desidentis, & iubens illum tibi attendere dic, exi os, siue os es, siue stipula,,

siue

siue quid aliud quodcumque, ut Iesus Christus Lazarum à sepulcro eduxit, & Ionã ex ceto. Aliud dic apprehenso patiẽtis gutture, Blasius Martyr seruus Dei dicit, ascẽde os; aut descende. sic Cardanus de subtilitate lib. 17. ubi de præcantationib. agit, recitat sibi ipsi sanguinẽ Christiana pręcantatione compressum. Eius hęc sunt uerba, sic mihi contigit, ut aliquando, cum hęc scriberem, pręciso labio sanguis nulla arte posset cohiberi, tum maxime, quia comedebam, salem imposueram, perstrinxeram, nihil proficiebat, præcantatione usus sum illa, quę à passione Domini sumpta est, & illico me admirante cessauit, neque loquente, nec comedente apparuit sanguis, etsi locus egregie tum doleret, & vulnus appareret, miraberis, nescio ego an fides, an verba profuerint. Verba non dedignabor subijcere: hæc sunt: sanguis mane in te, sicut fecit Christus in se; sanguis mane in tua vena, sicut Christus in sua pœna, sanguis mane fixus, sicut Christus, quando fuit crucifixus. ter repete, alia multa apud hunc, & alios legere, & videre est, Theodoretus, qui fuit episcopus Corcyrensis de spina extrahenda aliam ponit incantationem. Ioannes Andreas à Cruce lib. 1. tra. 2. c. 27. varios ponit modos ab empiricis vsurpatos medendi uulneribus capitis, orationibus, & aqua; auctor libelli de incantatione, qui Gal. ascribitur asserit in libris Indorum frequentem fuisse incantationis mentionem, & Medicos Indos existimasse incantationem, & adiurationem prodesse per se, & (vt dicitur) immediate, græcos vero per accidens auxiliari, nempe ratione spei conceptæ, ac imaginationis, quare ait. Plato inquit, quando mens humana rem amat aliquam, licet naturaliter non iuuatiuam, sibi eam prodesse certificat, ex sola autem mentis intentione corpus res illa iuuat, verbi gratia, si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscumque sit, eum tamen iuuat, quæ tamen medendi ratio nunc merito damnata est ab ecclesia. Quòd vero huiusmodi præstigia, & incantationes in hac peste adhiberent testatur Plutarchus in Pericle, quem dicit, ex Theophrasti testimonio pestilentia laborantẽ amico ostendisse, appensas à mulieribus incantationes. *ἱσόρηκεν ὅτι νοσῶν Περικλῆς ἐπισκοπουμένῳ τινὶ τῶν φίλων δείξειε περίαπτον ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον, ὡς σφόδρα κακῶς ἔχων ὁπότε, καὶ ταύ-*

Præcantationũ formulę apud Medicos inuentæ.

την ἐπομένει τὴν ἀβελτηρίαν, ideſt, ſcriptum reliquit (Theophraſtus) quòd morbo correptus Pericles inuiſenti cuidam amico oſtendit amuletum à mulieribus collo appenſum, male quidem vehemẽter affectus, qui huiuſmodi ineptias ſibi fieri pateretur; eadem enim erat profeſſio incãtantium uoce, & appendentium incantationes, & amuleta, qua in arte celebris fuit quidam Iachen Aegyptius, qui ſub Senye Aegyptiorum rege floruit, de quo Suidas ita teſtatur περι άπτων, καὶ ἐπαοιδῶν ἀντίπαλα, ideſt, vir appendens, & incantans remedia, quem etiam multas peſtilentias ſanaſſe teſtat̃ his artibus ὃς λοιμῶν ἐπιδημίας ἔσβεσεν, ideſt, qui peſtilentiarũ epidemias extinxit. His vero duabus artibus adhiberi ſolitis ad depellendos morbos ab antiquis, quas nobis propoſuit Scholiaſtes tertiã nos addere poſſumus ex Plutarcho, nẽpe Muſicam, qua varios tum animi tum corporis morbos ſanatos conſtat, ſed potiſſimum etiam peſtem, quod & hiſtoria, & Homeri probat auctoritate ita enim in libro de Muſica. Θάλητα τὸν κρῆτα φασὶ κατά τι πυθόχρησον λακεδαιμονίους παραγενόμενον διὰ μουσικῆς ἰάσασθαι, ἀπαλλάξαι τε τοῦ κατασχόντος λοιμοῦ τὴν σπάρτην, καθάπερ φησὶ πρατίνας. ἀλλὰ γὰρ καὶ ὅμηρος τὸν κατασχόντα λοιμὸν τοὺς ἕλληνας παύσασθαι λέγει διὰ μουσικῆς. ἔφη γάρ,

Muſica adhibita ad ſanandam peſtem.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι Ἀχαιῶν,
Μέλποντες ἑκάεργον. ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων. ideſt,

Thaletem Cretenſem ferunt, ex quodam Pythij oraculo à Lacedemonijs accerſitum Muſica ſanaſſe, & liberaſſe ab ingruente peſte Spartam, vt ait Pratinas, verum & Homerus ſequientem peſtem abegiſſe dicit Muſica, ait enim:

Atque die tota placabant numina cantu
Formoſum pæana canens argiua iuuentus,
Laudibus attollens phœbum, qui mente triumphat,
His procul auditis. ——————

Vbi etiam Euſtathius rẽ cõprobat dicens cantatũ tunc pæana ad depellendam peſtem, ita enim inquit. ἐστὶ δὲ παιὼν ὕμνος τις φασιν εἰς ἀπόλλωνα, οὐ μόνον ἐπὶ παύσει λοιμοῦ, ὡς ἄρτι ᾀσόμενος, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ παύσει πολέμου ὡς ἐν τοῖς ὕστερον φανήσεται παρ' αὐτῷ ποιητῇ. ideſt, pæan eſt hymnus quidam (ut aiunt) in Apollinem non ſolum ad ceſſationem peſtis, ut nunc, cantan-

tantus, sed etiam ad cessationem belli imponendã, ut in sequentibus constabit apud ipsum Poetam.

ὅσατε πρὸς ἱεροῖς, Et quæcumque in templis.] Humanis præsidijs destituti homines ad diuina animum sæpe conuertunt, quare hæc duo cõmemorat Thucydides, nẽpe supplicationes, siue sacrificia in tẽplis facta, & consulta oracula. vtrũque genus adhiberi solitum à ueteribus & si tam est clarũ, & exploratum, ut actum videatur agere, qui id probare nitatur, pauca tamen dicenda, & in pestilentia potissimum id factitatum præsertim cum eius esse causam θεομηνίαν, suspicarentur, declarat vel Homeri exemplum, qui inducit Achillẽ medicum de Hecatombe, & supplicatione Apollini placando adhibenda. sic apud Liuium legimus vbique in pestilentijs dijs supplicatum, & sacra facta, vt Dec. primę libro 5. vbi ait, cuius insanabili pernitie, quando nec causa, nec finis inueniebatur, libri sybillini ex S. C. aditi sunt, duumviri sacris faciundis lectisternio tum primum in Vrbe Romana facto per dies octo Apollinem, Latonamq; & Dianam, Herculẽ, Mercurium, atque Neptunum tribus quam amplissime tũ apparari poterat stratis lectis, placauere. priuatim quoq; id sacrũ celebratũ est. De peste anni 570. lib. 10. C. Seruilius Pontifex piacula irę Deùm conquirere iussus; Decemuiri libros inspicere, Consul Apollini, Aesculapio, Saluti dona uouere, & dare signa inaurata, quę uouit, deditq; Decemuiri supplicationem in biduum ualetudinis causa in Vrbe, & per omnia fora, conciliabulaq; edixerunt, maiores duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes supplicauerunt: nulla ferè est pestis descriptio apud hunc scriptorem, cui non sit addita etiam aliqua expiatio, uel sacris factis, uel ludis institutis, uel clauo fixo, uel uotis nuncupatis, & similibus. Dionysius quoque Halycarnassæus frequenter meminit, vt lib. 10. de magna illa peste, ita ait. ὅσον μὲν οὖν χρόνον τοῖς πολλοῖς ἐλπίδος τι ὑπῆν κ' ἀκ τοῦ θεοῦ σφισιν ἐπικουρήσαντος ἅπαντες ἐπί τε θυσίας, καὶ καθαρμοὺς ἐτράποντο, καὶ πολλὰ ἐκαινουργήθη ῥωμαίοις οὐκ ὄντα ἐν ἔθει περὶ τὰς τιμὰς τῶν θεῶν ἐπιδεύματα οὐκ ἐκπρεπῆ. idest, Quamdiu igitur multitudini spes aliqua supererat de Deo ipsis auxilium laturo, omnes ad sacrificia, & expiationes animum uertebãt, & multa sunt Romanis innouata, quæ non erant in more posita ad honoran-

Duo psugia diuina in pestilentijs supplicationes, siue sacra, & oraculum.

Sacra, & supplicationes adhibitę causa pestis.

dos deos instituta non congruentia. In nostrorum vero, hoc est Christianorũ Historijs, si eas percurramus, reperiemus omnes fere magnas pestilentias, nisi supplicationibus, & sacris peractis, ac uotis nuncupatis, peccatorumque facta expiatione cessasse, sic in lege veteri cessauit illa repentina Dauidis peccato immissa pestilentia, qua septuaginta millia hominum paucis horis consumpta, quia Dauid suorum pernitie consternatus saccum induit, ieiuniũ egit, multis lachrymis, & humi sedens veniam est à Deo precatus, eamque demum impetrauit, sic in noua lege, ac testamento factum, vt in peste illa à partu virginis 533. in qua Romæ visus Angelus veru manu tenens, quo quot alicuius fores ictibus verberabat, tot efferebantur ex illa domo defuncti, quæ cessauit erecto altari D. Sebastiano in ecclesia D. Petri ad uincula: ex reuelatione cuidam viro facta, quã rem recitat Paulus Diaconus lib. 6. sic anno 590. in Pelagiana peste Inguinaria dicta, cuius tantum fuit uenenum, vt qui oscitasset, vel sternutasset, repente concideret, vnde mos ille inuectus inter christianos, ut oscitantes signent se crucis Symbolo, & sternutantibus dicant assidentes, aue, vel Deus tibi pręsto sit. cessauit enim Gregorij magni, qui Pelagio iam mortuo successerat, orationibus, & precibus, qui etiam uidit Angelum ensem respersum sanguine abstergentem, & uagina recondentem, ac illam ad Virginem mox cantilenam concinentem audiuit, Regina cœli lætare, alleluia, quia quem meruisti portare, alleluia, resurrexit sicut dixit, alleluia, cui addidit subdens statim Gregorius, ora pro nobis Deum, alleluia. vt auctor est Platina in horum Pontificum vitis, sic nostra memoria in hac ipsa Vrbe sæuissima pestis cessauit Deo Opt. Max. Redemptori nuncupato Templi voto, ac persoluto.

Oracula in pestitẽtijs consulta.

Μαντέοις, Oraculis.] Apud veteres in pestilentijs hanc fuisse consuetudinẽ, & morem, vt ad Deos, & oracula confugerent, & ea de curatione consulerent, testatur vel ipse Galenus in Epid. vbi dicit: *Τοὺς λοιμοὺς δὲ πάντες καλοῦσί τε, καὶ γινώσκουσιν ὄντας ὀλέθρια νοσήματα, καὶ πέμπουσι δὲ πολλάκις εἰς θεοὺς περὶ ἰάσεως*, ideſt, Pestes verò omnes homines vocant, & norunt esse pernitiosos morbos, & mittũt sæpe qui Deos consulant de curatione. Idem testari videntur verba illa Porphyrij, quæ referuntur à Pamphilo Eusebio in 5. Eccles. pręparat

parat. aduersùs ipsum scripta, in quibus dicit propter honorem Christo præstitum cessasse oracula, & morbũ pestilentem diutius occupare Vrbem Aesculapij absentia: Νυνὶ δὲ θαυμάζουσι εἰ τοσούτων ἐτῶν κατείληφε τὴν πόλιν ἡ νόσος, ἀσκληπιοῦ μὲν ἐπιδημίας, καὶ τῶν θεῶν ἄλλων μηκέτι οὔσης. ἰησοῦ γὰρ τιμωμένου οὐδεμιᾶς τις θεῶν δημοσίας ὠφελείας ᾔσθετο, ideſt, Nunc verò admirantur, si tot annos comprehendit Vrbem morbus Aesculapij præsentia, & aliorum Deorum non amplius fauente. Postquam enim Iesus coli cœptus est, nemo vllius publici Deorum auxilij cõmoditatem expertus est. Sophocles in Tyranno, cùm peste laboraret Thebana ciuitas dicit misisse Oedipum, qui de remedio sciscitaretur ab oraculo, Creontem:

Ex Poetarum testimonio.

ἣν δ' εὖ σκοπῶν εὕρισκον ἴασιν μόνην,
Ταύτην ἔπραξα. παῖδα γὰρ Μενοικέως
Κρέονθ' ἐμαυτοῦ γαμβρὸν ἐς τὰ πυθικὰ
ἔπεμψα φοίβου δώματα, ὡς πύθοιθ' ὅτι
Δρῶν, ἤ τι φωνῶν τήνδε ῥυσαίμην πόλιν. ideſt,
Vnum, quod inueni bene meditans diu,
Remedium adhibui, nam Menœcij ipsum filium,
Qui idem mihi gener, Creontem ad Apollinis
Pythicas domos misi, vt roget supplex Deum,
Quid agens, loquensve Vrbem hanc ab hac peste redimam.

Et ante etiam sub persona Sacerdotis:

ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι
ἀλκήν τιν' εὑρεῖν ἡμῖν, εἴτε τοῦ θεοῦ
φήμην ἀκούσας, εἴτ' ἀπ' ἀνδρὸς οἶσθά που. ideſt,
Rogamus vniuersi, & omnes supplices,
Nobis vt inuenias medelam aliquam, Dei
Oraculum, vel consulens aliquem virum.

Quem imitatus in sua Tragicomœdia Pastorali Baptista Guarinus Poeta nostri temporis insignis in Peste Arcadiæ consultum oraculum dicit:

Restò sol vna speme in tanti mali
Del soccorso del Ciel, & s'hebbe tosto
Al più vicino oracolo ricorso,
Da cui venne risposta, assai ben chiara,
Ma sopra modo horribile, e funesta.

Vergilius 3. Aeneadis de Peste Cretensi:

Rursus ad oraclum Ortygiæ, Phœbumq; remenso
Hortatur pater ire mari, veniamq; precari.
Quem fessis finem rebus ferat, vnde laborum
Tentare auxilium iubeat, quo vertere cursus.

Et Ouidius lib. 5. de Peste Romana, ob quam Aesculapius accersitus:

Dira lues quondam Latias vitiauerat auras,
Pallidaq; exangui squallebant corpora morbo
Funeribus fessi, postquam mortalia certum
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum,
Auxilium cæleste petunt, mediamq; tenentis
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi,
Vtq; salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæq; vrbis mala finiat, orant.
Et locus, & Laurus, & quas habet ipse pharetras
Intremuere simul, cortynaq; reddidit imo
Hanc adyto vocem, pauefactaq; corpora mouit,
Quod petis hinc propiore loco Romane petisses,
Et pete nunc propiore loco, nec Apolline vobis
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato,
Ite bonis auibus, prolemq; accersite nostram.

Ex Medicorum, & Historicorum fide.

Sed ne fortasse Poetarum vobis fides in dubium veniat, & fabulas putetis, Ad Medicos, & Historicos venio præter Galeni antedictum testimoniũ, Thessali Hippocratis filij oratio, quam legatus habuit pro Co patria ad Athenienses, testatur, vbi de Amphyctionũ exercitus peste ait, quod tandem θεῷ ἐπέτρεψαν, καὶ ἤροντο ὅτι χρὴ ποιεῖν, idest, Deo rem cõmisserunt, & quid faciendum sibi esset, sciscitati sunt. Illeq; respondit, vt Cerui filium in auxilium adducerent, ἐλάφου παῖδα. Qui mox inuentus est esse Nebrus Medicus Asclepiadis filius, qui exercitum à peste liberauit. Νεβρὸς enim dicitur hinnulus, & ceruulus, siue cerui pullus. Dionysius Halycarnassæus de Peste sub Tarquinio, quæ maxime vexauit grauidas, testatur lib. 4. consultũ oraculum. Τῷ Δελφικῷ μαντείῳ χρησάμενος ἀπέστελλε τῶν παίδων τοὺς δύο ἄρροντα, καὶ τίτον ὑπὲρ τοῦ λοιμοῦ, idest, ad oraculum Delphicum sciscitatum de Peste misit duos filios Aruntem, & Titum, & paucis interiectis verbis τὴν τε αἰτίαν γνῶναι παρὰ θεοῦ, καὶ τὴν λύσιν βουλόμενος, idest, Et causam morbi, & solutionem à Deo cupiẽs co-

cognoſcere. Pauſanias in Phocicis auctor eſt Cleonæos peſtilentia laborantes ab oraculo monitos, vt caprum Sole primum oriente immolarent, & lue ſedata, caprum etiam æneum Apollini Delphos miſiſſe, idem in Beoticis teſtatur Potnienſes ob interfectum Liberi patris Sacerdotē in ſuis temulentis ſacris peſtilentia laboraſſe, & Delphici Apollinis reſponſo iuſſos humanā victimam cædere, Plutarchus in parallelis narrat Lacedæmonios peſte vexatos oraculum conſuluiſſe, & redditum reſponſum mali vim ceſſaturam, ſi nobilem virginem quotannis immolaſſent, quod ſacrum dicebatur παρθενοκτονία, ideſt, Virginis mactatio, quæ ceſſauit in Helena enſe ab Aquila in iuuencæ depaſcentis collū delato, ubi recitat etiam ſimile exemplum in Romana Hiſtoria Valeriæ Lupercæ, quæ Phalerios depaſcente peſte, & ex oraculo iuſſis virginem mactare, iuuencam enſe ab Aquila deportato occidit. Idem recitat in lib. de Muſica ex oraculi reſponſo Thaletem accerſitum Spartam à peſte ſanaſſe Muſica. Suidas commemorat in vniuerſa totius orbis peſtilentia conſultum oraculum. Φασὶ δὲ ὅτι λοιμοῦ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην γεγονότος, ἀνεῖλεν ὁ Ἀπόλλων μαντευομένοις Ἕλλησί τε, καὶ Βαρβάροις τῶν Ἀθηναίων δῆμον ὑπὲρ πάντων εὐχὰς ποιήσασθαι, ideſt, Ferunt autem, quòd peſte per vniuerſum terrarum orbem graſſante, reſpondit Apollo ſciſcitantibus oraculum Græcis, & Barbaris, vt Athenienſis populus pro omnibus ſupplicaret. Aoniam Boeotiæ regionem montanā ferunt peſtilentia laborantem conſuluiſſe Apollinis Gortynij oraculū, qui præcepit, vt duos Eriunios Deos placarent, de qua ſupra facta eſt mentio. Stobæus in cap. de fortitudine teſtatur Lacedæmonijs peſte confectis datum oraculum, ſi duo ſe Regi Xerxi mactandos pro patria offerrent, iri liberatum: de quo ſupra. Sic tradunt Athenienſes ipſos cum peſte laborarent ob interfectam Vrſam cicurem, quæ per regionem vagabatur; quam ob interemptam ſororem, quæ illam irritauerat, duo fratres occiderant, oraculum conſuluiſſe, quod reſpondit non ceſſaturā vim peſtilentiæ, niſi nonnullæ virgines cogerentur, τῆς τελευτησάσης ἄρκτου ἀρκτεύειν, ideſt, interemptæ Vrſæ in honorem Dianæ initiari. Neque vero ſolū in peſtilentijs mos fuit ad oracula confugere, ſed in omnibus periculoſis morbis. Pierius Valerianus in Hieroglyphi-

In omnibus magnis morbis conſulebantur oracula.

cis,

cis, lib. 22. testatur his verbis. Medicinam autem multifariã ab oraculis petere antiquorum mos fuit, & suis quoque tem poribus petitam memorat Plinius, declarãt id plures histo- riæ, vt Telephi, quem tradunt accepto lethali vulnere, cum medicamentis esse audisset insanabile, vnde abijt in prouer- bium, Τηλέφια τραύματα, idest, Telephia vulnera, quẽadmo- dum & Chironia, ad oraculum cõfugit, & oraculum ὁ χρησ- μὸς respondit τὸ θρυλλούμενον, idest, vulgatum (inquit Eusta- thius) ὁ τρώσας ἰάσεται, idest, qui percussit, sanabit, & Argi- uæ Telesilæ exemplum, quam narrat Plutarchus, cum obno xia morbis esset, qui à medicis curari vix poterant, Deos, & oracula de valetudine recuperanda consuluisse, & illi reddi- tum responsum; ita demum sanitati iri restitutum, si Mu- sas, & Poeticen coleret. Apud Medicos etiam non desunt testimonia remediorum adhibitorum in morbis oraculo- rũ admonitu. Alexander Trallianus lib. 1. cap. de Epilepsia, scribit, Democrati Atheniensi Epileptico ex oraculo sciscí- tanti remedium, Pythiam proposuisse vermem caprinum. Oraculum extat apud auctorem versibus editũ: & extant adhuc tabellæ complures repertæ in templo Aesculapij vs- que ad tempora Imperatoris Antonini, quæ recitant reme- dia ab oraculo ægris proposita, quibus sanitati restituti ta- bellas dedicarunt, quarũ multas collegit Hieronymus Mer- curialis in sua Gymnastica, & eas mox congessit dissimula- to nomine primi auctoris alter Hieronymus Brasauola in suum Commentarium 1. Aphor. Hippocratis: neque verò solum ex oraculis constat petita remedia, & ab Aesculapio tantum; sed priuatim etiã cæteris Dijs vota nuncupata pro valetudine recuperanda, testatur Tibulli locus, de Iside:

Remedia apud me dicos ora- culorum monitu in uenta:

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Μαντείοις, Oraculis.] Non temere oraculorum fecit men tionem Thucydides, quia constat in hac pestilentia consul- ta oracula, & etiam ex eorum admonitu quædam adhibita remedia, nempe de expianda Delo insula: quam rem ita re- citat in mentione huius pestis Diodorus Siculus Bibliothe- cæ, lib. 12. vbi de hac agit pestilentia: sub finem enim narra- tionis addit, οἱ δὲ ἀθηναῖοι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου τὰς αἰτίας τῆς συμφορᾶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνέπεμπον, διὸ καὶ κατά τινα χρησμὸν ἐκά- θηραν

In Athe- niensi pe- ste ex ora culo ex- piata De- lus insula.

θηραν τὴν νῆσον Δῆλον ἀπόλλωνος μὲν οὖσαν ἱερὰν, δοκοῦσαν δὲ μεμιάνθαι διὰ τὸ τοὺς τετελευτηκότας ἐν αὐτῇ τεθάφθαι. ἀνασκάψαντες οὖν ἁπάσας ἐν τῇ Δήλῳ θήκας μετήνεγκαν εἰς τὴν ῥήνειαν καλουμένην νῆσον πλησίον ὑπάρχουσαν τῆς Δήλου, ἔταξαν δὲ καὶ νόμον, μήτε τίκτειν, ἐν τῇ Δήλῳ, μήτε θάπτειν. ἐποίησαν δὲ καὶ πανήγυριν τὴν τῶν Δηλίων, γεγενημένην μὲν πρότερον, διαλιποῦσαν δὲ πολὺν χρόνον, ideſt, Athenienſes verò propter morbi vim nimis ſeſe efferentem cauſa calamitatis ſciſcitatum ad Deos miſerunt: quare & ob quoddã oraculi reſponſum expurgarunt inſulam Delum, quę erat quidem Apollini ſacra: videbatur verò polluta, ex eo, ꝙ mortui in ipſa eſſent ſepulchro mandati. Effoſis igitur omnibus in Delo ſepulchris tranſtulerũt in Rheniam dictam inſulam prope ſitam ipſi Delo. Conſtituerunt prӕterea legem neque pariendi in Delo, neque ſepeliendi. Inſtituerunt etiam conuentũ, & nundinas Deliorum, quæ quidem antea fuerant, ſed multo iam tempore fieri deſierant. Mentionem facit huius expiationis Deli in 3.lib. Thucydides: neque tamen addit, cur facta fuerit: quare cùm nullam fecerit huius in hac peſte mentionem, in dubium poſſet reuocari fides Hiſtoriæ Diodori: ſed dicendum factam hanc expiationem, poſtquam ceſſauerat ipſa peſtis, monitum, ſiue iuſſum oraculi tunc demum perficientibus, quòd vrgente peſte non potuiſſent; decreto tamen publico faciendũ ſanxiſſent, & factam, niſi tertio anno, cùm reuerſa eſt peſtis: nam ſecundo anno belli Peloponneſiaci cępit, per biennium ſæuijt, quarto anno belli ceſſauit; quinto rurſus, qui fuit tertius ipſius peſtis, reuerſa eſt, & ſexto anno Delus expiata. Audite verò ipſum Thucydidem de hac expiatione confirmantem omnia, quæ dicuntur à Diodoro: τοῦ δ᾽ αὐτοῦ χειμῶνος, καὶ Δῆλον ἐκάθηραν ἀθηναῖοι κατὰ χρησμὸν δή τινα, ἐκάθηρε μὲν γὰρ καὶ Πεισίστρατος ὁ Τύραννος πρότερον αὐτὴν οὐχ ἅπασαν, ἀλλ᾽ ὅσον ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐφεωρᾶτο τῆς νήσου. τότε δὲ πᾶσα ἐκαθάρθη, τοιῷδε τρόπῳ. θῆκαι ὅσαι ἦσαν τῶν τεθνεώτων, ἐν Δήλῳ πάσας ἀνεῖλον, καὶ τὸ λοιπὸν προεῖπον μήτε ἐναποθνήσκειν, ἐν τῇ νήσῳ, μήτε ἐντίκτειν, ἀλλ᾽ εἰς τὴν ῥήνειαν διακομίζεσθαι. ἀπέχει δὲ ἡ ῥήνεια τῆς Δήλου οὕτως ὀλίγον, ὥστε Πολυκράτης ὁ Σαμίων Τύραννος ἰσχύσας τινὰ χρόνον ναυτικῷ, καὶ τῶν τε ἄλλων νήσων ἄρξας, καὶ τὴν ῥήνειαν ἑλὼν ἀνέθηκε τῷ ἀπόλλωνι δηλίῳ ἁλύσει δήσας πρὸς τὴν Δῆλον, καὶ τὴν πεντετηρίδα τότε πρῶτον μετὰ τὴν κάθαρσιν ἐποίησαν

Delus inſula expiata monitu Oraculi ĩ peſtilētia Athenieſi

Diodori Hiſtoria conciliata cũ Thucydide.

οἱ ἀθηναῖοι τὰ δήλια, &c. ideſt, Eadem hyeme Delum expia-
uere Athenienſes ex oraculo quodam. Piſiſtratus enim Ty-
rannus, & ipſe prius eam expiauerat, ſed non omnem, ſed
quantum à templo proſpectus inſulæ patebat: tunc verò to-
ta expiata eſt, hoc pacto. Quæcumque defunctorum in Delo
extitere monumenta, omnia ſuſtulerunt, & in poſterũ edi-
xerunt, ne quiſquam aut moreretur, aut naſceretur in ea
inſula, ſed in Rheniam transportarentur: abeſt autem Rhe-
nia à Delo tam parum, vt Polycrates Samiorum Tyrannus,
cùm aliquando claſſe polleret, & alias inſulas Imperio pre-
meret captam Rheniam cõſecraret Apollini Delio catena
annectens ipſi Delo, & penteridem, ſeu quinquennale feſtũ
tunc primum poſt expiationem fecerunt Athenienſes dictũ
vulgo Delia, &c.

ἀνωφελῆ ἦν, Inutilia erant.] Sic Dionyſius de Peſte Ro-
mana, lib. 9. καὶ οὔτε λιτανεῖαι πρὸς ἕδεσιν ἢ βωμοῖς γινόμεναι θεῶν,
οὔτε καθαρτήριοι θυσίαι περί τε πόλεος, καὶ οἴκων ἰδίων ἐπιτελού-
μεναι παῦλαν αὐταῖς ἔφερον τῶν κακῶν, ideſt, Neque ſupplica-
tiones ad puluinaria, & altaria factæ Deorum, neque expia-
toria ſacra, & pro ciuitate, & pro priuatis domibus obita re-
quietem à malis afferebant. Et in eodem lib. de alia peſte,
οὔτε λιτανεῖαι θεῶν, καὶ θυσίαι, καὶ ἐφ' οἷς ἄνθρωποι τελευταῖον ἐν
ταῖς τοίαισδε ἀναγκάζονται καταφεύγειν συμφοραῖς οἱ κατὰ ἄνδρά
τε γινόμενοι, καὶ ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ καθαρμοὶ τότε οὐ προσωφέλουν,
ideſt, Neque ſupplicationes Deorum, & ſacrificia, aut eæ, ad
quas confugere poſtremo coguntur in huiuſmodi calamita-
tibus homines, & viritim, & publicè factæ expiationes tunc
proderant, & lib. 10. idem narrat.

Τελευτῶντες δὲ αὐτῶν ἀπέστησαν, Ab ipſorum demum vſu
receſſerunt.] Laurentius Valla vertit, cùm morerentur, re-
liquerunt, ſed quãuis τελευτᾶν metaphoricè ſignificat mo-
ri, quia mors omnium actionũ finis: abſurda tamen nimis,
nec Thucydide digna ſententia, quòd ea homines, cùm mo-
rerentur, reliquerunt, nempe præſidia tam humana, quàm
diuina, vt rectè Græcus Scholiaſtes notat, Τῶν θείων, καὶ ἀνθρω-
πίνων. Nam quis neſcit omnibus præſidijs nuncium remit-
tere morientes? Melius ergo dicendum, quòd cùm omnia
tentaſſent, & humana, diuinaq; præſidia eſsent experti, tan-
dem ſatietate rerum, quæ nihil prodeſsent defatigatos, ab
omnium

omnium vſu receſſiſse, ac deſtitiſse; ut ſit poſitum uerbi participium τελευτῶντες, ideſt, finientes, pro aduerbio τελευταῖον, demũ, poſtremo, in fine. Quo aduerbio, vt audiſtis, vtitur Halycarnaſſæus, qui multa ex Thucydidijs verbis adhibet paululum inflexa, & mutata, vt pro eo, quod dixit ἀνωφελῆ ἦν inutilia erant, ipſe dixit οὐ προσωφέλουν, non proderant. Et infra vſus etiam verbo ipſo Thucydidis ἀπέστησαν, receſſerunt: id verò, quod diximus de participio pro aduerbio poſito, in hoc verbo potiſſimum, & frequenter ſolet euenire, & vſurpari à Græcis Scriptoribus in omnibus caſibus, & generibus, vt eſt à Grammaticis animaduerſum. Iſocrates in Euagora dixit, τελευτῶν δὲ οὕτως ἐνέπλησεν αὐτοὺς τοῦ πολεμεῖν, ideſt, finiens, hoc eſt tandem ita ſatiauit eos præliandi cupiditate, Plato ſæpe vtitur, vt primo de Repub. τελευτῶν δὲ συνεχώρησεν, ideſt, finiens, hoc eſt tandem conceſſit. Ipſe verò Thucydides frequentiſſime vtitur, vt infra in hac ipſa peſtis deſcriptione in hoc ipſo caſu, τελευτῶντες ἐξέκαμνον, &c.

Αὐτῶν ἀπέστησαν, Ab eorum vſu receſſerunt.] Eodem verbo vſus Halycarnaſſæus lib. 10. in deſcriptione peſtis, vbi eandem etiam ſententiam accepit, & quodammodo more ſuo amplificauit, ἐπεὶ δὲ οὐδεμίαν αὐτῶν ἐπιστροφὴν ἔγνωσαν ἐκ τοῦ δαιμονίου γινομένην, οὐδὲ ἔλεον, καὶ τῆς περὶ τὰ θεῖα λειτουργίας ἀπέστησαν, ideſt, poſtquam verò nullam malorum conuerſionẽ fieri animaduerterunt Deorum beneficio, neque eos miſericordia commoueri, etiam à diuinarum rerum cultu receſſerunt.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον ὡς λέγεται ἐξ αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ αἰγύπτου, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς αἴγυπτον, καὶ λιβύην κατέβη, καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν, ἐς δὲ τὴν ἀθηναίων πόλιν ἐξαπινέως ἐνέπεσε.

THVCYDIDES.

INcepit autem primum, vt fertur, ab Aethiopia, quæ est super Aegyptum: deinde in Aegyptū, Libyamq́; descendit, & in Regis regionem plurimam, in Atheniensium porrò vrbem de repente incidit.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

EXPLICATO principio temporis, quo Atheniẽses inuasit insignis ista pestis, & magnitudine per comparationem aliarum pestilentiarum declarata, ad originẽ causæ aggreditur demonstrandam: sed quia hic agit Historicum, nõ Philosophum; non apertè, & ex professo id facit, sed obiter, & dissimulanter, quasi præteriens: originem enim primam traxisse dicit ex Aethiopia, innuens quodammodo proseminatã, & propagatam ex aeris sensim facta corruptela, & mox latè diffusa, vsquequo Athenas perueniret, in quo etiam fortasse ventorum causa, & opera factum est, vt citius, atque promptius propagaretur, inquinamenta pestis procul illis ex Aethiopia deferentibus, vt Galenus videtur sensisse, & interpretari, idq; se non ex sua pronunciare sententia ostendit; sed aliorum tantũ dicta recitare, dicens, ὡς λέγεται, vt dicitur, quod est Historici munus, qui non philosophari debet in indagandis rerum causis, sed facta tantum, & dicta aliorum recensere, & commemorare. Progressum verò etiam pestis ab Aethiopia, & iter quodammodo persequitur: quo facto Athenas peruenit, cùm scilicet procul abesset: neque enim fuisset rationi consentaneũ, aut veritati, neque proinde credibile, ac fide dignũ, quòd tam longo spacio ab Aethiopia Athenas esset profecta, intactis relictis regionibus in medio utriusque collocatis: & ideo ab Aethiopia in Aegyptum, quæ

illi

illi contigua, & finitima declinasse, ab Aegypto in Libyam, à Libya in Persidem, & à Perside tandem repente Athenas incidisse commemorat.

ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, Incœpit autem primum.] Demetrius Phalerius in suo libello περὶ ἑρμηνείας, idest, de elocutione. Citat hunc locum Thucydidis pro exemplo compositionis magnificæ, μεγαλοπρεποῦς, qua maxime excellere ipsum Thucydidem asserit: cum enim conficiatur ex tribus potissimum διανοίᾳ, λέξει, συνθέσει, sententia, dictione, compositione; tamen hac postrema ita excellere dicit Thucydidem, vt vel ex ea magnificus iudicetur. Δῆλον δὲ τοῦτο ἐν τοῖς Θουκυδίδου· σχεδὸν γὰρ ὅλως τὸ μεγαλοπρεπὲς ἐν πᾶσιν αὐτῷ ποιεῖ ἡ τοῦ ῥυθμοῦ μακρότης, καὶ κινδυνεύει τῷ ἀνδρὶ τούτῳ παντοδαποῦ ὄντος τοῦ μεγαλοπρεποῦς αὐτὴ ἡ σύνθεσις μόνη ἢ καὶ μάλιστα περιποιεῖν τὸ μέγιστον, idest, manifestum verò hoc in scriptis Thucydidis, ferè enim prorsus magnificum in omnibus ipsi facit numeri longitudo, & affirmari propè potest, quòd cùm huic viro vndequaque insit magnificum quiddam, vel sola compositio, vel hæc præter cætera gignit, quod maximum in illo est. Disputans verò de hac magnifica compositione ex Aristotelis sententia dicit eam esse maximè pœonicam. Σύνθεσις δὲ μεγαλοπρεπής, ὥς φασιν Ἀριστοτέλης, ἡ παιωνική. Compositio verò magnifica, vt ait Aristoteles, est pœonica: cùm verò duo sint genera pœonis, alterum principijs orationis accommodatum, quod vocat ipse προκαταρκτικόν, cuius initium est syllaba longa; tres verò breues terminant: alterum clausulis accomodatum, quod uocat καταληκτικόν, quod est superiori oppositum, cuius initium sunt tres breues: terminat uerò longa: prioris exempla Cicero in 3. de Orat. locum illum exprimens Aristotelis, hæc dicit esse, desinite, incipite, comprimite, posterioris uerò domuerunt, sonipedes. Demetrius prioris exemplum ponit hoc ἤρξατο δὲ, posterioris τὰ ἀράβια, ubi Petrus Victorius uir eruditissimus in illo uerbo suspicatur cantus quosdam ipsum intelligere, in quibus hic pes frequens esset, quia scilicet ille non esse accommodatũ fortasse exemplum putauit, quòd diphthongus suapte natura sit longa, sed qui in Græcorum Poetarum lectione uersati sunt, norunt apud Grecos, sequente uocali esse breuem, quare exemplum est pœonis posterioris accommodatum:

nam

nam quòd attinet ad vltimam ſyllabam, ea eſt ad placitum, ſiue velis lõgam, ſiue breuem efficere, cum nihil aliud ſubſequitur, & mox addit ipſe Demetrius docens, quõ fiat magnifica compoſitio adhibitis his pęonibus primo in principio periodi, & altero ſubſequente, & mox etiam clauſulam terminant, multis interiectis, & citans pro exẽplo hunc locum Thucydidis. Δεῖ δὲ ἐν τοῖς κώλοις τοῦ μεγαλοπρεποῦς λόγου τὸν προκαταρκτικὸν μὲν παίωνα ἄρχειν τῶν κώλων, τὸν καταληκτικὸν δὲ ἕπεσθαι. παράδειγμα δ' αὐτῶν τὸ θουκιδίδειον τόδε. ἤρξατο δὲ τὸ κακὸν ἐξ αἰθιοπίας. i. oportet aũt in mẽbris magnificæ orationis procatarcticũ pæonẽ initium eſſe membrorũ, catalecticum uero ſubſequi: exemplũ horũ eſt hic Thucydidis locus ἤρξατο δὲ τὰ κακὸν ἐξ αἰθιοπίας, in quo duo ſunt animaduertenda. primum Petrum Victorium vertere illud ἕπεσθαι, quod ſequi ſignificat, in extremo poni, quod licet optime ſit accõmodatum rei ueritati, ita enim faciendum præcipit Ariſtoteles, ſed tamen, & uerbi proprior notio: & exempli allati ratio repugnant. nam in exemplo poſt primum pæonem ſubſequitur ſecundus: primus eſt, ἤρξατο δὲ ſecundus, τὸ κακὸν ἐξ. deinde rurſus alius primus pæon αἰθιοπίας, cum ſyllaba: alterum eſt, quòd hic locus non conſenit cum ea lectione, quæ habetur nunc in Thucydide, quare in dubium reuocat mihi, vtrum hæc fuerit apud Demetrium lectio Thucydidis, an uero ſit μνημονικὸν ἁμάρτημα, ideſt, memoriæ peccatum, quòd ſcilicet, cũ hæc ſcriberet, ut fit, non eſſet Thucydides ad manum, & memoria alterum, pro altero verbum ſuppoſuerit, quod magnis ſæpe uiris accidiſſe eſt animaduerſum, vt nos in quibuſdam noſtris, ſiue notis, ſiue ſcholijs, in tres de Orat. libr. Cicer. animaduertimus, nam primum ipſe Cicero frequentiſſime lapſus eſt, & hoc uitio laboraſſe conſtat etiam ex hiſtoria, nam ſcimus huiuſmodi multa errata in eius ſcriptis fuiſſe deprehenſa ab amicis, qui eum de hoc admonuerunt. vt libro 12. epiſtolarum ad Atti. conſtat, ubi pro Ariſtophane cum ſcripſiſſet alicubi Eupolidem ab Attico admonitus mutauit, ſic Aulus Gellius lib. 15. cap. 6. lapſum oſtendit hoc vitio Cic. qui quę eſſent ab Hectore pronuntiata, ab Aiace dixit eſſe prolata. in 1. lib. de gloria, ubi uerſus tres Homeri latinos fecit. Politianus quoque ſecutus (vt inquit ipſe A. Gellij libertatem) in miſcell.

Magni viri memoria lapſi.

Cicero.

cap.

cap. 54. errasse ostendit Ciceronem dum ea, quæ dicta sunt apud Hom. ab Vlysse, tamquã ab Agamemnone pronũtiata afferuntur ab illo in secundo de diuinatione. P. Victorius lib. Var. lect. 2. cap. 15. dicit errasse Ciceronem in 2. quæstione Tusculana, quòd dixerit Philoctetam vidisse Herculem gementem in Oeta monte, cum hoc temporũ ratione fieri nõ potuerit, sed is fuerit Pæan Philoctetæ pater, & lib. 3. capit. 3. demonstrat Ciceronem lib. 2 diuin. fecisse cuiusdam Homerici versus auctorẽ Aiacem, qui tamen ab Vlysse profertur, quorum duorum errorum Cic. meminit ẽt Paulus Mann. lib. de Sen. Principe. idem Victorius lib. 7. c. 9. suspicatur eodẽ pacto lapsum Ciceronem in referenda Historia de Iasone Phereo, cui inimicus vomicam aperuit, quam sanare Medici non potuerant, nam à græcis scriptoribus proditum scribit hunc fuisse Prometheum, nõ Iasonem. sic in lib. de Amicitia, pro Achille posuit Neoptolemum, dum ait. Nec enim Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lachrymis iter suum impedientẽ audire voluisset, nam ex Homero constat, Plinio, & alijs omnibus auctoribus Achillem hunc fuisse, non Neoptolemum. sic lapsus etiam in 7. Fam. epist. ad Volumnium, vbi ait, nisi cætera, quæ sunt à me in 2. ad orat. per Antonij personam disputata de ridiculis, nam non Antonius, sed Cæsar disputat de ridiculis, sed nõ solum Cicero, at multi alij lapsi. Aristoteles 2. de moribus ad Nicomachũ Calypsonis nomen pro Circes posuit, & in 2. de studio dicendi, Aegyptiorum regis nomẽ immutauit, vt notat P. Victorius Var. lect. lib. 3. cap. 3. sic lapsum quoque Plutarchum ibidem obseruauit in Nicia, vbi citans Aristophanis versum, sub persona Cleonis pronuntiatum dicit, cum tamen id pronuntiet Agoracritus. idem in eodem Plutarcho aliud memoriæ erratum exagitat Var. lect. lib. 10. capit. 3. vbi cum factum Gn. Domitij aduersus M. Scaurum inimicum referre vellet, in libello, vbi ostendit rationem, qua distinguatur adulator ab amico, historiam (inquit ipse) contaminauit, & personis immutatis rẽ contra ac euenerat, exponit, quod enim Domitius egit, id Scauro attribuit, & contra. refellit vero opin. Ciceronis auctoritate, & Pediani, qui concordes de hac re idem memoriæ prodiderũt, quòd. C. Domitius, cum M. Scaurum

Aristoteles.

Plutarch.

rum Principem Ciuitatis in Iudicium vocauisset, Scauriq; seruus ad eum clam venisset crimina in dominum delaturus, comprehendi hominem iussit, ad Scaurumque deduci. idem Victorius similem errorem memoriæ in Horatio notat.lib.3.c.9.de illo insano,qui se credebat miros audire Tragœdos, quem dicit fuisse Argis, cũ ex Aristotele Abydi fuisse constet. Budæus lib. 1. de asse Plinium hoc vitio laborasse demonstrat,& eum exagitat in multis. Polit.in miscell.cap.63. memoriola vacillasse Varronem, probat in versu Terentiano. scortatur,potat,olet vnguenta de meo,in quo verbum illud scortatur,dicit in nullis reperiri codicibus, sed obsonat vbique legi.Glareanus in 2.lib.annot.in Liuium bis lapsum eũ,aut ter demonstrat,quod prius Sabellicus ostẽderat,nempe,vbi ait. Ad duo bella exercitus scribitur, Fabio in Veientes, in Aequos Furio datur ducendus, vbi probat contra rem se habere,& mox addit; qd præter memoriꝫ lapsum possit excusare, si Liuius citatus adsit? habebit vt opinor nihil. Glareanus vero excusans Liuium, inquit, verum in Liuio hoc mirum videri non debet, si sæpe in tãta rerum gestarum mole, iam senex historiam texens memoria lapsus fuerit, sed mox rursum lapsum idem ostendit cum pro Veientibus posuerit Aequis. sic interpres Rodulphi Agric. libro 1. cap. 21. sæpius lapsum Agricolam probat. Paulus Mannuccius in commẽ. 5.epist.lib.4.Famil. errorem Pædiani arguit, qui dixerit Tulliam Cice. apud P. Lentulum virum ex partu decessisse,cum fuisset tunc nupta Dolabellæ, neque constet vsquã P. Lentulum fuisse inter Generos Ciceronis, sic etiam Galenum lapsum interdum animaduertimus, vt in hac ipsa peste Thucydidis,in cuius recitandis verbis, quædam paulo secus pronunciauit; vt videbimus, sed id vitium videtur fuisse potissimum Demetrij, vt paulo secus auctorum loca proferret, sed nihil tamen immutata sententia, sic in hoc ipso libro notat factum illius cõmentator P. Victorius, dũ verba Aristotelis de simplici periodo recitat, quod etiam Aristoteli frequenter contingere animaduertimus, qui, vt in nostris scholijs in tertium Rhet. Aristotelis, est annotatum, verba illa Platonis de canibus τοὺς λίθους δάκνει. paulo secus pronuntiat, quam fuerãt scripta à Platone, quod ẽt animaduertit P. Victorius, sic in exemplis ex Isocratis orationibus desumptis eodem li-

Horatius

Plinius.

Varro.

Liuius.

Rodulphus Agricola.

Pædianus

Galenus.

Aristoteles.

bro 3. paulo secus quædam pronuntiat, ac sunt apud Isocratem. Antonius Posseuinus in apparatu sacro sub littera B. quem librum nunc habeo præ manibus, vt tamquam Doctor publicus ad id munus designatus, videam, ne in eo libro imprimendo aliquid extet, quod non sit fidei catholicę, Principum dignitati, aut bonis moribus consentaneum, in verbo Basilius notauit Basilium lapsum memoria, his verbis; putatur S. Basilius (quod humanum est) memoria lapsus, cum Leontij successorem Hermogenem sedisse ait, cum patribus in Nicæno Concilio; & pręterea reijcit etiam ad Baronij testimoniũ, qui idem dicat libro tertio, sub anno 325.

Basilius.

ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον. Cœpit vero primum.] Ex hoc Thucydidis loco, & testimonio Antonius ab alto mari in libro de feb. pest. cap. 5. colligit pestem hanc Atheniensem ex contagio aeris ortam: ita enim inquit. Poterit etiam ipse aer per cõtagium primo infici, coinquinari, ac pestilens reddi, quemadmodum Thucydides, inquit, de ea pestilẽtia, quæ Athenienses inuasit, propterea quod ex Aethiopia per continuum quædam putredinis fluxere contagia, verum & experientia compertum est, non modo ventorum ui, aut alteratione pestilentię semina à remotissimis regionibus peruenire posse ad reliquas, uerum etiam ex peregrinis aduentantibus cum vestimentis, aut alijs quibusdam rebus pestilentẽ aerem inclusum afferentibus, quemadmodum etiam periculosa est conuersatio, cum pestilente morbo laborantibus, ne inde contagium contrahatur, vt inquit Galenus 1. de diff. feb. cap. 2. & Arist. probl. 4. sect. 7. sic quoque, & cum aeris tẽperatura à naturali habitu ad caliditatem, atque humiditatem immodice fuerit cõuersa, vt in his statibus, quos Hipp. scripsit 2. & 3. de morbis vulg. pestilentes quidem oriri morbos est necessarium, & mox paucis interiectis. Nam quamuis in vna Mundi regione possit pestilentia oriri, potest tamen per continuum nonnullis cõmunicari, ueluti ex æthiopia Thucydides, ait, propterea quod per continuum quædã putredinis fluxere contagia, Athenienses etiam inuasit, potest itaque per contagium in diuersas regiones pestilentia disseminari, tum medijs uentis quibusdam, tum etiam peregrinis per diuersas regiones vagantibus, aut quapiam alia simili

Ex aeris contagio ortam pestẽ Athen. iudicat Altimarus.

mili ratione, & mox cap. 6. Poteris & aliter etiam dicere, cũ eodem Galeno ibidem, quòd non ex immodica aeris ambiẽtis caliditate præcedente fuerit talis pestilentia orta solum, sed per contagium, nam inquit Thucydides forte per continuum ex æthiopia quędam putredinis fluxere contagia his, quorũ corpora erant ad patiendũ parata, febrium causæ futura, in quo obiter notandum subesse, vel errorem librarij, qui pro Galeno Thucydidis nomen posuerit, uel auctoris μνημονικὸν ἁμάρτημα idest, erratum memorie, in quod magni sæpe uiri (vt supra declaratum) inciderunt. nam ea verba non sunt à Thucydide, sed à Galeno pronuntiata, sic in hoc ipso libro capitulo primo, tribuit Thucydidi quæ pronuntiantur à Galeno, & quæ sunt Thucydidis, Galeno. ex quo loco facile in eam uenio suspitionem, ut putẽ errorem esse librarij seu descriptoris non auctoris, nam ita inquit. Videtur siquidem non recte, vt Galenus inquit citato loco communium morborum ortum in solum aerem conferre. Hipp. nam cum in fame quidam frumentum semiputre coacti essent manducare, in communem, communi de causa, morbum inciderunt, aliquando etiam cum vsus infecta aqua esset totus exercitus, similiter afflictos omnes milites fuisse, idque confirmabat Thucydidis auctoritate 2. historiarum volumine, quo loco scripsit quòd qui in Aeno, grassante fame, leguminibus vescerentur, cruribus debilitabantur, qui vero eruum essent, hos genuum dolor corripiebat: hęc postrema verba videntur afferri quasi 2. libro pronũciata à Thucydide, quod falsum est, nam sunt Galeni Thucydidis vero auctoritas est tantum de aquis infectis, quibus vsi athenienses in pestilentiam inciderunt, sed laborauit Altimarus hoc vitio, vt parum quædam animaduerteret, quare iure Mercurialis in sua praxi capit. de Bulimo, vbi illius refutat sententiam, ita de illo pronuntiat, Altimarus, qui sæpe res exacte non examinauit, & Galeni interdum scripta oscitanter legit.

Antonij Altomarij vitiũ.

ἐξ αἰθιοπίας. Ex Aethiopia] ꝙ ab Aethiopia pestis hæc inchoauerit, testantur etiam alij plerique auctores, Maximus Tyrius, or. 41. de Athenis verba faciens, qui inquit λοιμὸς ἐμπεσὼν ἐξ αἰθιοπίας ἀρξάμενος, καὶ καταβὰς διὰ τῆς βασιλέως γῆς, καὶ τελευτήσας ἐκεῖ, καὶ ἱδρυθεὶς αὐτόθι ἔφθειρε τὴν πόλιν. idest, pe

ſtis inuecta ex Aethiopia exoriens, & cum per Regis regionem deſcendiſſet, & ibi deſijſſet, ibidemque (athenis) conſediſſet, perdidit Ciuitatem, & decretum Athenienſium de coronando Hipp. ob depulſam peſtem inquit, λοιμοῦ ἰόντος ἀπὸ τῆς βαρβάρων ἐπὶ τὴν ἑλλάδα. ideſt, peſte à barbarorum regione in Græciam proficiſcente, & Theſſalus Hipp. filius in legatione ſua ad Athe. λοιμοῦ ῥέοντος διὰ τῆς βαρβάρου. i. fluente à barbarorum regionibus peſte: ſic T. Lucretius lib. 6. vbi pęnè ad verbum Thucydidiam hanc deſcribit peſtem, his verbis idem aſſerit.

Hæc ratio quondam Morborum, & mortifer æſtus
Finibus Cecropijs funeſtos reddidit agros,
Nam penitus veniens Aegypti è finibus ortus
Aera permenſus multum, camposq; natantes
Incubuit tandem populo Pandionis: omnes
Inde cateruatim morbo, mortiq; dabantur.

Vbi videtur innuere ab aere, & ventis delatam Athenas ex Aethiopia, cùm ante dixiſſet de cauſis peſtis verba faciens, inter quas ponit aerem alienum, & corruptum.

Nec refert vtrum nos in loca deueniamus
Nobis aduerſa, & cæli mutemus amictum,
An cælum nobis vltro natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non conſueuimus vti,
Quod nos aduentu poſſit tentare recenti.

Galenus vero dicit in eandem ſententiam. τάχα δὲ, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐξ αἰθιοπίας ἐῤῥύη σηπεδονώδη τινα μιάσματα τοῖς ἐπιτηδείως ἔχουσι σώματα βλαβῆναι πρὸς αὐτῶν αἴτια πυρετοῦ γενησόμενα, ideſt, forte vero, & per continuũ ex Aethiopia fluxere quædam putredinoſa contagia, his, quorum corpora ad ſuſcipiendum damnum parata, febrium cauſæ futura, à qua opinione verba etiam Maximi Tyrij non videntur abhorrere, quam rem Haly abbas etiam confirmat. 5. Theor. cap. 11. vbi dicit ex cadauerum vaporibus oriri peſtem, rem probans hoc exemplo, quemadmodum mortes, quæ Athenienſibus populis ex putridis contigerunt vaporibus, qui ad eos peruenerunt ex mortuis, qui in terra erant Aethiopiæ, cuius ſententię, videtur etiam fuiſſe Democritus, qui ex mũdis extra corruptis in noſtrum fluere ſeminaria peſtis, aliorumq; morborum exiſtimauit, vt in Sympoſ. 8. cap. 9. aſſerit

Plu-

Plutarchus, qui ita ſcribit; καὶ τοι τούσγε Δημοκριτείους ἴσμεν; καὶ λέγοντας, καὶ γράφοντας ὅτι, καὶ κόσμων ἐκτὸς φθαρέντων, καὶ σωμάτων ἀλλοφύλων ἐκ τῆ ἀποῤῥοίας ἐπιῤῥεόντων τῶν ἐνταῦθα πολλάκις ἀρχαὶ παρεμπίπτουσι λοιμῶν, καὶ παθῶν οὐ συνήθων. ideſt, Democriticos ſi quidem nouimus hoc dictitare ſolitos, & ſcribere, quòd mundis extra corruptis, & corpuſculis alienigenis ex defluxione hac perlatis, ſæpe principia ſimul intercidunt peſtium, & paſſionum inſolitarum. Ammianus Marcellinus lib. Hiſto. 19. citat locum hunc Thucydidis, & ait, vt Thucydides exponit, clades illa, quæ in Peloponneſiaci belli principijs Athenieſes acerbo genere morbi vexauit ab vſq; feruenti Aethiopiæ plaga paulatim proſerpens Atticam occupauit, & Petrus Iacobus Zouellus Medicus Carmagnolenſis, dicit in libello de peſte capit. 2. potuiſſe delata eſſe putrida inquinamenta peſtis ab Aethiopia in Atticam regionem per Nilum, quod videtur rationi conſentaneum. Quòd vero venti etiam deferre peſtilentiæ poſſint ſeminaria ex lõginquis regionibus, teſtatur Fracaſtorius de contagione lib. 1. cap. 13. vbi agit de ſignis peſtilentiæ, & ait. Tum vero tibi maxime cauendum erit, quum ventos quoſdam, fueris conſpicatus ex ea regione perferri, vbi peſtilentia graſſetur, & paulo ante capit. 6. agens de contagione ad diſtans dixerat. Quæ ad diſtans faciunt contagionem abſente etiam primo perdurant nihilominus, & in fomite, & in aere, quinimò de loco ad locum feruntur trans etiam maria: ſic Auicenna dicit cauſam aeris peſtilentis inducentis peſtẽ eſſe interdũ ventos: aer (inquit) non putrefit vllo modo propter ſuã ſimplicitatem, imò propter illud, quod admiſcetur ei de vaporibus malis, qui permiſcentur ei, & accidit toti qualitas mala, & quandoque eſt illud cauſa ventorum deferẽtium ad locum bonum fumos malos ex locis fætidis, &c. vbi Herculanus interpres ait. Ex quo textu accipe primo, quòd per flatum ipſorum uentorum deferentium malos vapores aliquis locus ſanus multum diſtans à loco infecto poteſt infici, & per hunc modum anno iſto 1456. infecta ſunt loca ſita in litore maris Adriatici per uentos deferentes vapores malos à litto re oppoſito, ſcilicet, Sclauoniæ diu vexatę à peſtilentia. Georgius Agricola in primo de peſte, idem confirmat his verbis. Venti vero ſpirantes interdum aerem quocumque modo peſti-

pestilentem factum, à regione, in qua primo natus fuit, in alias regiones perferunt, vt quōdam Auster ab Aegypto in Atticam primo regionem, deinde Subsolanus ab hac in Illyriam, tum rursus ab hac in Venetias, & Paulo ante dixerat, in Romanorum regiones aerē pestilentem ex Asia ventis perlatum fuisse, & Petrus Forestus obser. lib. 6. de feb. pestil. obser. 3. in schol. asserit morbum epidemium afflatu ex Germania, & Gallia Delphos, & in Belgicam deuenisse: sic Cardanus dicit pestem illam, quæ sæuijt sub Antonino Pio anno sal. 162. ex Babylonia in Italiam, & Romam fuisse delatam à ventis: ita enim inquit, adeo corrumpitur aer conclusus, ac immotus, vt cum M. Antonini Imperatoris milites Auidij Cassij in Seleucia Babyloniæ arculam in Apollinis templo inuentam, aperuissent, aurum sperantes inuenire, aer exiens adeo computruerat, vt totam regionem peste affecerit, inde ventis delatus in Græciam, atque inde etiam Romam pestilentiam eam excitauit, quæ humani totius generis partem ferme tertiam absumpsit, huius pestis meminit etiam Portus lib. 1. capit. 26. de ea dicens. Quæ à ventis in Italiam uecta, tertiam hominum partem enecauit. & Horatius Augenius vir doctissimus nostri tēporis, qui Theoricā Patauij summa cum laude profitetur in primo loco, & in suo de pestilentia libro, & in consult. med. libro 4. subscribit huic opinioni dicens: semina pestilentiæ ex diuersis regionibus exportari posse, citra putredinem aeris quoque: facit enim duplicem inquinationem aeris, vnam cum putrescit tota eius substantia, aliam cum citra putrefactionem, simplicē quandam inquinationis labem cōtrahit à seminarijs pestilentiæ, quæ aut à cœlo, aut à rebus terrenis in ambientem recipiuntur. D. etiam Augustinus in libro de Ciuitate Dei ostendit mala seminaria contagionis ex ventis posse importari, eodem teste: demōstrauit id Hippocratis prudentia, qui teste Sorano in eius vita, & Thessalo in legatione ad Athenieñses, cū ad eum Illyriorum, & Pæonū Regum nomine legati accessissent, precibus cum illo agentes, vt in eas secum veniens regiones, pestem propulsaret, cognita ab illis natura ventorum, qui perflabant regiones, ἀπράκτους ἀπέπεμψε, eos re infecta dimisit, arbitratus, scilicet, non posse afferri medicinam, quòd à ventis pestis illa continenter importaretur;

retur; ostendit etiam Empedocles, qui teste Plutarcho in libello aduersus Colotem, patriam suam sterilitate, & pestilētia liberauit, obstructis muro montis faucibus, per quas Auster in Campos incidebat: quæ sic Græce apud illum. τὴν τε χώραν ἀπηλλαξεν ἀκαρπίας, καὶ λοιμοῦ, φάραγγας ὄρους ἀποτειχίσας, δι' ὧν ὁ νότος εἰς τὸ πεδίον ὑπερέβαλλεν. & M. Varro, ita inquit in libro de re rustica cap. 4. Hic Varro noster cum Corcyræ esset exercitus, ac classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, immisso fenestris nouis aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaque permutata, cæteraq; eius generis diligentia suos comites, ac familiam incolumes reduxit: quare Hippo. præcepit occludi oportere portas, fenestrasq; ac meatus, omnes versus eam regionis partem uergētes, vnde flatus pestilentes spirare viderentur, immisso fenestris nouis aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaque permutata, incolumes fieri, quod de pestilentia recitat Beroaldus, & libro de peste. capit. 6. annotat ēt Alexander Benedictus, qui etiam ibi in hanc sententiam dicit, suspectos à propinquo, & à uento caue, alioquin periculosum est: eam enim veneni uim uento in corpora deferri haud dubium est, & Marsilius Ficinus, qui c. 25. loquēs de cauēdo à peste correptis ait, caue ne uentorum flatus ab eo versus te spiret. Paulus Orosius libro 3. contra gentes, auctor est anno ab Vrbe condita 384. L. Genutio, & Q. Seruilio Coss. à saltibus calabris ortam auram, quæ uniuersa Romæ corrumperet, & propterea ludos Scenicos ad placandos Deos exhibuisse. Homerus quoque videtur significasse in primo Iliadis, uentos posse non solū inferre, sed etiam auferre pestem, dum ait, placatum restitutione Chryseidis, sacrificijs, & cantibus Apollinem, grecis reuertentibus ad exercitum uentum immisisse humidum, ad pestem, scilicet depellendam,

Τοῖσιν δὲ ἴκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος ἀπόλλων. id est,

Hisce dedit phœbus humentis flamina venti.

Vbi Eustathius interpretans uersum ait. λελύσθαι τε τὸ λοιμὸν ὁ ποιητὴς ἐμφαίνει. λοιμοῦ γὰρ, στυγνότητα διασκεδάννυσιν ἄνεμος, καὶ φύσιν δὲ ἀνέμου διδάσκει, ὃς ἐκ ἰκμάδος ὑδάτων ἀτμιζομένης ὑπο ἡλίου γίνεται, idest, solutam simul pestē poeta ostendit, pestis enim tristitiam dissipat uentus, & naturam uenti docet, qui ex humore aquarum exhalato solis vi efficitur:

animaduertendum uero, quòd pro ratione climatum, etiã uenti sunt pestiferi, aut salubres: nã Austri, qui Italiæ, & Septentrioni sunt lætales in pestilẽtia, contra se habent in Africa, ut annotauit Hollerius in libello de peste: nam illi salutares, idem præstantes, quod Etesiæ nobis, qui uim pestiferi cœli corrigere etiam dicuntur.

ἐξ Αἰθιοπίας, Ex Aethiopia.] Ab hac regione inchoasse multas pestes sæuissimas colligitur ex historijs. Euagrius Scholasticus lib. 4. cap. 29. ubi describit pestem illam acerbissimã sui temporis, quam in multis simillimam fuisse dicit Thucydidiæ, testatur eam ex Aethiopia inchoasse, καὶ ἤρξατο μὲν ἐξ Αἰθιοπίας, idest, Et inchoauit ab Aethiopia, quod Latinus interpres uertens amplificauit his uerbis: Initiũ cœpit in Aethiopia, sicut & ille, qui à Thucydide commemoratur. Insignis illa pestilentia, quæ sub Gallo, & Volusiano fuit, de qua Orosius lib. 7. cap. 21. meminit, cœpit etiam ab Aethiopia: de ea enim ita testatur Baronius, Cùm Ethnici quoque Scriptores, & alij ęquè consentiant luem immensam sub Gallo, & Volusiano orbem vexasse, quam non ante persecutionem in Christianos ab illis instauratam, exortam fuisse, quod nulla antehac eius mentio habeatur, existimamus. Ab Aethiopia eam originem duxisse, in uniuersumq; Orbem progressam, uix intra decennium quieuisse tradunt. Inguinaria illa dicta pestis, qua nulla acerbior narratur extitisse, ab Aethiopia quoque orta esse, & inchoasse dicitur, & aliæ cõplures, quæ omnes ab hac Thucydidia non multum discrepasse, tum sæuiendi modo, tum symptomatis cognoscũtur.

Ab Æthiopia multę pestes diræ inchoarunt.

Τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, Quæ supra Aegyptum.] Duplicem Aethiopiam facit etiam Plinius, & recentiores Geographici superiorem, & inferiorem, vt Antonius Maginus vir doctissimus, & mihi amicissimus, suis in Ptolomæum Comm. à quibus petenda est huius regionis qualitas: qui etiam facit mentionem Aethiopiæ sub Aegypto: quare duplex constitui potest, altera supra Aegyptũ, altera infra Aegyptũ, vt ex hoc ipso loco colligi potest, quas alij vocant Orientalem, & Occidentalem, vt Homerus quoque in 1. Odyss. qui ita ait:

Æthiopia duplex.

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ᾽ ἀνιόντος. idest,
Aethiopas duplici diuisos limite mundi
Solis ad occasum versos, & Solis ad ortum.

Vbi

Vbi Eustathius in Comment. plures affert de Aethiopū hac diuisione sententias, sed duas potissimum, aliam eorum, qui dicebant esse τοὺς παρ' ὅλην τὴν μεσημβρινὴν ὠκεανίτην γῆν διατείνοντας, idest, gentem, quæ per totam meridionalem Oceano contiguam terram extenditur, qui diuisi Arabico, vel Rubro mari: hinc ἀνατολικοὶ, idest, Orientales, inde dicerentur δυτικοὶ, idest, Occidentales; aliam eorum, qui contra constituebant ἐπὶ τὰ πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ τῆς Λιβύης ἔσχατα βόρεια, idest, Ad partes extremas Libyæ Boreales, Aegypto contiguas, Quorum meminisse etiam dicit Herodotum, qui eos vocat προσούρους Αἰγύπτου, idest, conterminos Aegypto: & hos esse vult Homericos Aethiopas: diuidi porrò Nilo eorum regionem intersecante, & alios ad Occidentem definiri, alios ad Orientem. Vbi etiam meminit alterius, qui distinguebat Aethiopas in εὐθύτριχας, idest, rectipilos, & οὐλότριχας, seu habentes οὐλότατον τρίχωμα, idest, crispissimum capillum, illosq; esse τοὺς ὑπὲρ Αἰγύπτου, καὶ ἄραβας, idest, supra Aegyptū, & Arabas. Et Aristarchum quoque dicit venire in hanc sententiam, vt de hac Aethiopia loquatur Homerus, finitima Aegypto, Nilo distincta in Orientalem, & Occidentalem. Strabo etiam lib. 1. Geographiæ, vbi multa disputat de hac Homerica diuisione, & Poetam à calumnijs vendicat quorundam, probat hanc ipsam Aristarchi auctoritate diuisionem Aethiopię Aegypto vicinæ, apud quem multa legi possunt in hanc sententiam. Idem Homerus etiam 1. Iliad. videtur duplicem fecisse, vnam ad Oceanum, ad quam profectum dicit Iouem.

Ζεὺς γὰρ ἐπ' ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη. ——————— idest,
Iuppiter Oceanum est hesterna luce profectus
Magnanimos super Aethiopas. ———

Vbi Eustathius rem deducit ad allegoriam, vt dicat Iouem significare Solem, Oceanum, & Aethiopas Meridionale clima; & τὰ νότια τῆς οἰκουμένης, australem partem Orbis, ad quam abit Sol hyberno tempore, cùm pestis post hyemem esset futura, ex austrina scilicet constitutione calida, & humida. Quam rem si quis velit fabulose ad Græcorū Atheniensium pestem detorquere, cùm ab Aethiopibus Athenas importata sit, tanto ante fuisse ab Homero Vate prædictam di-

Pestis Atheniensis dici potest pdicta ab Homero.

ci possit: vel melius dicendum vtrumque Poetam, & Historicum voluisse significare, pestis eam esse naturam, vt à Meridianis partibus semper tendat ad Occidentem, vt testatur Plinius Hist. lib. 7. cap. 50. qui ab his fortasse Homeri, & Thucydidis locis admonitus ita vniuersim pronunciauit. Qua in re obseruatum in Meridianis partibus ad occasum Solis pestilentiã semper ire. Quod in multis pestilentijs animaduerti potest: nam illa memorabilis à Boccacio, Villano, & Guido descripta semper versus Occidẽtem perrexit, de qua ita Matthæus Villanus: *E venendo di tempo in tempo verso Ponente comprese la Sardigna, e la Corsica, e l'altre Isole di questo mare, & dall'altra parte, che detta è Arabia per montagne appartenenti di verso Ponente, stendendosi à mezzo giorno con più aspro assalimento, che sotto le parti Settentrionali, &c.* Guido autem de Cauliaco ait: *Cominciando in Oriente, e così sagittando il Mondo trappassò per vniuerso Occidente.* Cuius rei causam refert Mercurialis cap. 20. in Austros, qui pestes aduehãt: & ideo iubet intra vrbes salutares tantũ ventos admitti, videlicet Aquilones.

Pestis natura, vt à Meridianis partibus tẽdat ad Occidentem.

Quomodo pestis gigni potuerit in Aethiopia.

Quod verò attinet ad Aethiopiam Ioannes Baptista Susius lib. suo de Peste Mantuana cap. 21. quærit, & dubitat, qũo in Aethiopia, quæ regio est calidissima, & sicca maxime, quare in eam ab antiquis mittebãtur empyici, & phthsici ægroti sanandi aeris beneficio, potuerit gigni pestilentia, cũ abesset humiditas putrefactionis mater, & materia, vnde pestis orit: & respõdet, ꝙ in ea regione tempore nostrę æstatis, quo Sol ad nos accedẽs ab illis recedit, & fit eorũ hyems, pluuiæ fiunt maximæ, & diutissime perdurant, testibus Aristotele, Alexandro Aphrodiensi, & Diodoro Siculo, ac alijs; Præterea Nilum stagnare, & ideo ex superuacaneis etiam vaporibus ex Nilo exhalantibus potuisse infici aerem, & gigni pestem, vel etiã, dicit, fieri potuisse, vt ex Africa, vbi ingens venenatorum serpentum copia, & sæpe ex mortuorũ cadaueribus corruptis aer inficitur, esset delata. Et hæc non aliena etiam ratio; sed ea fortasse melior, quam supra significauit Haly Abbas dicens, ortam in Aethiopia, ex cadauerũ copia, Athenisq; delatam. Neque verò à ratione aliena, & inconsentanea uideri debet ista quæstio: nam scribit Acacius ex Iulij Cęsaris Scaligeri testimonio, exerc. 32. de subtil. oram illam Occidentalem Aethiopiæ, quæ Nigir accolit flu-

uium

nium, cùm calidissima sit, numquã pestem sensisse: quod & in India apud Calecutũ urbem, & totã regionem accidere, testatur Cardanus lib. 10. de subtil. & Plinius etiam lib. 2. c. 98. idem euenisse Locris, & Crotone asserit, ubi nunquam peste laboratum, ut ante etiam dictum à nobis est.

ἐς αἴγυπτον, In Aegyptum.] Obnoxiam pestilentijs Aegyptũ fuisse testantur Historiæ propter Nilum. Plinius lib. 31. cap. 4. ita ait: Aegyptum ter grauis pestilentia inuasit, cum Nili rigua pluuiæ amara fecissent. Meminit Georgius Agr. 1. de Peste cuiusdam pestilentię ob stagnantem Nilum inuectæ. Iachen Aegyptius amuletis, & carminibus mederi solitus ab Aegyptijs pestilentiam depulit, & sub Caniculæ ortũ æstiuum ardores mitigauit: quo beneficio affecti Aegyptij insigni sepulturæ honore mortuum cohonestarunt, ut Suidas in Historia illius recitat, de qua mox. Recentiores quidã Historici scribunt quotannis in Aegypto suboriri pestem, durare usque ad ortum Canis, & tunc sponte cessare, & uestes etiam seminarijs contagionis sponte expurgari, licet etiã contra nõ desint testimonia apud Medicos salubritatis eius regionis, in quam mitti olim cõsueuerant sanguinem reuomentes, phthisici, & huiusmodi non modo propter nauigationẽ, sed etiã propter cæli constitutionem, ut est apud Galenum 10. Simpl. de terra Lemnia, Celsum, Plinium, & alios, ut etiam testatur Mercurialis in sua praxi, quæ licet pugnantia uideantur, non tamen sibi aduersantur: nam suapte natura cælum est clemens, ac salubre: ex accidenti uerò interdum insalubre propter Nilum stagnantem, aut pluuiarum copiam.

Aegyptus cur pestilentię obnoxia.

καὶ Λιβύην, Et Libyam.] Libya multis semper malis fuit obnoxia, unde locum dedit adagio, ἀεὶ Λιβύη τι κακὸν φέρει. Semper Libya aliquod malum affert: sed potissimum pestilentijs, ob uenenatorum animantium prouentum, quorum proiecta cadauera aerem frequenter inficiunt, & pestes gignunt.

βασιλέως γῆν, Regis regionẽ.] Sic Maximus Tyrius supra καὶ καταβὰς, δι' ἃ τῆς βασιλέως γῆς: Hoc tempore fortasse à Rege Artaxerxe inuitatus Hipp. ad depellendã pestem recusauit, cuius rei extant testimonia, epistola Artaxerxis ad Pœtum petenti; ut aliqua ratione depellat pestẽ, τὸν θῆρα λοιμαινόμενον

τὰ ποίμνια, id est, feram depascentem, & deuastantem ouilia. Responsum Poeti, in quo, collaudato magnifice Hippocrate, solum eum posse sanare ostendit pestem, & ideo accersendum, altera Artaxerxis epistola ad Hystanem Præfectum Hellesponti, qua iubet ad se mitti Hippocratē auri quauis, & diuitiarum conditione, necnon oblatione dignitatū Persicarū, & eiusdē Præfecti literæ ad Hippocratem inuitantes cum his præmijs ad Regem, & ipsius Hippocratis responsum dicentis sibi nihil deesse rerum ad uictum necessariarū, neque sibi licere Persarum uti diuitijs, & Barbaros Græcis inimicos sanare, cum Præfecti literis mox transmissum ad Artaxerxem, qui iratus misit ad Coos, legatos, qui peterent Hippocratem, ni facerent interminatus excidiū, quibus respondere Coi, se nihil indignum facturos, nec missuros Hippocratē. Pręclarissimum uerò est testimonium Atheniensis populi Decretum, δόγμα: quod decernit mysterijs magnis publicè eum initiandum, corona ornandum aurea mille aureorum quinquatrijs solemni pompa proclamata, & uictū in Prytaneo illi præbendū. Duabusq; id potissimum de causis; primum, quòd pestem à Barbaris in Græciam profectā depulisset, dimissis per loca Græciæ discipulis, qui docerent, quibus esset medicamentis utendum, ad præcautionē, præclara etiam de hoc scripta edidisset, postremo, quòd τοῦ περσῶν βασιλέως μεταπεμπομένου αὐτὸν ἐπὶ τιμαῖς ταῖς κατ' αὐτὸν ἴσαις, καὶ δώροις ἐφ' οἷς ἂν αὐτὸς ἱπποκράτης αἱρῆται, ὑπερεῖδε τὰς ὑποσχέσεις τοῦ βαρβάρου, ὅτι πολέμιος, καὶ κοινὸς ἐχθρὸς ὑπῆρχε τοῖς ἕλλησι, id est, Persarum Rege ipsum accersente, propositis honoribus suis optimatibus æqualibus, & muneribus, quæcumque ipse Hippocrates optaret, aspernatus est Barbari promissa; quia hostis, & communis inimicus esset Gręcis. Quod idem testatur Soranus in eius vita, vbi ait: τοσοῦτον δὲ φιλέλλην ὑπῆρξεν, ὥστε τῆς δόξης αὐτοῦ μέχρι περσῶν διαπτύσου γενομένης, καὶ διὰ ἰστάνιδος τῶν ἑλλησποντίων ὑπάρχου ἐπὶ μεγάλαις δωρεαῖς δεομένου πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν, διὰ τὸ σεμνὸν, καὶ ἀφιλάργυρον, καὶ φιλοίκειον ἀρνήσασθαι, id est, Adeo verò fuit Græcorū amator, vt cùm eius famæ celebritas ad Persas vsque esset diuulgata, & propterea Artaxerses per Istanidem Hellespontiorum Præfectum magnis muneribus propositis rogaret, vt ad se proficisceretur, propter dignitatē, & pecuniæ contemptum,

Marginalia: Hippocrates ab Artaxerxe rege Persarum accersitus ad fugandā pestem.

Decretū Atheniensium de coronando Hipp. ob depulsam pestem.

ptum, & Patriæ domus amorē denegauit. Quod etiā fecisse narrat de alijs Barbarorū Regibus, vt Illyricorū & Pæonū, apud quos cum pestis sæuiret, & illi per nuncios cū illo agerent, vt ad eam depellendā accederet, cognita à nuncijs ventorū natura, qui flarent, ἀπράκτους ἀπέπεμψεν, idest, re infecta dimisit. Quoniam verò nullam facit Thucydides Hippocratis mentionem, quòd hanc pestem depulerit, & Barbaris suæ artis auxilium denegarit, ne quis fortasse aliam putet fuisse, non hanc pestem, quam depulit Hippocrates, Galeni locus adducetur, qui luce meridiana clarius probat hanc esse pestem ab Hippocrate curatā Athenis: nulla enim alia commemoratur pestis, quam hęc, ex Aethiopia fluxisse: quare huius pestis illud est testimonium locupletissimum. Galenus ergo in lib. de Ther. ad Pisonem ait: Διόπερ ἐπαινῶ, καὶ τὸν θαυμασιώτατον Ἱπποκράτην, ὅτι τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον τὸν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας εἰς τοὺς Ἕλληνας φθάσαντα, οὐκ ἄλλως ἐθεράπευσεν, ἀλλ' ἢ τρέψας τὸν ἀέρα, καὶ ἀλλοιώσας, ἵνα μηκέτι τοιοῦτος ὢν ἀναπνέηται. κελεύσας οὖν ἀνὰ τὴν πόλιν ὅλην ἐξάπτεσθαι τὸ πῦρ οὐχ ἁπλῆν τῆς ἀνάψεως τὴν ὕλην ἔχον, ἀλλὰ στεφάνων τε, καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ εὐωδέστατα, τοιαῦτα συνεβούλευσεν εἶναι τοῦ πυρὸς τὴν τροφήν, καὶ ἐπισπένδειν αὐτῷ τῶν μύρων τὰ λιπαρώτατα, καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀδμὴν ἔχοντα, ἵνα καθαρὸν γενόμενον, οἱ ἄνθρωποι ἀναπνεύσωσιν εἰς τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ ἀέρα, idest, Quapropter laudo vehementer admiratione dignissimum Hippocratem, quòd pestem illam, quæ ex Aethiopia Græcos repente inuasit non alia ratione curauit, quam aerem immutans & alterans, vt non amplius talis (qualis tunc erat, infectus scilicet) respiraretur. Iussit igitur per totam ciuitatē accendi ignem, qui non simplicē incendij materiam haberet, sed coronas, & flores omnium flagrantissimas odore. Hæc esse consuluit ignis alimentum, & illi præterea affundi vnguenta pinguissima, vt ita purum iam effectum homines aerem respirantes, à peste vindicarentur. Soranus quoque in eius vita dicit multas ab ipso ciuitates fuisse à pestilētijs liberatas: & ideo magnis muneribus, & honoribus ditatū, non solū apud Coos, sed etiā apud Athenienses, & Argiuos. Ante verò testatur quandā ab ipso præuisam Athenis futurā pestem, quā istam esse cōijcimus; ait enim: Συλλογισάμενος δὲ τὴν νόσον ἐπὶ τὴν ἀττικὴν ἥξειν, προειπὼν τὸ γενησόμενον, καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν μαθητῶν ἐπεμελήθη; idest,

Pestis ab Hippocrate depulsa, est Thucydidia.

idest, Cùm verò ratiocinando præuidisset pestilentiā in Atticam regionem venturam, prædicens id futurum, & vrbiū, & discipulorum curam gessit; quibus verò coniecturis id præuidisset, facile conijci potest, nempe & ex constitutione præcedenti, & ex ventis, qui flando essent delaturi ex Aethiopia, vbi sæuiebat. Hoc verò remedium ad aerem expurgandum ab Aegyptijs didicisse potuit Hippocrates, quos narrat Plutarchus in Iside, & Osiride noctu solitos consurgere, & inquinatum aerem suffitibus, & odoratis incendijs purgare. & Suidas in Historia de Iachene, qui fuit Aegyptius medicus præstantissimus, publico sepulturæ honore insignitus testatur solitos Aegyptios Sacerdotes ex huius sepulchro ignem afferentes pyras per vrbem incendere, & pestem depellere; quia fortasse ipse quoque vsus esset hoc remedio: sed audite totam Suidæ historiā, ita de illo breui enarrantis.

Ab Aegyptijs didicit Hippocrates remediū pestis ex igne.

οὗτος ἐγένετο Αἰγύπτιος ἀνὴρ θεοφιλὴς, καὶ εἰς πολλὰ λυσιτελὴς, ἦν δὲ ἐπὶ Σενύου βασιλέως Αἰγυπτίων, περιάπτων, καὶ ἐπαοιδῶν ἀντίπαλα. καὶ ἐν ταῖς ὀδύναις, καὶ νόσοις σοφιστὴς ἄκρος. ὃς λοιμῶν ἐπιδημίας ἔσβεσεν, καὶ τὴν ἀμφὶ τὸν κύνα τὸν σείριον πρωτίστην ἐπιτολὴν, καὶ ὁρμὴν τὴν ἔμπυρον ἡμέρωσε τοῦ ἀστέρος, διὸ καὶ πολυτελῶς ἐτάφη, καὶ εἴποτε δημοσίᾳ νόσος ἐπεπόλασεν, ἐπὶ τὸν σηκὸν τοῦ δὲ φοιτῶντες οἱ ἱερογραμματεῖς, καὶ τὰς δεούσας ἱερουργίας ἐπιτελοῦντες ἐκ τοῦ βωμοῦ πῦρ ἐνάυοντες, καὶ ἐξάπτοντες πυρὰς κατὰ πόλιν, καὶ τοῦ δυσώδους ἀέρος τὴν φθοροποιὸν ἐκείνην νόσον μαραίνοντες, καὶ κρατύνοντες ταῦτο δὴ τὸ καινότατον, τὴν νόσον ἔσβεσον τῷ πυρὶ, idest, Hic fuit Aegyptius vir religiosus, & ad multa fructuosus, floruit sub Senye Rege Aegyptiorum appendens, & incantans remedia, & in doloribus, ac morbis profligandis Sophista summus, qui pestilentiarum epidemias extinxit, & primum circa Canem Sirium, exortum, & impetum igneum astri placauit: quare honorifice sepultus est, & si quando publice morbus grassatus est, ad monumentum huius confugientes Sacerdotes, & debita sacra peragentes, ex altari ignem accendentes, & incendentes pyras per ciuitatem, & fœtentis aeris pernitiosum illum morbum conficientes, ac peruincentes hoc nouissimū, morbū extinxerūt igne. Idem hoc ab Acrone ante Hippocratem factitatum narrat, memorato loco, Plutarchus, qui fuit Agrigentinus Empiricæ sectæ auctor, teste Plinio, & Galeno in Isag. ἄκρωνα γοῦν τὸν ἰατρὸν ἐν ἀθήναις

Iachen Aegypti⁹.

Acron vsus Hipp. remedio.

ὑπὸ

ὑπὸ τὸν μέγαν λοιμὸν εὐδοκιμῆσαι λέγουσι πῦρ κελεύοντα παρακαίειν τοῖς νοσοῦσιν. ὤνησε γὰρ οὐκ ὀλίγους; idest, Acronem igitur igitur Medicũ Athenis in magna peste præclari medici nomen adeptum perhibẽt, quòd iuberet ignem accendi ægrotis: iuuit enim hac ratione non paucos: qua verò ratione, & Hippocrates, & Acron id fecerint, ostendit Aetius tetrab. 2. lib. 1. cap. 94. nempe vt aerem humidum, & frigidum factũ, ad contrarias qualitates transmutarent, nempe calidum, & siccum; quod etiam ostendit Paulus Aegineta lib. 2. cap. 35. de solo tamen Acrone facta mentione. Alexander Benedictus lib. de Peste, c. 6. dicit pestes has ab Hippocrate ignibus depulsas, fuisse ex Solis, Lunæq; defectu ortas. Ita enim ait: Diuinus Hippocrates plures ciuitates liberas fecit, quæ pestilentia, ex Solis, Lunæq; defectu laborabãt, crebris ignibus per vicos, ac circa vrbem dispositis. In quo fateor me ignorare, quid sibi velit, nisi intelligat, vt Aetius aerem frigidum ex defectu Solis non calefacientis, vt deberet. Sic Diomedes in Tract. de Peste, c. 25. narrat simili ratione in Belgica Prouincia, sonitu intenso Bombardarum multarum, & igne ab earum puluere excitato pestem fuisse extinctam, cùm interim plebeij excitarent alios ignes, in pellibus, & cornibus, à quibus aerem expurgatum fuisse referunt, vnde ortum adagium hic cornua adurunt, quo dicto contagiosum aerem adesse significant, qui egeat dicto auxilio.

Rõ Hippocratici remedij ex Aetio.

Γῆν τὴν πολλὴν, Tellurem multam.] Scholiastes Græcus interpretatur τὴν περσίδα, idest, Persidem: quasi ea sit terra multa, sed nisi per Persidem, Ditio, & regnũ Persarum, subintellecto verbo Βασιλέων, intelligatur, quo pacto frequenter vsurpatur, multis subintellectis verbis, vt cum ponitur pro muliere Persica, & pro Chlœna Persica, & similibus, vt etiã περσισὶ vsurpatur pro more Regum Persarum non video, quomodo possit esse consentaneum, vt in Persicam regionem, quæ est ad Orientem, pestis fuerit delata, cum nullam faciant Scriptores mentionem: nam cùm Aegyptus, & Libya essent sub ditione Persarum Regis Artaxerxis, qui septimo anno belli Peloponnesiaci obijt, cùm regnasset annos quadragintaquatuor, voluit significare Thucydides, usque in Atticam per fines Regiæ ditionis peruenisse, quæ erat ipsis Atheniensibus cõtermina, & finitima: quare rectè Lambinus

Persis regnum Regis Persarũ significat.

binus uertens uerba illa Tyrij, quę supra memorata sunt διὰ βασιλέως γῆς, dixit per fines Regis Persarum: recta enim ab Aegypto delatam testatur Lucretius, qui ait:

Nam penitus ueniens Aegypti è finibus ortus,
Aera permensus multum, camposq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis. ———

Et sic nulla erit neque in re, neque in uerbis pugna, & contradictio, aut ab alijs dissentiet Thucydides, & ita intelligendus erit fuisse progressus pestis, ut orta ab Aethiopia in Aegyptum descenderit, & Libyam, mox in Persidem, idest, reliquam ditionem, siue regnum Persarum Regis Artaxerxis, siue sint regiones habitatę, siue inculta, & uasta, siue maria, & lacus, ut innuit Lucretius, & exponit Lambinus: Atque ita fuerit (ut supra dictum ex Plinio eius esse naturæ) pestis iter recta à meridianis partibus ad occidentem, non deflexum in Orientem.

Pestis inuadit repente.

ἐξαπιναίως ἐνέπεσε, Repente incidit.] Incubuit, reddidit Lucretius, sed Galenus adhibito illo uerbo φθάσαντα, repentinã hanc morbi impressionem significauit, qua imparatos, & nihil tale suspicantes facile opprimit; quare semper ferè solent & Principes, & Medici hæsitare in his repentinis inuasionibus, ut dictum supra. Et Eustathius in Homerum dicit fuisse futurum contra probabile, si induxisset Achillem primo, aut altero, aut tertio die consultantẽ de peste: ita enim inquit, εἰ μὲν γὰρ περὶ πρώτην εὐθὺς ἡμέραν, ἢ δευτέραν, ἢ τρίτην τὸ τῆς νόσου ἐζητεῖτο αἴτιον, ἀπίθανος, καὶ οὐκ εὔπλαστος ὁ λόγος ἦν, &c. Si enim circa primam statim diem, aut alteram, siue tertiã morbi quæsijsset causam, non persuadibilis, neque ad ueritatẽ bene fictus sermo extitisset. Agathias Scholasticus lib. 2. Thucydidem imitatus eisdem ferè uerbis utitur, Νόσος τις λοιμώδης ἔφθειρε τὰ πλήθη ἐξαπιναίως ἐπεισπεσοῦσα, idest, morbus quidam pestilens populos interemit, cùm repente incidisset.

Ενέπεσε, Incidit.] Est elegans metaphora accepta à murorum ruinis, quæ sæpenumero omnia alia cogitantes extemplo opprimunt: illa enim propriè dicuntur ἐμπίπτειν, idest, incidere, hoc est supra cadere. Sic infra utitur αὖθις ἐπιπέσοι, idest, rursus incidat. Diodorus Siculus lib. 14. Bibliothecę in hist. de Peste Carthaginiensium, ἐνέπεσεν εἰς τὸ στράτευμα

τεύματι ὁ νόσος, idest, incidit in exercitum morbus. Hoc eodem vocabulo vtitur Agathias lib. 5. histor. de peste, ἡ λοιμώδης νόσος αὖθις τῇ πόλει ἐνέπεσε, idest, pestilens morbus, denuo vrbi incubuit. Et Thessalus Hippocratis filius in oratione, quā habuit Legatus apud Atheniēses vsus hoc verbo, de peste Amphictyonum, καὶ λοιμοῦ εἰς τὸ στρατόπεδον ἐμπεσόντος, idest, Et cum pestis in exercitum incidisset. Et Plutarchus in Pericle, ἡ λοιμώδης ἐνέπεσε φθορὰ, i. Pestilens incidit lues. Halycarnassæus lib. 9. in descriptione eius pestis ter vsus hoc vocabulo, ἐπέσχε δὲ αὐτοῦ τὰ βουλεύματα ὄντα τυραννικὰ ἑτέρα συμπεσοῦσα θεήλατος συμφορὰ, idest, Compescuit illius consilia tyrannica, alia, quæ incidit à Deo missa calamitas: & mox, ἀλλὰ γυναιξί τε ἐνέπιπτε, καὶ ἀνδράσι, idest, Mulieribus incidit, & viris, paulò post, ποταμοῦ δίκην, ἢ πυρὸς ἀθρόα τοῖς ἀνθρώποις ἐμπεσοῦσα; i. quæ Fluminis instar, aut ignis repente in homines inciderat: & mox de alia peste, διελθοῦσα διὰ πάσης τῆς χώρας εἰς τὴν πόλιν ἐνέπεσε, idest, Cum omnem regionem peruasisset, in vrbem incidit. Sic Euagrius Scholasticus lib. 4. cap. 29. vtitur etiam hoc vocabulo, μάλιστα δὲ πανολεθρία σχεδὸν τοῖς ἀνθρώποις ἐπέπιπτεν, idest, Præcipuè verò pernitiosissima, & ferè omnes occidens hominibus incidit. Sic Latini, Liuius lib. 27. eo anno pestilentia grauis incidit in vrbem, agrosq; &c.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Καὶ τὸ πρῶτον ἐν τῷ Πειραιεῖ ἥψατο τῶν ἀνθρώπων, ὥστε καὶ ἐλέχθη ὑπ᾽ αὐτῶν ὡς καὶ πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα. κρῆναι γὰρ ὔπω ἦσαν αὐτόθι. ὕστερον δὲ καὶ ἐς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο, καὶ ἔθνησκον πολλῷ μᾶλλον ἤδη.

THVCYDIDES.

ET primum in Piræo affecit homines contagione, quare iactatũ quoque ab illis eſt, quòd etiã Peloponnenſes venena coniecissent in puteos: fontes enim nondum ibi erant extructi; mox verò & in ſuperiorẽ vrbem peruenit, & moriebantur iam multo magis, ac frequentius.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

TRIPLEX pestilentiæ Atheniensis principium nobis proposuit Thucydides, primum temporis, quod fuit anno secundo belli Peloponnesiaci, ineunte æstate, idest, principio Veris, cùm primum hostes Peloponnesij in Atticam irruperunt, de quo primo contextu egit: alterum loci, vnde manauit, nempe Aethiopiæ, vbi primum cœpisse dicit, ex aliorũ scilicet sententia, nempe Philosophorum, & Medicorum, de quo superiori contextu: tertium est contagionis, qua locus primum affici cœpit, ad quem peruenit, nempe Piræus Portus, vbi primum ἥψατο τῶν ἀνθρώπων, idest, cõtagione affecit homines, qui cùm ea primum in regione tamquã magis exposita labi, & inquinamentis delati ex Aethiopia seminarij pestilentis, laborare cœpissent, causamq; (vt fit) ignorarent tam subiti euentus, cùm concidere homines repente animaduerterent, quasi veneno sublatos (sunt enim communia signa peste, & veneno sublatorum) facile deuenerunt in eam suspitionem, vt crederent hostes malitiose puteos infecisse veneno, quòd animaduerterent, illis tantum aduentantibus, & in regione illa diuagantibus, & excurrentibus malum cœpisse, anteaq; se nihil tale expertos: quæ quidem suspitio, & fama inter ipsos percrebuit Athenienses, quoad scilicet vulgari adhuc magis, & crescere incepit pestis, ipsamq; vrbem, & arcem mœnibus cinctam, quo penetrare hostium

fraus non poterat, depascere, & multo magis quam fecerat in Piræo, sæuire; tunc enim innuit, & tacite significat Thucydides minui cœpisse illam suspicionem, cum eius quasi fundamenta essent labefactata, ita enim colligebant, si ex infectis veneno aquis morbus traxisset originē, profecto qui illis aquis non vterentur, nequaquam potuissent infici, sed multo magis vexati peste hac Vrbani, qui tamen illas aquas non attingebant, sed vtebātur aquis fontium, & puteorum intra mœnia conclusorum, quæ profecto ab hostibus venenari non potuerant, cum illis illuc aditus non pateret, ergo falsa deprehenditur fuisse ista suspitio.

τὸ πρῶτόν, Primum.] Adamatum hoc aduerbium à Thucydide videtur, quinquies enim hactenus eo vsus, bis in primo contextu, de Peloponnesijs, qui atticam inuaserunt ὥσπερ, καὶ τὸ πρῶτον. vt & primum, vbi positum pro comparatiuo prius, de morbi inuasione, quæ τὸ πρῶτον ἤρξατο, primū inuasit Athenienses, & semel in reliquis, in secundo de medicis, qui non satis erant depellendo morbo. τὸ πρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, primum medētes pre ignoratione, in tertio de principio loci, & termini, à quo cœpit progredi, cæpit enim, τὸ πρῶτον. idest, primum ab Aethiopia, in quarto hoc, de Piræo vbi τὸ πρῶτον, primo homines afficere cœpit contagione, & in his duobus postremis locis non est absolute positum, nam primo subsequitur, ἔπειτα, deinde; hic ὕστερον, postea, siue mox.

ἥψατο.] Nos vertimus affecit contagione, Portus tentauit, & in cōmentario attigit leuiter, intelligendum (vt scholiastes etiam græcus notat, in verbo infra posito, ἀφίκετο) τὸ δεινόν. idest, malum, uel ut supra Demetrius posuit, ἤρξατο τὸ κακόν, vel ut supra etiam τὸ νόσημα. hoc porrò verbo vsus etiā Halycarnassæus de peste. lib. 7. ἥψατο δέ τις, καὶ νόσος τοῦ πλήθους λοιμική. idest attigit etiam populum morbus quidam, pestilens, & lib. 9. νόσος γὰρ ἥψατο λοιμικὴ τῆς πόλεως. idest, morbus enim pestilens attigit Ciuitatem, et mox eodem libro de alia pestilentia. ἔπειτα τῶν νομέων, καὶ γεωργῶν ἥψατο. idest, mox pastores, & agricolas attigit. sic Diodorus siculus lib. 18. hist. bibliothecæ de peste Carthaginensium. ἥψατο μὲν οὖν ὁ νόσος πρῶτον τῶν λιβύων. idest, attigit quidē morbus primo afros, quod quidem verbum videtur contagij significationem afferre

ferre, eiusq; potissimum, quod fit corporum cōtactu, in quo oportet intelligere corpus μεταδοτικόν. ideſt, contagium inferens, fuiſse ipſum aerem, uel uentos deferentes inquinamenta peſtis ab Aethiopia.

τῶν ἀνθρώπων, hominum] hoc verbum maxime confirmat quod dicebamus ſupra in definitione peſtis, quæ fuit φθορὰ τῶν ἀνθρώπων. ideſt, corruptela hominū, ſcilicet conſulto Hiſtoricum addidiſse hominum, quia de ſola hominum peſte faceret verba, quæ digna memoratu, nam de brutorū peſtilentia, quam etiam fuiſse conſtat eo tempore, nullum verbum; quia hominum geſta narrabat non brutorum, & vera peſtis eſt hominum, & de ea potiſſimum agunt & medici, & hiſtorici. nam hic quoq; innuit graſsatā eā peſtilentiā in cætera animantia, cum dicat primum in Piræo attigiſſe homines, nam in agris ante ſæuiebat, quod colligitur ex calumnia Athenienſium in Periclem, cui acceptum referebant omne malum, qui agreſtes intra mēnia recepiſset, cum omni brutorum colluuie, ex qua auctum malum.

φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν, venena conieciſſent.] in magnis ferè ſemper peſtilentijs huiuſmodi veneni ſuſpitiones animos hominum inuaſerunt. Huius ſuſpitionis Athenienſiū in hac peſte facit Aretæus mentionem de ſignis acut. 1. cap. 7. de angina, neq; ab re, aut ſine cauſa, & temere incidiſſe teſtatur, cum venenum externum, & internum eiſdem propemodum ſit ſignis præditum: verba eius ſunt. ἐπεὶ καὶ ἄλλα μυρία τῶν ἐν ἀνθρώπῳ τὴν αὐτὴν ἰδέην τοῖς ἔξωθεν αἰτίοις ἴσχει. χυλοὶ φθείροντες ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, ἀτὰρ καὶ νοῦσοι φαρμάκοισι δηλητηρίοισι ἴκελαι, καὶ ἀπὸ φαρμάκων ἐμέουσι ὁκοῖα πυρετῶν εἵνεκα. ὅθεν οὐδὲν ἀπεοικὸς ἐν τῷ λοιμῷ τῷ ἐν Ἀθήνῃσι, μετεξετέρους δοκέειν εἰς τὰ φρέατα ἐν τῷ Πειραιεῖ ὑπὸ Πελοποννησίων ἐμβεβλῆσθαι φάρμακα, οὐ γὰρ ξυνίησαν ἂν τὸ ξανὸν τοῦ κακοῦ τοῦ λοιμώδεως πρὸς τὰ δηλητήρια. ideſt, quoniam, & alia infinita eorū, quę in homine ſunt, eandem ſpeciem cum externis cauſis habent. ſucci lætales ſunt intus, & extra, præterea morbi venenis pernicioſis adſimiles, & propter medicamenta talia vomunt, qualia febrium cauſa vomunt, quare nihil inconſentaneum, & à ratione alienum fuit in peſte, quę fuit Athenis, nonnullos arbitratos in Puteos Piræi à Peloponenſibus fuiſſe coniecta venena, non enim intelligebant homines, affinitatem peſtilen-

In peſtilē tijs īcidūt veneni ſuſpitiones.

tis

tis morbi cum venenatis pharmacis, Ita suspicati Galli olim sunt, vina ab Aragonijs sibi vendita fuisse veneno infecta, de quo Iouius lib.4. to.1. ita narrat. Fuere ex Gallis, qui vina veneno infecta ab Aragonijs sibi vendita, dicerent, quorum etiam opera naualem apparatum interpositis quotidianis difficultatibus, vt nemo in Galliam rediret, retardatum esse querebantur: sed eius sceleris suspitionem extinxit insigniũ virorum interitus. Ijdem etiam suspicati sunt in obsidione Neapolitana sub Lutrecco, fuisse veneno infectas aquas à Neapolitanis foris, antequàm obsidione circumuallarentur anno 1528. cuius pestis meminit etiam Fracastorius libro 2. cap.7. de morb. contagiosis. In similem suspitionem venerũt veneti etiam populi sub Duce Vitali Michaele, cũ enim cum ingenti classe Ducem contra Hemanuelẽ emisissent, ille vero spe pacis Ducem per plurimos dies ludificatus esset, interim coorta est pestis, & Imperatoris fraude venenata flumina suspicati sunt Veneti: de qua re ita Marcellus in vita Vitalis. Interim pestis atrocissima ingentem uim hominum oppressit, fama tenet ab Hemanuele proxima flumina, vnde Veneti aquabantur, infecta fuisse, ex eoque perniciosum morbum tota classe contractum. meminit huius suspitionis etiam Sabell. enn.9. lib.5. sed eã nititur labefactare tamquã falsam. Hic, quia pestis in hybernis contracta aliquanto atrocius incubuit, vt remiges, socijq; nauales passim expirarent, turmarumq; clamoribus, amarisq; criminationibus Venetus Dux deterritus classem vehementer affectam Venetias reduxit. Vulgatus est inde morbus, totaque vrbs pestilentia infecta, vt multo plures hic paucis diebus, quam foris vita defuncti sint, quæ res facit, vt contrarius his accedam, qui ad Hemanuelis fraudem eam cladem referũt. nam si aquarũ haustu, vis illa morbi orta esset, non ad alios, vt arbitror serpsisset lues illa, sed corpora, in quæ uis veneni recepta, tantum periclitari oportuisset; in eam uero facile suspitionem uenerant Veneti de fraude Imperatoris, quia constabat eum alias non dissimili dolo Germanis, & Gallis militibus imposuisse, gypso scilicet, ipsi farinæ permixto, ex quo omnes ferè interiere; in similem ueneni suspitionem uentum esse narrat Guido Cauliacus in descriptione illius pestis teterrimæ, in qua multis in locis dicit homines credidisse

Suspitio ĩ peste de aquis venenatis.

disse à Iudæis pestilentiam fraude fuisse importatam, ut etiã eos publice interfecerint, & custodes adhibuerint Vrbium, Oppidorumq; foribus, ut scrutarentur, quę quisque importaret, & si quid animaduertissent, quod pulueris, aut medicamenti speciem referret, solitos statim gestantem cogere combibere, ac suo periculo experiri, Eiusdem rei facit Ingrassias mẽtionem, & alij complures; In eosdem iudæos sub Philippo Longo Francorum Rege, circa annum 1320. culpa inuectæ pestilentiæ coniecta est, qui dicebantur ob vltionem exilij sub Philippo Pulcro, persuasisse elephãtiacis, qui stipe mendicanda uagi uictitabãt, ut uenena in puteos spargerent, horum quamplurimos ferunt cõprehensos, & quæstione habita de confessis sumptum esse supplicium: Quod enim factum sit aliquando, aut quod fieri possit, ut per pharmaca, & uenena pestis introducatur, testantur Historiæ, ut illa, quam recitat. T. Liuius Decad. primæ libro 8. ubi ita ait. Cum primores Ciuitatis similibus morbis, eodemq; ferme omnes euentu morerentur, ancilla quædam ad Q. Fabium Max. ædilem curulem indicaturam se causam publicę pestis professa est, si ab eo fides sibi data esset haud futurum noxæ indicium. Fabius confestim rem ad Coss. Consules ad Senarum referunt, consensuque ordinum fides indici data, tum patefactum muliebri fraude Ciuitatem premi, matronasq; ea uenena coquere, & si sequi extemplo uelint, manifesto deprehendi posse. secuti indicem, & coquentes quasdã medicamenta, & recondita alia inuenerunt, quibus in forũ delatis, & ad viginti matronis, apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis, duæ ex eis Cornelia, & Sergia patritiæ vtraq; gentis, cum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice bibere iussæ, ut se falsum commẽtam arguerent, spacio ad colloquendum sumpto, cum summoto populo in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent, haud abnuentibus & illis bibere, epoto medicamento, suamet ipsę fraude omnes interierunt, comprehensæ extẽplo earum comites, magnum numerum matronarum indicauerunt, ex quibus ad CLXX. damnatæ. Ioannes Xiphilinus in epitome Dionis in Commodo, meminit cuiusdam pestis à malis hominibus immissæ per acus venenatas. γέγονε δὲ καὶ νόσος μεγίστη ὧν ἐγὼ οἶδα. δισχίλιοι γοῦν πολλάκις

ἡμέρας

Iudęi importatæ pestis insimulati.

Pharmacis, & venenis potest induci pestis.

Pestis immissa per acus venenatas.

ἡμέρας μιᾶς ἐν τῇ ῥώμῃ ἐτελεύτησαν πολλοὶ καὶ ἄλλως, οὐκ ἐν τῷ ἄστει μόνον ἀλλά, καὶ ὅλῃ (ὡς εἰπεῖν) τῇ ἀρχῇ ὑπ' ἀνδρῶν κακούργων ἀπέθανον. βελόνας γὰρ μικρὰς δηλητηρίοις τισὶ φαρμάκοις ἐγχρίοντες ἐνίεσαν δι' αὐτῶν ἐς ἑτέρους ἐπὶ μισθῷ τὸ δεινόν. ὅπερ που, καὶ ὑπὸ Δομιτιανοῦ ἐγεγόνει. id est, fuit vero pestis maxima omnium, quas ego sciam, duo enim millia sæpenumero die vna Romæ interibant, multi vero, & aliter non in Vrbe tantum, sed in toto quodammodo Imperio scelere malorum hominum moriebantur, acus enim exiguas deleterijs quibusdam pharmacis inungentes, mercede per istas in alios malum immittebant, quod etiam sub Domitiano factum est, & Amicus in libro de morbis communibus cap. 8. testatur Turcarum immanitatem solere etiam aerem inficere ad inducendam hostibus pestilentiam. In Patauina pestilentia anni 1555. ferunt Chirurgum Hispanum, Monachum Antonianum, & Vespillonem fœdus inter se iniuisse, ijs legibus, vt Vespillo contagium in Vrbe disseminando aleret pestem, Monachus expiscaretur inter confitendum, qui pecunias secũ detulissent in Nosocomiũ, chirurgus bene nũmatos tolleret. deprehensi, supplicio affecti. Et sub anno 1536. in pestilentia Casali in Vrbe Salassiæ coniuratio deprehensa, quadraginta ferè, tum uirorum, tum mulierum, qui cõfecto unguento, quo portarum vectes illinebant, & puluere, quo vestes inungebant, mitescentem pestilentiã, & cessantem alebant, deprehensi, fassi, damnati, pœnas tormentis & cruciatibus sæuis dedere. Cardanus de subtilitate lib. 18. meminit cuiusdam, qui puluere iniecto pannis pestem excitabat. Bucius lib. de peste. cap. 4. ita ait materna lingua. *Si è osseruato in molte pestilenze passate, & in questa, che hoggidì afflige alcuni loghi della regione detta Cannauese per depositioni giudiciali, & confessioni de sciagurati condannati a morte, hauer eglino a voglie loro dato, oue volessero la contagione vngendo gli uscij, & i catenacci delle porte con quella velenosa materia, che si suol purgare da i buboni, ò sia dalle inguinaglie pestilenti*, quàm materiam ibidem mox narrat fuisse in vasis vitreis asseruatam, & illitam penicillis, & Philippus Ingrassias par. 1. capit. 5. recitat scelesti hominis historiam, qui sapone pestilenti inducebat pestem. *Laonde recita il Bonagente di vn scelerato, il quale per dilatarsi la peste pigliaua della marcia delle piaghe infette, & quella con sapone muschiato mescolaua, il qual sapone poi infet-*

Puluis pestilens.

Sapo pestilens.

infettaua panni, & huomini, che con quello si lauauano: quamuis id vix fieri potuiſse arbitratur ipſe, cum putet res odoratas, & aromaticas non concipere contagionem, nec poſse eſse fomitem ſeminariorum contagij.

In noſtro corpore generãtur venena ex humorũ putredine

Quod vero in noſtro corpore generari poſſint uenena ex humorum putredine his ſimilia, quę deleteria extrinſecus adhibentur, & quòd eadem gignerẽt ſymptomata, tum in morientibus, tum etiam poſt mortem, ut inde falli potuerint homines iudicantes veneno ſublatos, cum interna peſte, & ueneno fuerint extincti, declarat id Galenus multis in locis, & primum in tertio, in tertium Epid. cont. 75. ubi agit de illo phrenitico, qui uomuit ἰώδεα, ideſt, uirulenta, quem conſecuta ſunt oĩa ſymptomata, quę euenire ſolẽt his, qui aſſumpſere venenum, & in quarta mortuus, vbi dicit Galenus admirandum eſse, quomodo ſtatim his ſymptomatis corripiantur ſubito, cum tamen cauſa paulatim colligatur: ait enim, σχεδὸν οὖν κατὰ τῆς νῦν εἰρημένης φρενίτιδος, ἠθροίζετό τις ἐν τῷ σώματι μοχθηρὸς χυμὸς ἰῷ δηλητηρίῳ παραπλησίως ἐνεργῶν μέντοι κατὰ βραχὺ ἐπὶ τοῖς σώμασι, οἷς ὁμιλῶν ἐτύγχανεν. ἐπεὶ δ᾽ ἐκεῖνα προδιετίθετο πῶς, ὅτε χυμός αὐτὸς ἐπὶ πλεῖστον ηὐξήθη κακοηθείας, ἐξαιφνίδιον ἐφάνη θανατῶδες σύμπτωμα. i. itidem igitur in hac phrenitide coarceuatus eſt quidam in corpore vitioſus humor veneno lætali adſimilis, agens quidem paulatim in corporibus vicinis, quibus implicabatur, vbi vero illa fuerãt quodammodo opportune affecta, & ſuccus ipſe ad ſummũ malitiæ cumulatus erat, repente apparuit lætale ſymptoma, & in 6 de l. aff. cap. 5. vbi oſtendit à Medicis eſse concluſum, & definitum quòd διαφθορά τις ἐν τοῖς ζώοις δύναται γενέσθαι τηλικαύτη τὸ μέγεθος ὡς ἰῷ θηρίου παραπλησίαν ἔχειν ποιότητά τε, καὶ δύναμιν. ideſt, quòd corruptio quædam in animantibus poteſt excitari, tam vehemens, ut veneni ſerpentis ſimilem habeat qualitatem, & uim, cuius rei facit ẽt in 5. c. 7. mentionẽ, vbi quemadmodũ hoc in loco, dicit quęſitum à medicis, an ſint propria ſigna ueneni aſſumpti, cum ſępe uideantur, ſine lætalium uenenorum potione humores, non ſecus ac epoto veneno ad corruptionem ſummam peruenire. εἰ φαρμακείας ἐστὶν ἴδια σημεῖα, διὰ τὸ πολλάκις ἑωρᾶσθαι χωρὶς τῶν θανασίμων φαρμάκων εἰς διαφθορὰν χυμῶν ἀφικνούμενον τὸ σῶμα παραπλησίαν τῇ διὰ τῶν φαρμάκων γιγνομένῃ. idem aſserit in libro

Hipp. de alimento commẽt. 3. ubi dicit, quinetiam sine mortiferis medicamentis cernitur corpus ad humorum corruptelam peruenire, quæ similis est ei, quam uenena afferunt: & in commentario in 1. prorrhet. cont. 17. ait. ἔνια γὰρ αἴτια τῶν κατὰ τὸ σῶμα γενομένων παραπλησίαν ἔχει δύναμιν τῇ τε τῶν λυττώντων κυνῶν ἰῷ, καὶ τῶν θανασίμων φαρμάκων ἐκείνοις ὅσα κατὰ τὰ πεπονθότα ἐπίδηλον οὐδὲν ἐν τῷ παραυτίκα σύμπτωμα ἐργάζεται, μετὰ δὲ τέτταρας ἢ ἕξ μῆνας, ἢ καὶ πλείονα χρόνον ἀναιρεῖ τὸν ἄνθρωπον. idest, quædam enim causæ eorum, quæ gignuntur in corpore habent similem uim, & rabidorum canum ueneno, & lætalium Pharmacorum illi generi, quod in affectis subito nullum manifestũ symptoma efficit, sed post quatuor, uel sex menses, uel etiam plures hominem interimit, & quę sequuntur, nam exemplo lignorum, & ignis rem proponit sub oculos, & q̃uo fallantur medici, declarat, & commẽ. 6. in 6. epid. cont. 5. vbi hæc tria proponit tamq̃ ęqualia, quib. communia medicamenta Hippo. adscribit, pharmacorum, quæ deleteria vocant, φαρμάκων ἃ δηλητήρια καλοῦσι, θηρίων ἰοβόλων, ferarum quæ venenum infligunt, & χυμῶν τινων ἐκ διαίτης μοχθηρᾶς, καὶ λοιμώδους ἀέρος ἐν τῷ σώματι γεννηθέντων. idest, succorum quorundam ex praua uictus ratione, uel pestilenti aere in corpore genitorum. Quod problema, utrum scilicet gigni in nobis possit uenenum simile externo, perpẽdit, & Mercurialis de uen. lib. 1. c. 14. & fieri posse contendit præter testimonia Galeni, etiam menstruorũ muliebrium exemplo, quæ Solinus, Plinius, Galenus asseruerunt euadere purum uenenum, quare & Hesiodi, & Hebræorum temporibus lege uetitum, ne in balneis menstruatę lauarentur uiri, aut cum illis cohabitarent, ita tamen, ut dicat nõ esse merum uenenum, sed simile ueneno, similitudinem uero esse in tribus, primum in celeritate mortis, quæ in utrisque contingit, secũdum in symptomatum grauitate, tertium in putrefactione, & corruptione corporis, meminit etiam Horatius Augenius epistolarum libro 4. to. 2. ubi ait. Hinc patet me à medicis recentioribus dissentire, qui ab interna causa putant fieri non posse febres uere pestiferas, errore, quidem (ni fallor) maximo. Hic reliquum esset, ut in uestigaremus, an in animalibus corruptio aliqua innasci possit adeo uehemens, ut ueneni, tum qualitatem, tũ uires æquet. At id iam

Medi-

Medicis enodatum, discussumque esse uidetur, qui hanc solent proponere quæstionem, utrum propriæ sint notæ ueneni, necne: nam qui maxime uidentur sup hac ambiguitate disputasse, ij eosdem affectus fieri concedunt, & à lætalis ueneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet, uerum non facile discerni posse qui uenenum sumpsit ab his, qui aliunde affecti sunt. Præter uero antedicta Galeni testimonia accedunt alia etiam eiusdem postea ab alijs obseruata in eandem sententiam, quæ collegit diligentissime Ioannes Baptista Susius cap 8. ubi hoc idem tractat argumentum, & fieri posse contendit, ut uenenum, aut qualitas ueneno similis gignatur in nostris corporibus, sunt uero loca ab ipso obseruata, de Theriaca ad Pamphilianum, quam dicit dari his, qui patiantur ab occulta causa, cum adest in corpore similis ueneno corruptio, in lib. de cibis boni, & mali succi, ubi meminit horum succorum læthalium in corpore genitorum, et 7. de sim. med. fac. de cinnamomo, quem dicit emendare omnes qualitates ueneficas, & lætales tam humorum internorum quam externorum pharmacorum, & alibi etiam, Preterea citat Paulum Aeg. li. 7. de theriaca, & Aueroem, qui testantur dari commode, ubi adsit in corpore uenenata qualitas, ut in peste. de hoc etiam legendus Cardanus lib. 1. de Ven. cap. 6. ubi probat multis modis posse in nobis generari uenenum, ex hereditaria qualitate, ex humorum adustione, ex corruptione ciborum, ex eduliorum mala qualitate, ex uictus ratione, & curis, odio, ira, uigilijs, crapula, ex ipsis lignis, & prunis, quibus torrētur carnes, et similia, de hoc quoque agit P. Parisus in lib. de peste, in tractatu de peste cap. 1.

Multis modis in nobis potest generari venenum.

Κρῆναι, Fontes.] Pugnare secum, & sibimet aduersantia dicere vr̄ Thucydides: hic enim Athenis nullos fuisse cōtra fontes adhuc dicit, tamen paulò supra mentionem facit fontis Callirrhoes quem mox à Tyrannis munitū, vocatū fuisse asserit ἐννεάκρουνον, idest, nouifontem: cuius fontis meminit etiam Herodotus in Tract. 1. in Erat. & Pausanias dicens ita appellatū, quia per nouē fistulas æneas emittebat aquas: Suidas dicit fuisse δωδεκάκρουνον, idest, duodecim fontium, sed ita appellari à Thucydide, deq; eo ita dicit, Κρήνη τις ἀθήνησι καλλιῤῥόη καλουμένη πρῶτον, idest, Fons est quidam Athe-

nis Callirrhoe antea vocatus, sed facile solui potest pugnantia: nam dici potest vnum tantum fontem extitisse, qui non est numerus: & ideo nunc ad copiam fontium respexisse, qui multi postea facti sunt, vel melius dicendum hic de inferiori vrbis parte loqui, vbi erat Piræus: fontem verò illum fuisse in ipsa arce, & superiori vrbis parte, de qua nondum verba fecit Thucydides: quæ quidem explicatio mihi maxime probatur, quia maxime videtur esse consentanea verbis Thucydidis, qui dicit αὐτόθι, idest, ibi, in Piræo nempe, quasi significet fuisse in ciuitate fontes. Vel tertio dicendũ, quòd hoc tempore fistulæ illæ æneæ salientem, vt antea, aquam nõ emittebãt, & ideo quasi nõ esset, eum preterijsse: id enim significare dici potest in superiore, & ante citato loco, vbi dicit fuisse vocatũ fontem illum Callirrhoem antiquitus, φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν, idest, Cum fontes essent aperti, & aquã clare emitterent, quod fortasse tũc temporis nõ faciebant, vitiatis fistulis, licet hæc referant cæteri interpretes ad fontis clausionẽ: à Pisistratidis enim regibus intra arcẽ receptus non amplius populo patebat, sed nostræ explicationi videtur fauere Græcus Scholiastes, qui interpretatur, πηγῶν τῶν ἀναδόσεων τοῦ ὕδατος, idest, Fontium, aquæ distributionum. Et ipse Thucydides, qui innuit intermissum vsum illius fontis. Verba autem Thucydidis de hoc fonte sunt: καὶ τῇ κρήνῃ τῇ νῦν μὲν τῶν τυράννων οὕτω σκευασάντων, ἐννεακρούνῳ καλουμένῃ, τὸ δὲ πάλαι φανερῶν τῶν πηγῶν οὐσῶν καλλιῤῥόη ὠνομασμένῃ ἐκείνῃ τε ἐγγὺς οὔσῃ τὰ πλεῖστου ἄξια ἐχρῶντο, idest, Et fonte, qui nunc postquam ita Tyranni compararũt, nouem canales vocatur: antiquitus vero cùm in propatulo essent, & ad manum fontes, Callirrhoe vocabãt, eoq; quia vicinus erat, in maximis quibusque rebus vtebantur, sed nõ teneo mordicus, istam explicationẽ, satis habeo innuisse, cui placuerit, eam probet, qui minime probare voluerit, reijciat, cùm præsertim infra quoque in tertia parte faciat fontium mentionem, ad quos dicit volutatos ægrotos aquæ desiderio semimortuos, qui locus non erit huic nostræ explicationi contrarius, imò fauebit, si placeat retinere; nam aquæ desiderio ad ipsos fontes volutabãtur siti cruciati: vbi verò ob siccatas fistulas copia aquæ, ut uoluissent, non suppeteret, semimortui illius desiderio iacebant. Quo pacto etiam poterit interpretari locus Diodori

Contradictio i Thucydide de fontibus Athenarũ soluitur.

ri Siculi in lib. 12. Biblioth. ubi mentionem facit huius pestilentię: huiusq; meminit Symptomatis his uerbis: Διὰ δὲ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ πλεῖστοι τῶν νοσούντων ἔρριπτον ἑαυτοὺς εἰς τὰ φρέατα, καὶ τὰς κρήνας ἐπιθυμοῦντες αὐτῶν καταψῦξαι τὰ σώματα, idest, Propter hanc causam plurimi ægrotantium proijciebant seipsos in puteos, & fontes, cupientes ipsorum corpora refrigerare; sed melius huic accommodabitur secunda explicatio, neque pugnabunt inter se Thucydidis iste locus, & ille Diodori, quia scilicet de Vrbe loquitur Diodorus, Thucydides hic de Piræo; quare idem infra, cùm loquitur de ipsa Vrbe, meminit fontium. Iste uerò locus Thucydidis citatur à Petro Sybilleno in suo libro de Peste: sed in duobus errat; primo, quòd dicit fontes infectos, non puteos; secundo, quòd dicit Thucydidem asserere, omnes, qui deinde ex eis potauerint, subito perijsse; eius hæc sunt uerba: Non uerò hæc flumina corruptioni solummodo apta, & idonea sunt; uerum etiam reliquæ aquæ, quæ stagna dicuntur, lacus, piscinæ, & fontes, qui ueneno inficiũtur, de quibus Thucydides scribit, quod Peloponnenses Athenarum fontes ueneno corruperint, & omnes, qui deinde ex eis potauerant, subito perierint: quod etiam in bellis Italicis, & Gallicis nostra propemodum ætate contigisse experientia constat.

Petri Sybilleni error in citãdo Thucydidis cõtextu.

Τὴν ἄνω πόλιν, Superiorem urbem.] Intelligit uel ipsam arcẽ, que ἀκρόπολις dicta, licet uniuersali uocabulo ab Atheniensibus diceretur Vrbs, ipsomet teste Thucydide, loco ante citato, ubi ait: Καλεῖται δὲ διὰ τὴν παλαιὰν ταύτην κατοίκησιν, καὶ ἡ ἀκρόπολις μέχρι τοῦδε ὑπ' Ἀθηναίων πόλις, idest, uocatur uerò ob uetustam hanc habitationem, & summa pars urbis usque nunc ab Atheniensibus, urbs: cuius rei eam affert rationem Stephanus de Vrbibus, quòd scilicet primi inuenerint nomina Vrbis, & Oppidorum. Πρῶτοι γὰρ Ἀθηναῖοι τὰ ἄστη, καὶ τὰς πόλεις εὑρεῖν ἱστοροῦνται, ὅθεν καὶ τὴν ἀκρόπολιν αὐτῶν πόλιν ἐκάλουν κυρίῳ ὀνόματι, idest, Primi enim Athenienses Oppida, & Vrbes inuenisse memorantur: quare & summam arcem ipsorum, Vrbem, uocabant proprio nomine, uel intelligit eam Vrbis partem, quæ remota à mari proprio uocabulo dicebatur ἄστυ, ideſt, Oppidum, & distinguebatur à maritimis partibus, quæ erant Piræus, Phalerus, Munichia, de qua infra in secunda parte facit mentionẽ

Arx Atheniensium dicebatur vrbs, quia primi Athenienses nomen vrbis inuenerunt.

his

his uerbis: ἡ ξυγκομιδὴ ἐς τὸ ἄσυ, ideſt, Concurſus ex agris in Oppidum.

καὶ ἔθνησκον πολλῷ μᾶλλον, Et moriebantur multo magis.] Innuit his uerbis Thucydides morem peſtilentię, quæ ut plurimum ubi in delicatioris temperamenti corpora incidit, multo maiorem edit ſtragem, quam Athletica corpora depaſcens, quæ plerumque naturæ beneficio uenenum ſuperantis euadunt.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

ΛΕγέτω μὲν οὖν περὶ αὐτοῦ ὡς ἕκαστος γιγνώσκει, καὶ ἰατρὸς, καὶ ἰδιώτης, ἀφ' ὅτου εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ καὶ τὰς αἰτίας, ἅστινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν. ἐγὼ δὲ οἷόν τε ἐγίγνετο λέξω, καὶ ἀφ' ὧν ἄν τις σκοπῶν εἴποτε, καὶ αὖθις ἐπιπέσοι μάλιστ' ἂν ἔχοι τι προειδὼς μὴ ἀγνοεῖν, ταῦτα δηλώσω. αὐτός τε νοσήσας, καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας.

THVCYDIDES.

Dicat igitur de hoc, vt quiſque ſentit, nouitq́; & Medicus, & idiota, a quo veriſimile ſit illud extitiſſe, & cauſas, quas tantæ permutationi putat idoneas vim habuiſſe ad rerum orbem conuertendum. Ego autem, cuiuſmodi fuerit, explicabo, & ea quæ contemplans quis, ſi forte fortuna rurſus incidat, præcipuè aliquid prænoſcens non poſſit omnino ignorare, declarabo, cum & ipſe morbo fuerim correptus, & conſpexerim alios patientes.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

DVAS cauſas attulerat Thucydides,quę peſtilentiæ huius videri potuiſſent extitiſse origo: alteram à Medicinæ fontibus delibatam,& Philoſophię,quòd ſcilicet ab Aethiopia fluxiſset ventorum opera delata: alteram à vulgi opinione,quòd veneno infecti à Peloponnenſibus eſsent putei, cum perſequi plures nollet, quod fuiſset extra limites Hiſtoriæ egredi,quoniam hoc ſibi non erat propoſitum, vel etiã quia fortaſse extabant multorum tum Medicorũ, tum Philoſophorum, addo etiam Hiſtoricorum ſcripta in hanc ſententiam,vt fieri ſolet in peſtilentijs,quæ perſequabantur has cauſas, vt de Hippocrate conſtat, qui in 3. Epid. huius peſtis cauſas,vt Medicus ĩueſtigat,& explicat,integrũ vnicuique relinquit,vt pro ſuo ſenſu, & cognitione pronunciet, quod libet, cauſamq; peſtis inueſtiget, & perſequatur, ſiue is, ex Medicinæ, ac Philoſophiæ doctrina hauriat, vt ſciens artifex,& medicus, ſiue vt imperitus, & vulgaris idiota,ex vulgari ſuſpitione,& probabili aliqua opinione: in vulgus enim frequenter diſseminantur tali tempore rumores, qui varijs rebus cauſas tribuunt,quamuis minime ſint verę, deinde quid ſit faciendum,quidq; ſuarum ſit partium oſtendit: cum enim Hiſtorici perſonam gerat, cui in primis debet eſse ante oculos propoſita ipſa veritas,pollicetur ſe eam explicaturum,prout euenerit,nihil aut addendo,aut ſubtrahendo,

hendo, neve superuacaneus videri posset labor, & temere su sceptus proponit vtilitatem, atque commodum inde emanaturum in humanum genus, quod erit, vt si forte fortuna rursus incidat pestis, aut hæc eadem reuertatur (ut assolet, vtq; euenit re ipsa) ex ista præexistenti, & informata cognitione, quid sit agendum, quid consilij capiendum facilius statuant, neque hæreant ancipites, ut in hac ipsa factum initio, præ ignoratione, cùm nullum haberent exemplum, & à nullo explicata pestis symptomata; in quo oblique seipsum quodammodo laudat, quòd primus fuerit hoc aggressus præstare, quod nullus ante ipsum fecisset Historicus: optime verò se id posse efficere demonstrat, cùm & ipse morbo laborauerit, & alios peste affectos uiderit: unde facile illi fuit omnia animaduertere, atque notare, tacite innuens non deesse sibi quoque scientiam, cùm duæ hæ partes experientiæ in seipso, & in alijs probatæ maxime adessent: duo enim scimus esse crura, quibus incedit suffulta Medicina, & omniũ penè rerum cognitio, scientia scilicet, & experientia, qua uel sola instructi in pestilentijs sæpenumero (ut Galenus testatus est) idiotæ præstantiores, & meliores esse medicis etiã eruditis inuenti sunt.

Primus Thucydides ex Historicis pestis mala descripsit.

Λεγέτω μὲν οὖν, Dicat igitur.] Videtur hoc loco Thucydides tacite se excusare, quòd plures causas non persequatur, & attingat, quia scilicet hoc non esse Historici & suarũ partium, nouerat, necnon innuere alios, qui secus facerent, etiã dignos reprehensiones, quos tamen ipse non damnat, sed hominum iudicio relinquit dijudicandos, & profectò uel ex hoc Thucydidis exemplo illorum notari, ac cognosci potest imprudentia (grauiori enim uerbo uti non libet) qui cũ historiam scribunt, Philosophico more indagare, ac inuestigare pergunt occultas rerum ab ipsis narratarum causas, quod potissimum in pestilentia describenda multis euenit, & ut recentiores omittam (ne uideam maledicum, & cynicum potius agere, quàm interpretem) ueteres nonnulli in id uitium inciderunt; & ideo reprehensione digni, quòd nõ luerunt bonos imitari Historicos, qui ubi usu uenit, ut ista narrent, unam, aut alteram causam obiter, & paucis attingunt uerbis, & ad alia redeunt: in quo Liuius prclarè se gessit Thucydidem imitatus, qui cùm sæpissimè meminerit pe-

Error quorundã Historicorũ, qui causas exquisiti pestis persequũtur.

ſtilentiarum, quæ Romæ olim fuere frequentes, aut nullam addit cauſam, vt frequenter, aut ſi videatur addenda, nō plures vna, aut altera, quaſi per tranſennam prӕteriens breuiter notat, vt lib. 5. Dec. 1. anni 355. peſtem narrans ait: Triſtem hyemem, ſiue ex intemperie cæli raptim mutatione facta in contrarium, ſiue alia qua de cauſa, grauis, peſtilensq́; omnibus animalibus æſtas excepit. & lib. 8. fœdus inſequens annus, ſeu intemperie cæli, ſeu humana fraude fuit. Quo in loco Thucydidias quodāmodo cauſas attingit. Agathias lib. 5. licet non exactè ſeruari, agnouit tamen, & didicit ex Thucydide Hiſtoricum cauſas perſequi non debere. Cum enim duas expoſuiſſet cauſas, quarum modo vni, modo alteri acceptam peſtem homines referebant, nempe primo eam, quam Aegyptij, & motus ſtellarum ſcientes Aſtrologi afferebant, χρόνων περιόδους, ideſt, temporum circuitus, à quibus omnia bona, & mala proficiſci dicebant per vices, mox alteram, quæ alijs magis placebat afferentibus mali cauſam eſſe ὀργὴν τοῦ κρείττονος, ideſt, iram melioris, ſeu Potentis, ideſt, Dei. De ſe mox ipſo addit Thucydidis locum hunc quodammodo adumbrans, & explicans, quaſi tacitӕ mentis, & ſententiæ interpres. ἐμοὶ δὲ διαιτᾶν ἑκατέρα δόξη, καὶ ἀποφαίνεσθαι ἀληθεστάτην οὐκ ἐγχειρητέα, τυχὸν μὲν οὐδὲ ἐπισταμένῳ, τυχὸν δὲ, εἰ καὶ εἰδέιην, ἀλλ᾽ οὐκ ἀναγκαῖον τοῦτό γε εἶναι δοκοῦν, οὐδὲ τῷ παρόντι λόγῳ προσῆκον, μόνου γάρ μοι τοῦ συμβεβηκότος εἴ καὶ διὰ βραχέων ἐπιμνησθέντι, ὁ τῆς ἱστορίας ἐκτεθεράπευται νόμος, ideſt, Mihi verò alterutri opinioni adhӕrere, & eam veriſſimam eſſe oſtendere, non eſt aggrediendum, cum vel fortaſſe id neſciam, vel fortaſſe ſi ſciam, non tamen neceſſarium hoc eſſe videatur, neque præſenti ſermonis generi conſentaneum: nam ſi tantum eorū, quæ acciderunt, idq́; etiā breuiter, meminero, hiſtoriӕ obſeruata, atque culta mihi lex fuerit. Ex veteribus, qui in id vitium inciderunt, & doctorum hominum reprehenſionē non effugiunt, inter Græcos eſt Diodorus Siculus in Biblioth. qui (vt omittam locum lib. 14. vbi perſequitur peſtem Chartaginienſium, & multas cauſas enumerat, vt iram Deorum, collectorum colluuiem, tempus anni morbis accommodatum, æſtatis ingentes calores, & loci paluſtris intemperiem, & anguſtiam) in hac ipſa deſcribenda peſte Athenienſium plures cauſas conatur indagare, & expliſcari,

Diodorus Sicul. notatus, quod cauſas peſtilētiӕ exquiſitiꝰ proſequatur.

ſcari, & quia nouerat ſe vix poſſe effugere reprehenſionem, & ſtomachum grauiſſimorum hominum, mendacio etiam ſeſe tueri aggreditur, culpam in hiſtoriam reijciens, quæ à ſe cauſam poſtulet, & quaſi efflagitet tantæ acerbitatis peſtilentiæ. Sic enim dicit: ἐπιζητούσης δὲ τῆς ἱστορίας περὶ τὴν νόσον δεινότητος αἰτίαν, ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐκθέσθαι ταῦτα. προγεγενημένων ἐν τῷ χειμῶνι μεγάλων ὄμβρων, συνέβη τὴν γῆν ἔνυδρον γενέσθαι, πολλοὺς δὲ καὶ τῶν κοίλων τόπων δεξαμένους πλῆθος ὑδάτων, λιμνάσαι, καὶ σχεῖν στατὸν ὕδωρ παραπλησίως τοῖς ἑλώδεσι τῶν τόπων, θερμαινομένων δὲ ἐν τῷ θέρει τούτων καὶ σηπομένων συνίστασθαι παχείας, καὶ δυσώδεις ἀτμίδας, ταύτας δὲ ἀναθυμιωμένας διαφθείρειν τὸν πλησίον ἀέρα, ὅπερ δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἑλῶν τῶν νοσώδη διάθεσιν ἐχόντων ὁρᾶται γινόμενον. συνεβάλετο δὲ πρὸς τὴν νόσον, καὶ ἡ τῆς προσφερομένης τροφῆς κακία. ἐγένοντο γὰρ οἱ καρποὶ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἔνυγροι παντελῶς, καὶ διεφθαρμένην ἔχοντες τὴν φύσιν. τρίτην δὲ αἰτίαν συνέβη γενέσθαι τῆς νόσου, τὸ μὴ πνεῦσαι τοὺς ἐτησίας, δι' ὧν ἀεὶ κατὰ τὸ θέρος ψύχεται τὸ πολὺ τοῦ καύματος, τῆς δὲ θερμασίας ἐπίτασιν λαβούσης, καὶ τοῦ ἀέρος ἐμπύρου γινομένου τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων μηδεμιᾶς ψύξεως γινομένης, λυμαίνεσθαι συνέβαινεν. διὸ καὶ τὰ νοσήματα τότε πάντα καυματώδη συνέβαινεν εἶναι, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θερμασίας, ideſt, Cum uerò requirat, & efflagitet hiſtoria, quæ fuerit tanti morbi acerbitatis cauſa, neceſſe eſt hæc digreſſum exponere. Cum ergo præceſſiſſent hyeme magni imbres, contigit terram humidiorē fieri, & multa locis cauis accepta aquarum ui paludeſcere, & continere ſtantem aquam, non ſecus, ac loci paluſtres: his uerò calefactis per æſtatem, & putreſcentibus conſurgere denſos, & fœtidos uapores, qui exhalantes uicinum aerem corrumpebant: quod etiam in paludibus morboſam retinentibus diſpoſitionem uidetur accidere: adiuuabat uerò morbum, & oblati cibi malitia: fuerūt enim fructus eo anno humidi omnino, & corrupta præditi ſubſtantia. Tertiam rurſus cauſam contigit accedere, quòd non flarunt Eteſiæ, per quos ſemper in æſtate refrigeratur uis caloris: æſtu uerò incrementū ſuſcipiente, & aere inflammato corpora hominū nulla perfrigeratione recreata contigit uexari, & corrūpi: quare morbi tūc omnes fuere inflāmatorij, propter caloris exceſſum. Videtis ne auditores, quid acciderit Diodoro? profectò, dum uult Philoſophi, Medici, & Aſtrologi ſibi laudē, & famā conciliare

ciliare, indagandis causis ex illorum artibus, tantum abest, ut illas sibi uendicet, & acquirat, ut etiam propriam, quæ erat Historici, amittat. In hoc uitium non defuerunt ex latinis etiam qui inciderent, sed maxime omnium Ammianus Marcellinus, Paulus quidem Orosius lib. 3. etiam ipse penè lapsus est, sed eum adamata ubiq; breuitas minus culpæ esse fecit affinem, qui ita capite sexto. Anno ab urbe condita, CCCLXXXIIII. L. Genucio, & Q. Seruilio cõsulibus, ingens uniuersam Romam pestilentia corripuit, non (ut assolet) plus, minusve solito temporum turbata temperies, hoc est aut intempestiua siccitas hiemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æstatis, vel autumni diuitis indigesta illecebra, insuper etiam expirata de calabris saltibus aura corrumpens repentinos acutarum infirmitatum afferret transcursus, sed grauis, diuturna, in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium tabe confecit: sed audite Ammianum Marcellinum, quam imprudenter, ne dicam fatue, ad hunc scopulum impingat, qui ita lib. 19. (integrum locum afferam, licet longiusculum, ut res planius intelligatur.) Sanguinibus ademptis, & parentibus in Ciuitate, vbi sparsorum per vias cadauerum multitudo humandi officia superaret, pestilentia tot malis accessit, verminātium corporum lue tabifica vaporatis æstibus, varioq; languore nutrita. Quæ genera morborum, unde oriri soleāt breuiter explicabo. Nimietatem frigoris, aut caloris, uel humoris, vel siccitatis pestilentias gignere philosophi, & illustres medici tradiderunt, unde accolentes loca palustria, uel humectata est iocularis casus, & similia perferunt, contra cōfines caloribus tempore febrium arescentes, sed quanto ignis materies cæteris est efficacior, tanto ad perimendum celerior siccitas. Hinc cum decennali bello græcia desudaret, ne peregrinus pœnas dissociati regalis matrimonij luctaretur, huiusmodi grassata pernitie telis Apollinis periere complures, qui sol æstimatur atque, ut Thucydides exponit, clades illa, quæ Peloponnesiaci belli principijs Athenienses, acerbo genere morbi vexauit, ab usque feruenti Aethiopiæ plaga paulatim proserpens atticam occupauit. Alijs placet auras, vt solent aqua vitiata fœtore cadauerum, uel similibus salubritatis uiolare maximam partem, uel certe aeris

Paul' Orosius culpæ affinis.

Ammianus Marcellinus maxime omnium incidit in hoc vitiũ.

permutationem subitam ęgritudines parere leuiores. Affirmant etiam aliqui terrarum halitu densiore crassatum aera emittendis corporis spiraminibus resistentem necare nonnullos, qua causa animalia præter homines cętera iugiter prona (Homero auctore, & experimentis deinceps multis) cum talis incesserit labor, ante nouimus interire; & prima species luis Pandemos appellatur, quæ efficit in aridioribus locis agentes caloribus crebris interpellari; secunda Epidemos, quo tempore ingruens aciē hebetat luminū, & concitat periculosos humores. tertia Lœmodes, quę itidē tēporaria est, sed volucri velocitate lætabilis, hac exitiali peste quasi fati, paucis intemperanti æstu consumptis, quos multitudo augebat, tandem nocte, quæ diem consecuta est decimum, exiguis imbribus disiecto concreto spiritu, & crassato sospitas retenta est corporum firma. Nō uidetis ipsa luce clarius, quam pueriliter, ne dicam inepte philosophetur, & medicū agat, historicā vero laudem omnino fugiat, & in reprehensionem iustissimam incurrat?

Καὶ ἰατρός, Et Medicus] non temere ex hoc loco fortasse possit aliquis suspicari auctorem nostrum significare tacite, & innuere Hippocratem, qui cum eodem tempore floruerit, de eadem peste scripsit in 3. Epid. vbi cum alias causas pestis afferat, nempe constitutiones aeris, tamquam medicus; & artifex pestilentiæ causas proximas, uerasque persequitur. Eum uero proprio nomine non appellat, uel dignitatis causa; cum per excellentiam Medicus appellari fortasse consueuisset, cum vbique ab illius æui scriptoribus, & mox etiam à Galeno, & cæteris medicis medicorum Princeps, Dux, & auctor medicinæ, magister & artifex, Senex ēt per excellen. dicatur, ut quam plurimis in locis Galenus; quo maxime nomine medicus intelligitur, qui senex esse debet: quare Auicennas hoc se titulo ornauit in Canone, cū secundum versionem Alatini Hebræi medici, hominis eruditissimi, apud quem manuscriptus extat codex Auicennæ ex Arabica in hebræam linguam conuersus à Rabi Moyse Aegyptio, quem mihi ille ostendit, ita sit titulus. Inquit senex, Princeps, philosophus, Aboali senæ filius: ubi est uerbum Hebræum ישש i. Iasis, quod decrepitū, & senē significat. In quo videmus tria vocabula adhibita ad suam laudem ab

Hippocrates tacite significatus à Thucydide in verbo Medicus.

Primo de nat. facul. 3. de decretis.

Aui-

Auicenna, quę fuere attributa Hippocrati, quòd scilicet, esset senex, idest, medicus, Princeps medicorum, & sectę rationalis Dux, & etiam philosophus, vel fortasse (ut in orbem propositi redeamus, illius nomen tacuit, quòd esset aliqua (vt fit gloriolæ causa inter literatos interdũ) simultas, & inuidẽtia aduersus Hipp. vel postremo ne si nominasset, cogeretur à proposito orationis cursu deflectere, & celebrare coronam illi hac de causa decretam à Senatu, & cęteros honores illi habitos, quos fortasse non ita vere promeritum iudicaret, cum dicat nihil profuisse medicos, aut medicamẽta adhibita in hac peste, quæ sane res (ne mentiar) valde me perturbat, cum nesciam vtri fides sit habenda: nam si vera fuit historia, quòd Hippocrates Athenas à peste (vt dicitur) liberarit, cur id silentio præterijt tacitus Thucydides? imò contra nihil profuisse palã fatetur medicamẽta? si verò non fuit verum, cur coronatus Hippocrates, vt testantur decretum Atheniensium, & alia veterum testimonia à nobis alibi laudata? sed conciliari hæc pugnantia inter se possunt, ut dicamus, ab initio nihil profuisse medicos, & medicamenta, ut inquit Thucydides, in progressu vero morbi iam ad solutionem suapte natura properãtis, cũ ex eius doctrina 2. aph. 30. περὶ τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστατα, περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς ἰσχυρότατα i. circa principia, & fines omnia imbecilliora, circa vigores fortissima, indagata causa aggressum Hippocratem curationem, & ita assecutum coronam adeptum; quod tamen, cum non tam remedio medici, quam cessantis iam ac defessi morbi naturæ, quæ medicamenta iam admitteret, tribuendum iudicaret Thucydides, ut philosophus nullã fecit neque remedij adhibiti, neque coronati Hippocratis mentionem, quam rem nobis præclare ob oculos proponit Paulus Orosius lib. 5. cap. 4. vbi de peste illa agens ait, quæ tamen sine vllis sacrificiorum satisfactionibus tantummodo secundum mensuram arcani iudicij expleta correptione sedata est. Quam si artifices illi circumuentionum Aruspices, sub ipsa (vt assolẽt) declinatione morborum forte celebrassent, proculdubio sibi Dijs, & ritibus suis reductæ sanitatis gloriã vindicassent, de hoc plura infra afferentur, cum locum explicabimus Thucydidis, vbi dicit nullum fuisse inuentum remedium eò enim spectat hæc quæstio, Præterea remedium

Cur apertã non fecerit Hippocratis, & illius curę mentionem Thucydides.

illud Hippocraticum non profuit ſubito, ſed multarum heb domadum, ac menſium ſpatio, vt varijs coniecturis aſſequi poſſumus, & recte teſtatur Ludouicus Paſinus in libello de peſte Patauina, & propterea Thucydides, qui erat vir præſtantiſſimus, & medicæ etiam artis (vt ex hac ipſa narratione colligitur) non ignarus, noluit more hominum vulgariũ, id tribuere medicis, quod referri poſſet acceptum beneficio temporis, quod aerem ab inquinamentis illis iam expurgaſſet tanto adhibito ſpatio, peſtis enim ita eſt comparata natura, vt biennio, aut ad ſummum triennio perduret, & vires paulatim amittat, adeo ut medici ſignum hoc pathognomonicum habeant abeuntis, ac recedentis peſtis, cum plures conualeſcunt, atq; medicamenta proſunt adhibita, quæ initijs non profuerant, vulgus vero hominum ignarum, & rude penitus ac integrum à philoſophiæ, & medicinę penetralibus, quæ docent occultas rerum cognoſcere cauſas, ſæpe quæ ſunt naturæ vincentis beneficio aſſecuti, medicorum ſolertiæ, atque leuiſſimis plerumque remedijs accepta referunt, quare fortunatum eſſe debere medicũ omnes paſſim prædicant, vt ſcilicet alieno labore ac opera parta gloria in ipſum transferatur à vulgo, quod quotidie fieri videmus: quid plura? ſumamus exempla ex noſtris peſtilentijs: quot ſunt Empirici, qui tempore præteritæ peſtilentiæ præmia ſunt à Senatu Veneto adepti, quod ſecreta quędam, & abdita remedia habere profiterentur ad euitandam peſtem? viuit adhuc quidam, annuo honorario, quoad ſpiritum duxerit, decreto Senatus cohoneſtatus, cuius tñ nemo medicus, nullus faciet hiſtoricus mentionem: quia ſcilicet, docti hæc nugas putant, & ſexcenta ſciunt huiuſmodi extare remedia, quæ tamen ſi vni occulta aliqua ratione, vel temperamenti, vel ſympathiæ, aut antipathiæ proſunt, cæteris non item. Paſinus in libello paulo ante à me citato reprehendit nonnullos, qui gloriarentur ſe Ciuitates quamplures ſuffumigijs, Hippocratis more, à peſte liberaſſe. quorum tamen nulla fit mentio apud Hiſtoricos. eius hęc ſunt uerba, quę libet recitare, licet non ſit magni auctor ponderis. nonnulli peſtiferi ſunt ore rotundo aſſerentes multas ciuitates à peſte liberaſſe cum ſuis ſuffumigijs. Rhodon, ſcilicet, ac Conſtantinopolim, multaq; experimenta ibi feciſſe, quòd ſi uera ſunt

no-

norunt Antipodes: Accedit ad hęc, quòd non solus Hippocrates hoc remedium adhibuit, sed alij quoque, vt Acron Agrigentinus, Empedocles, Iachen Aegyptius & alij, qui eandem sibi gloriam & laudem vendicabant, quę tribuebatur Hippocrati, quę omnia mihi facile persuadet ipsa Hippocratis viri ingenui modestia, qui nusquam (quòd legerim) facit huius medicinę adhibitę mentionem, quę si vera, ac legitime adhibita fuisset, uel saltem non controuersa, & cum alijs communis, profectò (ut est humana natura gloriolæ imprimis cupida) alicubi meminisset. Dici præterea potest, quòd Thucydides ab instituto suo, & more non recesserit, qui res uel dubias, vel parũ certas, & exploratas, aut quę sibi non ita uideantur, frequenter omittit, uel unico uerbo iniecto à longe significat, & innuit, ut in hanc ipsa pestis descriptione, cũ nullam fecit de Delo expiata pestis causa ex oraculi monitu mentionem, sed tantum addito uerbo oraculorũ, tacite id significauit, vel etiam dicendum Hippocratis hoc remedium adhibitum nisi tertio anno, cum reuersa pestis est, ipse uero Thucydides narrat primę pestis, quę biennium permansit, symptomata, quoniam & Deli expiatio, ut supra ostendimus, eo tempore facta est, primis uero temporibus, idest, illo biennio non fuerat Athenis Hippocrates, sed per alias regiones gręcię fortasse peregrinabat, pestes depellẽs, ut eum fecisse constat, ex quo collecta fama, & auctoritate, cum Athenienses denuo peste laborarent, eum accersiuerunt, & depulsa peste postea coronatus.

ἰδιώτης. idiota.] proprie dicitur is qui ex aduerso respondet intelligenti, & scienti, & τῷ τεχνίτῃ. idest, artifici, quod eleganter ostendit Galenus in libro de diæta, contextu primo, vbi ita definit, εὑρίσκομεν παρὰ τοῖς ἕλλησιν ἰδιώτας ὀνομαζομένους οὐχ ἁπλῶς, ἀλλ' ἐν τῷ πρός τι. τὸν μὲν γάρ τινα λέγουσιν ἰδιώτην εἶναι τῆς δὲ τῆς τέχνης, τὸν δέ τινα τοῦ δὲ τοῦ ἐπιτηδεύματος. idest, inuenimus apud græcos idiotas nuncupatos non simpliciter, sed in comparatione ad aliquid, nam aliquem dicimus idiotam huius artis, alium illius dogmatis, licet ibidem afferat significare etiã, τοὺς ἰδιοπραγοῦντας, idest, rem suam priuatim agentes, vt distinguantur ab his, qui publicas personas sustinent, & magistratus gerunt, quare etiam auctor etymologici: hæc duo signa proponit, ὁ πολίτης, καὶ ὁ ἄπειρος. idest, ciuis

Idiota qs sit.

uis priuatus, & iexpertus: quare recte opposuit medico Thucydides idiotam, non tamen per idiotam intelligendus est quilibet agrestis, & plebeius, sed qui prudentia aliqua, & rerum vsu sit præditus, doctrina tamen & eruditione careat. ita enim intelligendum dicit Galenus in commentario tertio, in tertium prorrhe. cont. 32. vbi dicit, cum dicitur idiotę, non esse intelligendum de his qui sint, παντάπασιν ἠλίθιοι, idest omnino stolidi, sed ἀδιανοήτους, quidem, idest, ineruditos, sed tamen φύσει συνετούς, i. natura prudentes, sin minus saltem μὴ νωθροὺς τὴν διάνοιαν, idest non hebetes mente: sic fere semper opponit, & obducit medico Galenus idiotam, ut de præsagitione ex pulsu in illa peste sui temporis dicit multos medicos deprehensos ob inexperiētiam, ἰδιώταις ὁμοίους. idest, similes idiotis, vel etiam πολὺ χείρους ἰδιώτου συνετοῦ, idest, multo inferiores idiota prudenti, sic vbi cōparat Hippocratem Thucydidi in describenda peste, Thucydidem vocat idiotam, idest, ignarum artis medicæ, vel non profitentē artem medicam, quamuis eam fortasse calleret, & esset alioqui uir eruditissimus: nam & περὶ δυσπνοίας, vbi Hippoc. & Thucydidis narrationis genus in describēda peste perpēdit, ita ait. Θουκυδίδης μὲν καὶ τὰ συμβάντα τοῖς νοσοῦσιν, ὡς ἰδιώτης ἰδιώταις ἔγραφεν, ἱπποκράτης δὲ, ὡς τεχνίτης τεχνίταις, i. Thucydides etenim, quæ euenerunt ægrotis, ut idiota idiotis scripsit, Hipppocrates vero, ut artifex artificibus, cuius loci Galenici auctoritate, hoc loco fortasse nō male interpretabimur historicum, ut dicat, siue historicus sit, siue medicus, qui persequatur pestium symptomata, & in 5. commentario, in 6. epid. Hipp. com. 14. vbi de bilis disputat differētijs rursus opponit idiotā medico, ait enim ἰώδη δὲ, καὶ μέλαιναν χολὴν, οὔτ' ἰατρός τις οὔτ' ἰδιώτης ὀνόμασεν ἄνευ προσθήκης, idest, ęruginosā vero, & nigram bilem, neq; medicus quispiam, nec idiota appellauit sine adiūctione, & ipse etiam Hippocrates idem facit frequenter, sic libello de flatibus, περὶ φυσῶν. vbi dicit in medicina reperiri, τὰ φλαῦρα, & τὰ σπουδαῖα, idest, mala seu errata, & recte facta, ταύτης δὲ τῆς τέχνης τὰ μὲν φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι τὰ δὲ σπουδαῖα ῥήϊδιον, καὶ τὰ μὲν φλαῦρα τοῖσιν ἰητροῖσι, καὶ οὐ τοῖσιν ἰδιώτῃσιν, idest, huius uero artis mala difficile cognoscere, bona uero facile: & mala medicis, non, idiotis: quia, scilicet, ἰατρὸς ὁ ἐπιστήμων, idest, medicus sciens (vt ait Sui-

das) non est ὁ ἰώμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τὴν αἰτίαν, καθ' ἣν ἰᾶται γνωρίζων, idest, qui sanat tantum, sed qui simul causam propter quam sanat, cognoscit.

ἀφ' ὅτου εἰκὸς ἦν. à quo verisimile sit] scholiastes grecus interpretatur ἀφ' ἧς αἰτίας, idest, à qua causa; non male quidẽ, sed cum mox subiũgat uerbum causas αἰτίας, auctor noster uidetur uelle aliquid inter hęc duo interesse, ut scilicet, hoc referatur ad idiotam, causa uero ad medicum: & ideo addit uerbum εἰκός, idest, probabile, seu uerisimile, quia hoc maxime sectantur idiotę, qualis fuit illa suspitio paulo ante memorata Atheniensium existimantium fuisse puteos infectos ueneno à Peloponnesijs; in vulgus enim frequenter, & facile disseminantur tali tempore rumores, qui uarijs rebus ex probabili coniectura, causas tribuunt: sic apud Liuium in illa peste, quę subsecuta Manlij supplicium, cum nullus neq; modus, nec finis inueniretur, ex Manliano supplicio ortam cępit vulgus dictitare, sic nostra memoria in proxima peste, de qua scripsere Mercurialis, & Massaria, dicit Massaria anno bissextili temere, & penè stolidè causam pestis assignatam à nonnullis: quare etiam dęmones in responsis, cũ volebant populis imponere consulentibus, aliquam huiusmodi causam probabilem, & euidentem respondebant fuisse pestis, ut in oraculis superius à nobis memoratis potestis uidere, quod notat etiam D. Augustinus libro 3. de Ciu. Dei capit. 17. ubi dicit ex libris sybillinis consultis: Tunc ergo dictum eam esse causam pestilentię, quòd plurimas ędes sacras multi occupatas priuatim tenerent, quod ibi irridet ipse Augustinus.

Tempore pestis rumores disseminãtur in vulgus varijs rebus causã assignãtes

αὐτό. Ipsum] Ipsum, scilicet, malum, nam licet referri possit ad λοιμόν, idest, pestem, & esse atticismus à nobis supra notatus, coniungendi neutrum cum fœmineo, tamen cum paulo ante sit usus uerbo κακοῦ νικώμενοι, idest, à malo uicti, ad illud hæc sunt referenda, ut etiam illud, περὶ αὐτοῦ, de ipso, scilicet, malo, quo uerbo pestem significauit, ex quo cum præcedat statim uerbum illud, ἤρξατο, facilis fuit lapsus Demetrio, ut scriptum putaret, ἤρξατο δὲ τὸ κακόν, idest, incępit uero malum, de quo supra dictum est.

αἰτίας. Causas.] Causas pestis in proœmio, & præfatione nostra exposuimus, quasi (ut Galeni utar uerbis de Thucydi

de)

de) idiotę idiotis, idest, rei medicę fortasse ignaris, sed tamē doctis, & eruditis omni disciplina liberali, amicis, qui interfuere; nunc cum uos adsitis, quorum magna pars estis medici, non pauci uero tales potestate, qui breui futuri estis medici, & à me ueluti medico medicas causas medica explicatas methodo desideretis, paucis, de causis pestis medica ratione indagatis agendum. Medici igitur plures rerum causas statuunt à philosophis mutuatas, & potissimum Galenus 6. de ysup. vbi ponit causam, cuius ratione fit aliquid; à quo, ex quo, per quod, & quale: sed cum de rebus pręter naturam appellatis fiūt ab ipsis uerba, quæ partiuntur in tria, morbum, morbi causam, & symptoma, semper de causa ea intelligūt, quæ dicitur ποιητικὸν αἴτιον, siue δραστικόν, idest, efficiens morbi causa. Hanc omnes fere partiti postea sunt in tres nempe procatarcticas, antecedentes, & continentes, siue cōiunctas: de quibus magnæ sunt ortæ inter medicos sæpe controuersiæ, & primum de procatarcticis non defuere, qui eas conati sint euertere, ac de medio tollere, ut nonnulli sophistæ, quorum meminit Galenus in libello de his ipsis causis, de continenti uero causa, multiplex, & uaria fuit controuersia, atq; quæstio, primum enim nomen ipsum, συνεκτικόν, & res, teste Galeno contra Iulianum, Stoicorum fuit inuentum, deinde in medicinam inuectum ab Athenæo medico Pneumaticæ sectę auctore, qui Posidonium stoicum diu audiuerat, & ab eo imbutus hac opinione fuerat, quam deinceps exceperunt Methodici, qui etiam eo abusi, cum rationalibus, & dogmaticis medicis diu contenderunt, quę controuersia cū diu quasi sopita conquieuisset, ab Arabibus denuo est excitata, & potissimum Auicenna, cuius dogmata superioris ętatis medici consectati propugnationem illius sententiæ susceperunt. Galenicis contra medicis repugnantibus. Videndum igitur, quæ sint pestis causæ secundum hæc tria genera, quæ prius explicanda, & quomodo intelligenda declarandū. Procatarcticas igitur causas vocant, quæ extra corpus adueniunt, & omnibus sunt quasi in propatulo, non solum medicis, sed etiam idiotis, & ideo manifestę etiam vocantur, & euidentes, & externæ, à recentioribus etiam primitiuæ, ut si dicamus pestis causam fuisse iram Dei per angelos significatam, si astrorum coniunctiones, si ventorum perspiratio-

Causarū genera plura apud Medicos.

Efficiētis causę species tres.

Procatarcticæ causæ, q̄ sint.

nes, & flabra à locis pestilentibus, si aeris diuersas intemperies, & vitia, siue constitutiones vitiosas, si famem, si cadauerum mortuorum, insepultorumq; putredinem, si aquarum uitium, aut cloacæ putrescentis vapores, & flatus ex charonijs locis prodeuntes. Antecedentes causæ sunt, græcis dictę προηγούμεναι, quæ abditæ sunt, & idiotis ignotæ, medicis vero, & artificibus exploratæ, quare etiã appellãtur abditæ (vt Celsus, qui partitur causas morborum in abditas, & euidentes) & internæ, quia in nobis ortum habent, & hæ duæ sunt ex Galeno in antedicto loco, & pluribus alijs nempe πληθώρα, & κακοχυμία, quæ ambo plenitudines dici possunt, sed altera κατὰ ἔγχυμα altera κατὰ τὴν δύναμιν. i. secundum facultatem, alij his duabus addunt tertiam, nempe obstructionẽ, & ἔμφραξιν, & eius sociam, ac pedissequam prohibitam transpirationem, nõnulli etiam addunt imbecillitatem virtutis rectricis in toto corpore, nam hęc malos coaceruat succos, qui deinde facile putrescẽtes pestis esse causa possunt: quare facillime corripiunt humida corpora, & ita affecta. Arabes, & Auicennas antecedentes causas eas uocant, quę nondum actu efficiũt morbum: quia remotiores, easdem vero etiam esse posse credunt continentes, cum propius accedunt, cum proxime, ac immediate faciunt morbum, quare ab his etiã dicũtur proximæ, & immediatæ causę, quare morbos præcedunt antecedentes natura, & tempore, contentiuæ siue coniunctæ, & continentes tantum natura, ut uerbi gratia, uitiosus humor in corpore intra uenas, uel in corde delitescens, est causa antecedens pestilentię, ubi uero iam cępit putrescere, & efficit pestem, tunc transit in coniunctam, quę ita definitur, ut ea pręsente dicatur adesse morbus, ea sublata ablatus, & hęc est causa, de qua est controuersia in Galeni doctrina, an detur, quod uidetur esse maxime dubium, nisi quis adhibeat distinctionem: nam negari non potest Galenũ frequentissimam fecisse, & apertissimã de hac causa vbiq; mentionem, sed in libello contra Iulianũ, ubi ex propria loquitur sententia, dicit se usum interdũ eo uocabulo cõtinentis causæ, ne uidereť contentiosus, & sophista, qui uellet de uerbis disputare, atq; contendere; non tñ eo modo, quo illi, fatetur se intelligere, sed cũ quadã limitatione, in illis nimirum, quę fiũt, & quatenus fiũt, & quorũ essentia est, in trãsmutatione

Antecedẽtes causæ quæ sint.

Causæ cõtinẽtes siue coniunctę.

Quomodo in Galeni doctrina detur causa coniuncta.

&

&,qui dicitur morbus fiens,non factus ab his,qui Auicennę & Arabum ſententiam defendunt, qui tamen non eſt vere morbus, niſi ſecundum quid: non ſecus ac ſi quis ſemen tritici iactum in terram dicat eſſe triticũ, vel fœtus in corpore, nondũ animatus ratione,dicatur homo: nam proprie morbus is definitur ab eodem de ſimpli. & 1.& 2.methodi,& alibi affectus διάθεσις animati corporis: primum, & proxime actiones lædens. In qua definitione primo ſciendum,quòd diatheſis intelligitur affectus iam permanens, & fixus, qui etiam remota cauſa perduret,nam differt à πάθος, quod paſſio eſt,& affectio in motu,& tranſmutatione,quæ deſinente motu, & ablata cauſa tollitur,vel tranſit in διάθεσιν,& in hoc poteſt dari cauſa coniuncta, & quia nonnullæ ſunt cauſæ, & ſymptomata,quę dici quodãmodo διάθεσις poſſunt,vt in genere mutatę qualitatis ſępe cõtingit,πάθος verò ferè ſemper poſſunt appellari: ideo addidit, quòd proxime,& immediate lædat actiones, quod non poteſt conuenire, neque ſymptomati,neque cauſę,cum non lędant actiones,niſi morbo medio:quare neceſſaria quidem cauſa coniunctæ ratio in actionibus, & omnia ſymptomata habent cauſam coniunctam; morbi verò nequaquam: præterea cum duæ fuerint apud veteres medicorum ſectæ,altera,quæ morbum definiebat actionem læſam,& hæc neceſſario cauſam ponit cõiunctam morbi,cum alioqui tolli nequeat,niſi ablata cauſa; altera ponebat morbum eſſe affectum viuentis particulæ per tranſmutationem illius in eam inuectum, qui deinde lædit actiones primo,& ita definientibus morbum (in quo numero ſe profitetur eſſe Galenus) non eſt neceſſaria cauſa coniuncta, ſed ſufficit antecedens; quod probatur ex multis Ga ni locis,vt in arte medicinali,parte tertia, vbi dicitur morbũ factum remoueri per ſuum contrarium, morbum futurum per cauſæ abſciſſionem,neque audiendi ſunt Haly, & alij ſectatores,qui etiam in factis morbis cauſam aliquam morbũ fouentem, aut conſeruantem ſtatuunt, inter quos etiam eſt Argenterius, qui putat omnino dari, & vel ex ipſius Galeni loco in arte medicinali oſtendi. Et cauſam hanc putat eſſe ipſam morbi formalem. De qua re pluribus etiam diſputat lib.1.de cauſis,cap.9.vbi nominatim,& ex induſtria de cauſa cõiuncta agit, & nititur probare ex multis Galeni locis eam

2.Meth. cap.3.

ab

ab ipso propositam, & intellectam, licet in hoc illum fuisse varium, & inconstantem fateatur. Sed de hac quæstione videndi sunt Trincauelius in epist. 8. 9. & 10. Saluius Sclanus in Aphor. 21. & in arte medicinali, cont. 24. & M. Antonius Montisianus quæst. 5. 6. 7. 8. & 9. & alij, qui ex industria de hac re disputant.

Causa cõiuncta pestis.

Qui verò hanc statuunt, causam cõiunctam pestis esse dicunt, fuliginosam putredinem, inter quam & pestem nihil medium intercedat, vel id, quod primo adueniens corpori pestem efficit, vel tandem humorem, ac succum prauum, venenata qualitate infectũ in corde, vel circa cor putrescentem, & fuligine deinde, ac vapore corpus vniuersum maculantem. Sauonarola dicit causam cõiunctam esse vaporem putridũ ab aere attracto putrefacto, vt quasi semper sit venenatus. Eustachius Rudius vir doctissimus, mihiq; coniunctissimus, lib. 3. cap. 30. de febre pestilenti, dicit contentiuam pestilentiũ febrium causam rei venenatæ putredidem esse, quæ cor lacescat. Alij insignem putredinem humorum, vel omnium, vel singulorum in corde, vel partibus illis consentientibus putrescentium tam insigniter, vt veneni vires acquirant. Inter quos videtur esse etiã Massarias in suis Academicis prælectionibus, Gerardus Columba, qui nuper edidit duos libros disputationum medicarum de febre pestilenti, vbi etiam Rudij sententiam superius positam, vt aliorũ omnium ferè nostra tempestate principum medicorum exagitat lib. 1. cap. 30. ait, essentiam febris pestilentis constituit venenum, vt causa coniuncta, & mutatio venenata, & à tota substantia: quo etiam capite explodit Horatij Augenij viri ornatissimi opinionem, qui dicebat in epistolis corruptionẽ substantiarum facere pestilentiam, & eius essentiam, characterismumq; constituere, ad quam aiebat peruenire humanum corpus, præcedente putredine, vt dispositione: vtrũque enim simul contineri in febre pestilenti putredinem, dico simul & corruptionem, & mox cap. 31. idem repetit dicens venenum esse characterismum febris pestilentis; putredinem verò esse vt dispositionem.

Lib. 4. epistola 1.

Suspectus de mendo iste cõtextus Thucydidis.

ἱκανὰς εἶναι, Idoneas.] Hoc in loco Henricus Steph. non immerito de mendo suspicatur: cum repetita superuacaneo videantur eadem verba. Ita enim ipse hoc in loco. Vix mi-

hi

hi persuadere possum, Thucydidem locum hūc ita scripsisse. His enim verbis contentus esse poterat: ὥς τινὰς νομίζειν τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι, aut certe his, ὥς τινὰς νομίζειν τοσαύτης μεταβολῆς δύναμιν σχεῖν. Quid enim his verbis, ἐς τὸ μεταστῆσαι post genitiuum τῆς μεταβολῆς opus est? nam certe ipse Scholiastes μεταστῆσαι alio verbo, quàm μεταβαλεῖν nobis nō exposuit. Hæc Henricus Stephanus; cuius coniectura alia adhuc quoque probari potest à ratione minime dissentanea, quòd scilicet illa verba, δύναμιν εἰς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν, fuerint glossema alicuius Grammatici in margine positum ad explicandam illorum verborum sententiam τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι, quę postea ab aliquo imperito Librario fuerint in contextu Thucydidis introducta, & descripta. Quod in quamplurimis locis in omnibus bonis auctoribus euenisse passim docti annotant Interpretes, & potissimum in Aristotele. Vel si velimus retinere lectionem, & Thucydidis esse defendere, quod non videtur à ratione alienū. Possumus dicere illud εἶναι abundare, & παρέλκειν, seu πλεονάζειν positū tamē ornatus gratia, quod fieri interdum consueuisse apud Atticos ipsemet testatur Henricus de hoc ipso verbo, art. 29. suarum animaduersionum, in lib. de dial. Corinthi, quod frequentissime esse apud Thucydidem testatur idem Corinthus, ita ipso legente Henrico in exemplo illius Atticismi, ὡς καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ πανταχοῦ μὲν, μάλιστα δὲ ἐν τῇ ὀγδόῃ, οἷον ἐστὶ κἀκεῖνο, καὶ τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι, &c. idest, Vt & apud Thucydidem passim quidem, sed præcipuè in octauo, vt & illud, τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι. Qui plura exempla huius Atticismi desiderat, legat ipsum Henricum in eo loco, & mox plura in sua Appendice in 1. cap. vbi multa verba ita superuacaneo ab Atticis collocata in Syntaxi orationis ostendit, vt etiam φάναι, εἰπεῖν, &c. vel dici etiam potest prætermissam coniunctionis particulam καὶ, &c, reponendam ante verbum ἱκανὰς, quasi σαφηνισμὸν, & declarationem antedictæ sententiæ: hoc verò apud probatissimos auctores, tam Græcos, quàm Latinos esse frequentissimum, nos alibi demonstrauimus, ut scilicet hæc coniunctionis particula desideretur. Aemilius Portus in Appendice ad Patris Commentaria, Syntaxim quandam, & ordinem in his uerbis conatur expiscari, & ita construit, καὶ τὰς αἰτίας τοσαύτης μεταβολῆς, ὥς τινας νομίζειν ἱκανὰς εἶναι

δύναμιν

δύναμιν σχεῖν εἰς τὸ μεταστῆσαι. Additq; mox: Hæc est uerborum series. Duriuscula quidem syntaxis, sed si retinēda hęc lectio, non contemnenda. Verum si uelimus retinere lectionem, & tueri eam esse integram, & ita à Thucydide scriptã, & esse germanam Thucydidis, qui obscuritatem cum breuitate coniunctã adamauit, neque subesse vllum mendum, nihil aut deficere, aut abundare, à superioribus inchoanda syntaxis, atque structura ita, ἀφ' ὅτου, à quo scilicet loco (quia fortasse non omnes consentiebant ab Aethiopia dissemina tã, & ipse nō affirmauit, sed veluti dubium ptoposuit dicens (vt dicitur) quod nobis significat Lucretius, qui nō ab Aethiopia, sed ab Aegypto tantum ortam proponit) εἰκὸς ἦν γενέσθαι αὐτὸ, καὶ τὰς αἰτίας (supple εἰκὸς ἦν) δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσαι σχεῖν. Illa verò verba per parenthesim, & παρεμβολὴν interiectionem sint posita ἅστινας νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς ἱκανὰς εἶναι, vt duo proponat dicenda & locum, à quo ortam esse probabile sit, & vim, quã probabile sit accepisse ad tantam inducendam rerum permutationē; causas, quęcūque illæ sint, quas quisque arbitraretur fuisse ad hoc idoneas, vel ἀφ' ὅτου repetendum, à quo scilicet vel Deo, vel causa materiali, siue veneno, vel intus genito, vel foris iniecto, probabile sit causas istas facultatem adeptas tantæ faciendæ stragis, & hanc puto germanã esse syntaxim, & nullũ subesse mendũ.

Germana Syntaxis huius contextus, & sensus, integra seruata lectione.

ἐγὼ δ' ἐοῖον τε ἐγίγνετο, Ego verò qualis fuerit.] Ex his Thucydidis verbis colligo duas esse præcipuas Historiæ leges. Primum ut res, prout sunt gestę, explicentur, & una sit facti ueritas proposita, quam maxime professus est Thucydides; & ideo cum quadam emphasi uidentur hæc uerba prolata; quare etiam Cicero in 2. de Orat. ita ait: Quis nescit primã esse Historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid uere non audeat, ne qua suspitio gratię sit in scribēdo, ne qua simultatis? Quæ omnia capita una illa lege cōtinentur exponendi rem, prout gesta est, quod se facturum hoc loco pollicetur Thucydides. Lucianus de conscribenda Historia, id etiam animaduertit, qui ita pronuntiat, τοῦ δ' ἡ συγγραφέως ἔργον ἕν, ὡς ἐπράχθη, εἰπεῖν, ideſt, Historici munus unum est, res, prout gestæ sunt, dicere, & sæpissime in eo libello facit mentionem huius legis, ut præ rebus omnibus propositã habeat ueritatem: paulò enim post inquit: ἓν γὰρ ὡς ἔφην τὸ ἴδιον

Historiæ duæ pręcipuę leges.

Prima lex est exponendi res, prout gestæ sunt.

ἴδιον ἱστορίας, καὶ μόνῃ θυτέον τῇ ἀληθείᾳ, ἄτις ἱστορίαν γράψων ἔοι, idest, Vnum hoc (vt dixi) est propriũ historię, & vni sacrificandũ veritati, si quis historiam sit conscripturus. Alteram legẽ esse ex verbis Thucydidis coniicio, vt oĩa referantur ad communem hominum utilitatem: qui enim delectationem τὸ τερπνὸν statuunt finem Historiæ, & munus, hi profectò longe à uera sententia aberrant, debet quidem concomitari, & quasi pedissequa subsequi delectatio utilitatem τὸ χρήσιμον. quod elegantissimè annotauit Lucianus, qui ita disserit: ἓν γὰρ ἔργον ἱστορίας, καὶ τέλος τὸ χρήσιμον, ὅπερ ἐκ τοῦ ἀληθοῦς μόνου συνάγεται. τὸ τερπνὸν δὲ ἄμεινον μὲν εἰ καὶ αὐτὸ παρακολουθήσειεν, ὥσπερ καὶ κάλλος ἀθλητῇ, idest, Vnicum munus historiæ, & finis est utilitas, quæ ex sola ueritate conficitur: iucundum enim melius erit, si & ipsum cõsequatur, quemadmodũ & Athletam pulchritudo. Hãc proponit Thucydides tanquã finem huius pestilentis historicæ explicationis, ut si rursum forte fortuna inciderit experientia, & usu edocti homines ex hac memoria, minus hebetes sint, & hallucinentur in ea tractanda: nam, ut superius sæpe à nobis declaratum est, medici, & reliqui homines initijs pestilentiæ solent hæsitare, propter nouitatem, & insuetudinem: quare dicit Galenus in ea peste, quę incidit suis temporibus, propter inexperientiã, medicos sui temporis fuisse ἰδιώταις ὁμοίους, idest, idiotis similes, uel etiam πολὺ χείρους ἰδιώτου συνετοῦ, idest, multo peiores idiota prudenti: sed quoniam hoc in loco aggreditur Thucydides narrationem eorum omnium, quæ ægrotis in pestilentia euenerunt, nõ erit alienum, si priusquam ad illam aggrediamur, hic afferamus Galeni de ea iudicium per comparationem cum Hippocratica, qui eandem pestem descripsit in Epidemicis, factum. Vbi cum multa tribuat Hippocrati, nihil tamen detrahit Thucydidi, sed potius ornat, quòd Historicus non medico modo, ut Hippocrates, qui artificibus scribebat, & artis mysteria uolebat explicare, sed historico more nihil eorũ, quæ cõtigissent, omnino prætermittẽs exponat: sed ipsius uerba iã audite. περὶ Ἱπποκράτους προαιρέσεως, idest, de Hippocratis consilio in scribendo. Δοκοῦσιν οἱ παλαιοὶ πάντα τὰ τοῖς νοσοῦσι συμβαίνοντα γράφειν αὐτόν, ὥσπερ καὶ τὸν Θουκυδίδην. ἔχει δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ ἐναντιώτατον ὑπάρχει τοῖς Ἱπποκράτους γράμμασι, πρὸς τὰ Θουκυδί-

Altera lex Historiæ, vt referantur omnia ad cõmunem vtilitatem.

Hippocratis, & Thucydis comparatio ex Galeno.

δους, ὁ μὲν γὰρ πάντα γράφει τὰ καὶ τοῖς ἰδιώταις γνώριμα, μηδὲν ὅλως αὐτῶν παραλιπὼν ὁ Θουκυδίδης, ὁ δὲ ἱπποκράτης ὀλίγα μὲν τούτων, ὅσα πρὸς τὴν ὅλην διάθεσιν, καθ' ἣν ἐκινδύνευσεν ὁ κάμνων, διαφέρει, πάμπολλα δὲ ἄλλα τοῖς ἰδιώταις μὲν παρεωραμένα, τεχνικὴν δὲ πάνυ, καὶ ἀκριβῆ τὴν διάγνωσιν παρεχόμενα, καὶ δυνάμενα πολλάκις καὶ αὐτοὺς τοὺς ἀρίστους ἰατροὺς λαθεῖν. οὗτος δὲ ὢν ταχὺς ἐν τῷ ἑρμηνεύειν, καὶ μηδὲν, ὅτι μὴ καὶ μεγάλως ὀνήσει, γράφειν ἀξιῶν, δόξει σοι πάλιν ἐξεστάναι τῶν οἰκείων φρενῶν, ὅταν τὰ μηδ' ὅλως γενόμενα τῷ νοσοῦντι γράφει, τοῦτο αὐτὸ προδηλῶν, ὅτι μὴ ἐγένετο. ὁ μὲν γὰρ τῶν γενομένων τὰ πλεῖστα παραλείπων οὐκ ἂν δόξειε, τοῖς μὴ γινομένοις διατρίβων παραπαίειν; ἀλλ' εἰ ἐννοήσεις, ὅτι διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν κἀκεῖνα παραλείπει, καὶ ταῦτα γράφει, τότε οἶμαί σε θαυμάσειν αὐτόν. οὐδὲ γὰρ τὸ τυχὸν, οὐδὲ εἰς τὸν τυχόντα δυνάμενον ἰατρὸν ἐλθεῖν ἐκεῖνος ἔγραψεν. ἀποδέδεικται δὲ, καὶ περὶ τούτων ἡμῖν, ἐν ἄλλοις τε πολλοῖς, καὶ δὴ κἂν τοῖς περὶ τῆς ἱπποκράτους ἀνατομῆς, οὐχ ἥκιστα δὲ κἂν τοῖς περὶ τοῦ παρὰ τοῦ Θουκυδίδους λοιμοῦ, id est, Arbitrantur ueteres omnia, quę ægrotis accidant ipsum persequi scriptione, ut Thucydidem, sed res non ita habet, uerùm hoc ipsum est, in quo uel maxime contraria sunt, ac differunt Hippocratis scripta, ac Thucydidis. Thucydides enim omnia scribit etiam idiotis nota, nihil eorum omnino prætermittens. Hippocrates uerò pauca ex his, quæ ad reliquam affectionem, circa quam est periclitatus ægrotus, pertinent, quamplurima verò alia idiotis quidem neglecta; artificiosam uerò, & exquisitam cognitionem præbentia, & quę possunt sępenumero optimos etiam medicos latere. Hic uelox, & breuis in dicendo, & nihil nisi summopere profuturum scribendum sibi proponens, uidebitur tibi rursus dimoueri propria mente, cùm ea, quæ neque omnino ægro euenerūt, scribit, hoc ipsum indicans, quod non euenerunt. Qui enim & ex his, quæ euenerunt, plurima prætermittit, nonne uidebitur in his, quæ non euenerunt, tempus terens delirare? Sed si cogites, quod propter eandem causam, & illa prętermisit, & ista scribit, tunc puto ipsum admiraberis: neque enim vulgaria, & quæ vulgari cuique medico possint in mentem venire, ille scripsit. Demonstrata verò & hæc sunt in alijs multis locis, & præcipuè in his, qui sūt de Hippocratis Anatomia scripti libri, nec minus etiam in his, qui de Thucydidis peste sunt exarati, &c. Quæ eo libentius attulimus, quo

Latinus

Latinus interpres in nonnullis videtur hallucinatus, ut Græca uerba cum illius Latinis conferendo cognoſcetis.

αὖθις ἐπιπέσοι. Rurſus incidat.] Hæc verba multis modis explicari poſſunt, & omnes erunt, & Hiſtoriæ, & veritati, ac rationi conſentanei, poſſumus ergo primo dicere, ꝙ ſignificet in his verbis Thucydides in peſtilenti morbo adeſſe periodum, & eſſe peſtem ex genere morborum periodicorum, qui ſtatis quibuſdam temporibus reuertuntur, neq; ſolum in febribus, de quarũ circuitibus, & periodis magnæ ſunt inter medicos controuerſię, & maxime implicatę quęſtiones, cũ alij alijs rebus cauſam acceptam referant, de quo nos alibi diſputauimus, ſed etiam in alijs morbis: & non aliena à ratione medicinæ eſt iſta quæſtio: nam multa ſunt, quæ teſtantur, & probant adeſſe in peſte periodum. primum eſt experientia hiſtoriarum fide comprobata: nam in Syria tradunt ſeptimo quoque anno peracto periodo reuerti, in Aegypto ſingulo fere quoque triennio graſſari, & in quibuſdam locis quotannis, ut ſupradictum eſt. Proſper Borgarutius in tractatu de peſte teſtatur peſtem Pariſijs quotannis ſtatis quibuſdam temporibus redire, cuius hæc ſunt verba Italica. *Ogni anno nella congiuntione del Segno Peſce, & nella oppoſitione del Sole, & della Luna, & quando il Sole paſſa ſotto il Quadrangulo di Saturno, & di Marte ella riſorge, & va creſcendo.* Venetijs in vulgus obſeruatum, & ubiq; iactatum vigeſimoquinto quoq; anno denuo remeare. Euagrius aperte meminit periodi peſtilentis, vbi ait. καὶ ταῦτα μὲν πολλάκις ἐν ταῖς περιόδοις τῶν κύκλων τῶν κακλουμένων ἐπινεμέσεων ταῖς πόλεσι, καὶ τοῖς ἑτέροις ἐγίνοντο τόποις, μάλισα δὲ πανολεθρία σχεδὸν τοῖς ἀνθρώποις ἐπέπιπτεν ἐν δευτέρῳ ἔτει τῆς πεντεκαιδεκαετηρίδος τοῦ κύκλου. ideſt, & hæc quidem ſæpius in periodis (ratas conuerſiones vertit interpres) circulorum, qui vocantur Epinemeſes, vrbibus, & alijs locis acciderunt, pręcipue vero cum vniuerſa hominum fere pernitie incidit ſecundo anno circuli quindecim annos complectentis, & mox etiam, & Sigonius libro 17. Imp. Occid. de inguinaria agens mentionem facit periodi his verbis, Atque hac tanta morborum varietate morbus poſt orbibus quibuſdam ſæpius reuocatus homines in plurimos poſt annos miſere lacerauit: accedunt teſtimonia Medicorum complurium, qui inter morbos periodicos ponũt

An peſtis ſit morb* periodic*

pestilentiam. Petrus Sybillenus, ita ait, in lib. de peste, cōstat ergo anni temperiem humidam, & turbidam cæteris qualitatibus esse pernitiosiorem, & pestilentis febris, adeoque ipsius pestis, & similium morborum periodicorum, & epidemialium causam, & signum prognosticum extare. Huius opinionis videtur fuisse etiam Alexander Traianus Petronius lib. 2. de morb. Gallico, capit. 16. vbi quærens cur pestis Europam hac ætate minus infestet, id tribuens gallici morbi naturæ, qui illius uicem subeat, ita ait. Reliquū est, ut explicemus, cur hoc morbo vniuersam Italiam iam obsidente pestis per eam (vt aliquibus videtur) non æque frequenter, atque antea grassetur, ac si grassatur, nō adeo læua est, adeoque contumax, ut prius erat, neque id sane à ratione alienū est querere, cum ante hac vigesimoquinto anno ad summū (nam sæpius quintodecimo) in Hetruria, in Vmbria, in Latio erumpere soleret, & mox dicit pestem ex naturæ necessitate creari, hæc enim statis temporibus redire, & ex naturæ necessitate creari, sunt conditiones periodicæ. Idem sentire videtur etiam Fernelius, qui secundo de abditis rerum causis, vbi agens de morbis pestilentibus quærit causam, cur cōplures annos sileant, & certis annorum interuallis sæuiant in plebē, quæ licet de morbillis, & variolis sint pronuntiata, de omnibus tamen pestilentibus morbis sunt intelligenda, idem sentiunt Astrologi, & reliqui omnes pestis ortum siderum coniunctionibus referentes acceptū, de quibus Agathinus lib. 5. qui dicebant, χρόνων τινῶν περιόδους ἐν τῷ ἀπείρῳ αἰῶνι συμφέρεσθαι, idest, temporum quorundam circuitus in æterno seculo circumferri, qui hominibus modo bona, modo mala ingentia, & τὰ λοιμώδη πάθη, idest, pestilentes affectus inferebant, statis enim temporibus cum illa redeunt ad eundem gradum, profecto circuitum, ac periodum morbi constituunt.

Secūdo loco possumus interpretari hec uerba nō de periodo uniuersali, sed de ea, quā Græci uocant ἀναστροφὴν, Latini recidiuam cum, s. nondū probe finitus morbus, iterū reuertitur, quam licet nonnulli dicāt, non dari in peste, tamen in hac factum tertio libro ipse narrat, cuius hæc sunt uerba. Τοῦ δ' ἐπιγινομένου χειμῶνος ἡ νόσος τὸ δεύτερον ἐπέπεσε τοῖς ἀθηναίοις, ἐκλιποῦσα μὲν οὐδεία χρόνον του παντάπασιν, ἐγένετο δὲ

An detur in peste recidiua.

δέ τις ὅμως διακωχὴ, παρέμεινε δὲ τὸ μὲν ὕστερον οὐκ ἔλασσον ἐνιαυτοῦ, τὸ δὲ πρότερον, καὶ δύο ἔτη. idest, hyeme ineunte morbus secundo inuasit Athenienses, qui non defecit vllo quidem omnino tempore, fuit tamen quædam cessatio, durauit vero posteriore loco, non minus anno ipso, priore vero tēpore etiam duos annos. Huius recidiuæ meminit etiam Diod. lib. 12. biblioth. ἀθηναίοι χρόνον τινὰ τῆς νόσου τῆς λοιμικῆς ἀνειμένοι πάλιν εἰς τὰς συμφορὰς ἐνέπεσον. idest, Athenienēses per aliquod tempus, cum remisisset se se morbus, pestilētes denuo in calamitates inciderunt, sic reuersam Bizantium peste narrat Agathias lib. 5. quasi, scilicet primo insultu decepta, & celerius quam oportuerat maturato recessu, ita enim inquit, ἐκείνου δὲ τοῦ ἔτους ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ ἡ λοιμώδης νόσος αὖθις τῇ πόλει ἐνέπεσε, καὶ μυρία διέφθειρε πλήθη, λήξασα μὲν ἐς τὸ παντελὲς οὐδ' ὁπωστιοῦν ἐξ οὗ δὴ τὴν ἀρχὴν, φημὶ δὴ κατὰ τὸ πέμπτον ἔτος τῆς Ιουστινιανοῦ βασιλείας ἐν τῇ μεθ' ἡμᾶς εἰσήρρησεν οἰκουμένῃ, μεταβᾶσα δὲ πολλάκις, μεταξὺ ἄλλοτε ἄλλοθι, καὶ τόπον ἐκ τόπου λυμηναμένη, καὶ ταύτῃ τῆς λειπομένοις ἀνακωχῆς τινος μεταδοῦσα, τότε δὴ οὖν ἐς τὸ Βυζάντιον πάλιν ἐπανήκεν ὥσπερ οἶμαι τὸ πρότερον ἐξηπατημένη, καὶ θᾶττον δήπου τοῦ δέοντος ἐνθένδε ἀπαλλαγεῖσα. idest, illius vero anni ineunte vere pestilens morbus denuo in Vrbem incidit, & ingentem fecit multitudinis stragem, quæ quidem omnino non cessarat, & quouis modo ex quo iam (principium dico à quinto anno Iustiniani Imperij.) in nostrum orbem irrepsit, sed discedens quidē interea modo hinc, modo illinc, & locum ex loco vastans, & hoc pacto relictos, requietis & cessationis quodammodo efficiens participes, tunc demum in Byzantium rursus reuersa est, quasi arbitror antea decepta, & celerius, quàm oportebat, maturato inde discessu, sic Venetijs factitatum nostra memoria scribunt, morbo enim per diligentiam prefectorum Vrbanorū sanitati, extincto, pestilentia, quæ per hiemem latuerat, repullulauit, & maxima, miserabilisq; strages edita est, testante id Natale de Comitibus lib. 27. suarum Historiarum, sed de hac morbi recidiua, & reuersione an fieri possit, videte q̄ disputat Mercurialis de peste, cap. 19. vbi probare nititur argumentis non reuersuram Patauinam, Venetamq; pestem, vt timebatur. Nicolaus quidam Boccangelinus libro nuper edito de morbis malignis, cap. 5. secutus Mercurialem dispu-

tat

tat Madriti non esse reuersuram pestem, & alij complures hanc quæstionem tractant. Tertio possumus interpretari ita hunc locum, vt referre voluerit ad id, quod generatim de rebus humanis, & de vtilitate suæ historiæ pronunciauit in prooemio, nempe se velle accurate, & vere omnia quæ acciderint presequi, vt si (quæ est rerum humanarum vicissitudo) eadem, aut similia rursus eueniant, discernere vtilia abunde lectores possint. Verba illius sunt, ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, τοιούτων, καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι ὠφέλιμα κρίνειν αὐτὰ, ἀρκούντως ἕξει. idest, quicunq; vero voluerint rerum gestarum ueritatem considerare, & euenturarum rursus (vt humana fert conditio) vel earundem, vel similium discernere ipsa vtilia, abunde habebit quo id præstet. Hanc quoque causam Hippocrati fuisse conscribendorum librorum Epidemicorũ annotauit inter alias Hieronymus Mercurialis in prælectionibus Pisanis in prooemio, vbi ait. Illud possumus addere, constitutionum pestiferarum, & non pestiferarum, quæ sunt suo tempore grassatæ, uoluisse diuinũ senem aliqua exempla relinquere, ut posent posteri omnes ex illis peritiam, mores, & alia symptomata, vbi similes constitutiones fierent, prædiscere: nam fuere ex antiquis, qui putarent rerum omnium esse reuersionem, & nihil ante extitisse, quod nunc non sit, nihilq; nũc vicissim esse, quod mox futurum non sit pari pacto, quod Palephatus in proemio affirmat laudatis Historicis præclaris testibus Melisso & Lamisco Samio, qui principio suarum historiarum dixere, ἔστιν ἃ ἐγένετο, καὶ τὰ νῦν ἔσται. i. sunt quæ fuere, & q̃ nunc, erunt. Nõ inanis autem coniectura hæc, quòd posset rursus contingere pestilentia Athenis, cum alijs temporibus eam vexasse compertum sit, Sigonius libro 1 de repub. Athen. dicit anno Vrbis à Cecrope conditę 953. qui incidit in annum primum Olymp. 46. laborasse pestilentiæ morbo Athenas, ob obtruncatos Cylonios ad Aras Deorũ, à quo eos Epimenides Cres vir sapientissimus solenni facto sacrificio liberauit: idem auctor est in libro de temporibus Athenienfium Olymp. quarta Abarim ab Hyperboreis Athenas legatum missum, ut pro uniuersali pestilentia ex oraculo sacrificarent, quam rẽ paulo secus, & planius recitat Theodorus Zuingerus in 1. li. cap.

Pestilẽtię, quæ Athenas olim inuasere.

cap. 1. meth. apodemicæ, dicit enim toto terrarum orbe pestilentia laborante circa 3. vel 21. Olymp. Pythia respondit à populo Atheniensi vota omnium nomine facienda, itaque ab omnibus gentibus legati eò missi, sed & ab Hyperboreis Abaris Scytha Magus insignis, quam Historiam recitat, ita Suidas. *φασίν ὅτι λοιμοῦ κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην γεγονότος, ἀνεῖλεν ὁ ἀπόλλων μαντευομένοις ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, τῶν ἀθηναίων δῆμον ὑπὲρ πάντων εὐχὰς ποιήσασθαι, πρεσβευομένων δὲ πολλῶν ἐθνῶν πρὸς αὐτούς, καὶ ἄβαριν ἐξ ὑπερβορέων πρεσβευτὴν ἀφικέσθαι λέγουσι κατὰ τὴν τρίτην ὀλυμπιάδα.* idest, aiunt vero, quòd peste per uniuersum orbem grassante respondit Apollo sciscitantibus græcis simul, & Barbaris, faciendas esse ab Atheniēsi populo pro omnibus supplicationes, cum vero multę gentes legatos ad ipsos mitterent, Abarin quoq; ferūt ab Hyperboreis venisse legatū, circa tertiā Olympiadē. hęc Suidas, cui profectò magis credendum in tanta varietate temporū, quā recentioribus. Lucianus etiam in Scytha facit mentionem cuiusdam pestis Atheniensium, quam ibi magnam vocat, à qua liberati fuere, irrorandis Angiportis vino, admonitu Toxaris Scythæ, qui Demanete viri Areopagitæ vxori per somnium id iussit faciēdum, vnde ille relatus inter Asclepia deos Heroas, & sacra illi fiebāt equo, tamq; *ξένῳ ἰατρῷ*. i. medico peregrino, memorantur etiam pestilentia olim laborasse ob Vrsam illam Dianæ Cicurē à duobus fratribus interemptam, ob quam oraculum consuluere. Meminit Pausanias in Corinthiacis alterius pestis, qua fuere vexati Atheniēses vnà cum Træzenijs, vbi dicit fuisse templum *λυτηρίου πανός*. idest, panis Solutoris, qui ita fuit appellatus, quòd per insōnia à pestis periculo liberarit, ait enim. *τροιζηνίων γὰρ τοῖς τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν ἔδειξεν ὀνείρατα, ἃ εἶχεν ἄκεσιν λοιμοῦ πιέσαντος αὐτούς, ἀθηναίους δὲ μάλιστα.* idest, Trœzeniorum magistratibus ostendit somnia, quæ attulerunt remedium pestis, quæ eos apprehenderat, & præcipue Athenienses.

Postremo dici potest, respexisse ad Metonis æqualis sui, Astrologi, & Medici teste Suida celeberrimi opinionem, qui floruit hoc ipso bello Peloponnesiaco, quique in ea erat opinione, vt arbitraretur, vndeuicesimo quoque anno omnia in idem recidere, & astra rursus eundem cursum repetere, & omnia similia præteritis accidere, hoc spatium

Metonis Astrologi & Medici opinio.

tium

tium vocabant Athenienses; ἐννεακαιδεκατηρίδα. vt testatur Suidas in uerbo ἐνιαυτός, vbi hoc recurrens spatium uocat. περίοδον, ἐνιαυτὸς μέτωνος ἡ ἐννεακαιδεκαετηρίς. μέτων γὰρ ὁ μαθηματικὸς περίοδον ἐκτιθεὶς χρόνου ἐνέταξεν ιθ. idest, annus Metonis decem & nouem annorum spatium est. Meton enim Mathematicus periodum exponens temporis XIX. annos cõstituit, & Diodorus Siculus lib. 12. vocat ἀνακυκλισμόν, quasi circulum ἐν δὲ ἀθήναις Μέτων ὁ παυσανίου μὲν υἱός δεδοξασμένος δὲ καὶ ἐν ἀστρολογίᾳ ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην ἐννεακαιδεκαετηρίδα τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ μηνὸς ἐν ἀθήναις σκιροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης, ἐν δὲ τοῖς εἰρημένοις ἔτεσιν ἄστρα τὴν ἀποκατάστασιν ποιεῖται, καὶ καθάπερ ἐνιαυτοῦ τινὸς μεγάλου τὸν ἀνακυκλισμὸν λαμβάνει, διὸ καί τινες αὐτὸν μέτωνος ἐνιαυτὸν ὀνομάζουσιν. idest. Athenis Meton Pausaniæ filius, Clarus autem in Astrologia exposuit spatium illud vndeuiginti annorum facto initio à die 13. mensis, qui dicitur Athenis Scyrophorion, in prædictis uero annis astra reuersionem ad eundem statum faciũt, & quasi alicuius anni magni conuersionem sumunt, quod etiam nonnulli Metonis annum appellant.

ἔχοι, Habeat.] Hoc verbum positum pro possit, sic Latini etiam frequenter vsurpant. Cicero 1. Famil. ad Lent. De causa Alexandrina tantũ habeo polliceri, idest, possum. Ad Atticum. de Repub. Nihil habeo ad te scribere, de nat. Deorum, Hæc ferè obijcere habui, de nat. Deorum. Apud Grecos est frequentissimũ, vt non egeat exemplis. Notandum verò, quòd Thucydides, qui non solum erat Historicus, sed summus etiam Philosophus, & Medicus, quamuis nõ profiteret has artes, quippe qui Senator nobilissimus, innuit per hoc verbum, quòd cognitio rerum, & scientia est ἕξις, idest, habitus quidam, vt ignorantia priuatio illius, & est elegans antithesis ex eo genere, quod ab Hermogene dicitur οὖσα, καὶ μὴ φαινομένη, Re vera existens, sed non apparens, aut manifesta, cùm coniungat hæc duo verba ἔχοι μὴ ἀγνοεῖν, idest, habeat non ignorare: alterum enim significat habitum, alterum priuationem, quæ sunt contraria, cumq; duo illa verba præcedant τι προειδώς, aliquid præcognoscens, vel prædoctus, videt aperte voluisse significare illud Dogma, & Theorema peripateticum, quòd omnis cognitio fiat ex prægressa alia informatione, & cognitione, quod proponitur ab Aristotele

Thucydides Philosophus, & Medicus.

ſtotele initio demonſtratiuæ ſcientiæ his verbis: πᾶσα διδασκαλία, καὶ πᾶσα μάθησις ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως, ideſt, Omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præcedenti fit cognitione, quod fortaſſe axioma ex Thucydide arripuit, totius ſuæ philoſophiæ futurum fundamentum. Ne verò axioma philoſophicum agnoſceretur, & hiſtoriam ſcribenti vitio verti poſſet, tropo immutauit, neque dixit ἔχοι ἐπίστασθαι, poſſit ſcire, ſed poſſit μὴ ἀγνοεῖν, non ignorare, quod æquipollet illi verbo, & facit etiam ἐπιείκειαν, ideſt, modeſtiam orationis: quare neque ſimpliciter dixit προειδώς, ideſt, prædoctus, ſed τι προειδώς, aliquid prædoctus: in quo etiam emanat dubitatio, & ſcrupulus euellendus ab animis auditorum. Poſſet enim aliquis dicere, quod ſi erit prædoctus, non poterit ignorare, aut ſi ignorabit, nō fuerit prædoctus, & præſcius, προειδώς: ſed facilis ſolutio, quia nō dicit ſimpliciter, & abſolute prędoctus, ſed τι προειδώς, aliquid prædoctus, cuius deinceps lumine, & ductu reliqua addiſcens nō ignorabit: uel etiā medicū poteſt ex hoc loco Theorema, & Aphoriſmus deduci, ut dicatur, non ſatis eſſe uniuerſalia Theoremata, & præcepta medica nouiſſe, ſed dandam operam, ut poſſit non ignorare, applicatis nempe uniuerſim traditis præceptis, per experientiam ſingularibus, & indiuiduis, ex quo conſtat medica ſcientia, ut in peſte etiam non ſatis eſſet nouiſſe ſymptomata generatim peſte correptorum, quę ex libris poſſumus addiſcere, ut in hoc ipſo auctore, ſed uidiſſe, & eſſe contemplatos ſingulares homines iſtis malis, & ſymptomatibus laborantes; quare antepoſuit Galenus idiotam experientia, & uſu edoctum, medico etiam literato, qui numquam peſtem uiderit, aut nouerit, niſi ex libris.

Αὐτός τε νοσήσας, Et ipſe morbo correptus.] Geminū medicinæ dicitur crus, nempe alterum ſcientia, alterum experientia, quæ uel in ſeipſo, uel in alijs ſpectatur. Vtrūque profitetur ſe expertum Thucydides, & ideo facile poſſe eſſe hominibus in hoc adiumento, cùm ſcilicet in peſtilentijs curandis plus interdum poſſit experientia, quàm ſcientia: quare Galenus affirmauit, vt dixi, in peſtilentijs multos idiotas expertos fuiſſe meliores, quàm medicos quamplures, qui nullas uidiſſent, aut curaſſent peſtilentias, quę etiam interdum doctos, cordatosq; fallunt.

ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας, Alios patiẽtes.] Notent adolescentes, eloquẽtiæ studiosi, numeriq; oratorij. βάσιν, hanc & clausulā in Græco sapere nescio quid poeticū, & grandius quàm desiderat soluta oratio, ita testante Phaleræo, qui ait: ἡ γὰρ πυκνότης τῶν μακρῶν ὑπερπίπτει τοῦ λογικοῦ μέτρου, idest, Crebritas enim longarū syllabarum excedit mensuram orationis solutæ.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Τὸ μὲν γὰρ ἔτος ὡς ὡμολογεῖτο ἐκ πάντων μάλιστα
δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν
ὄν. εἰ δέ τις, καὶ προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη.
τοὺς δὲ ἄλλους ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξαίφνης
ὑγιεῖς ὄντας πρῶτον μὲν τῆς κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ,
καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις ἐλάμβανε, καὶ τὰ ἐντὸς ἥτε φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα εὐθὺς αἱματώδη ἦν, καὶ πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες ἠφίει. ἔπειτα ἐξ αὐτῶν πταρμὸς, καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο:~

THVCYDIDES.

Annus enim ille (vt vniuersa hominum confessione cõstabat) ex omnibus maxime fuit immunis ab alijs morbis. Si verò quis etiam ante aliquo laborabat, in hunc omnia conuertebantur. Alios ex nulla euidenti causa; sed subitò cùm sani forent, primum quidem capitis ardores vehementes, & oculorum rubores, ac inflammatio corripiebat, & interiora guttur inquam, & lingua repente sanguinolenta erant, & spiritum tetrũ, & graueolentem emittebant. Deinde ex his sternutatio, & raucitas accedebant.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

POSTQVAM demõſtrauit Thucydides cau ſam, ob quam conſtituit perſequi huius peſtis Athenienſis ſymptomata, & mala, nempe ut lucem aliquam afferret poſteritati, ut ſi forte fortuna morbus iſte, & calamitas denuo eſſet inuecta, & recurriſset, cognitis per hanc hiſtoricã narrationem illius malis moribus, facilius poſsent conſtituere, quid agendum, & nõ ignorare omnino, ac hærere, ut in hac ipſa factum oſtendit, in qua medici præ ignorantia priores, & multi occubuere, cum peſtem eſse non agnoſcerent, aggreditur tandem ad ipſam explicationem, & primum generatim oſtendit, quæ fuerit totius anni conſtitutio, ut Hippocrates in 3. Epid. non eo tamen modo, quo ille, neque ut Medicus, ſed ut Hiſtoricus, & eiuſmodi fuiſse narrat, ut eſset ἄνοσον, ideſt, expers morborũ, quod attinet ad reliqua genera; quæ uel non regnabant, & uagabantur, uel ſi forte fortuna aliquis fuiſset ab illis correptus, in peſtem omnia uertebant, ita peſtis ferente natura, & proprietate; qua cæteris longe morbis efficacior, & potentior, illos in ſuam naturã attrahit, & uertit. Deinde nominatim peſtis ingruentis impetum exponit, quæ ſecus ac cæteri ferè ſalutares morbi ſolent, non ab euidenti aliqua cauſa, & procatarctica initiũ ſumebat, ſed repente, extemplo, præter omnem expectationem, & metum, neque præcedente aliqua laſſitudine futuros morbos indicante, nullo ſui aduentus da-

to

to penitus indicio, signo, aut argumento, imparatos, improuidos, omnia alia expectantes, ac metuentes, cum integra ualetudine fruerentur, & uiribus ualerent, opprimebat, octoq; commemorat symptomata sæuissima, quibus tanquam machinis expugnatura hominum uitam, ipsum caput quasi arcem petebat, & aggrediebat̄, & erant capitis calores, æstusq; uehementes, oculorum rubores, inflammatio totius faciei, gutturis, & linguæ sanguinolenta infectio, spiritus attrahendi, ac spirandi difficultas, eiusdem odor fœtidus, & grauiter olens, qui duos rursus secum satellites adducebant, qui superuenie̅tes grauissimè afficiebant, sternutatio, & raucitas, quibus affecti, uel potius confecti homines miserrimis modis, aut repente, & subito interibant, non sustinentes tantæ luis impetum sæuissimum, aut paucis horis, & diebus post, nempe intra quartum, bidui ad summum, aut tridui spacio.

ἔτος, Annus.] Hic fuit annus à Mundi initio 3537. ante Christū natū 423. ab Vrbe condita 358. Olymp. 88. anno 2. quo anno natus dicit̄ Plato. Artaxerxis verò Imperij, in quo 44. annos ipsos floruit, anno 39. & hoc iuxta supp. Dauidis Chytręi: nam differunt ab eo cæteri. Acacius enim, qui sequitur Eusebium, ponit hanc pestē sub anno 3. Olymp. 87. anno ante natū Christum 430. qui secundū Eusebiū fuit annus Mundi 4771. Sigonius de Repub. Athen. videtur & ipse collocare sub Olymp. 87. & anno 3. cum secundo huius anno dicat exortū bellum hoc, & mox anno 4. dicat Periclem pestilentia mortuum. Aulus Gellius lib. 17. cap. 21. ita de bello Pelopon. Bellum deinde in terra Græcia maximum Peloponnesiacum, quod Thucydides memoriæ mandauit, cœptum est, circa annum post conditā Romam 329. qua tempestate Aulus Posthumius Torquatus Dictator Romę fuit, qui filium suum, qnòd contra semper suum dictum in hostem pugnauerat, securi necauit. In margine verò signato asterisco scriptum anno CCCXXIII. in quo apparet mendum esse, & fortasse per vigesimum nonum reponendum quinquagesimum nonum, licet apud Liuium ex emendatione Sigonij, Posthumij Dictatura cadat in annum 323. in quo lapsus notandus Sabellici, qui dicit anno post huius Dictaturā, Liuium prodidisse pestilentia, & teterrimo morbo Romæ laboratum, qui & ipse attactu vulgaretur: nam tribus

Ann°, quo cœpit pestis Atheniensis, & fuerit.

bus annis post accidit, vt ex ipsius Liuij verbis constat, qui tres interim Consulatus enumerat; videtur enim ibi Sabellicus innuere hanc eandem fuisse pestem Thucydidiã, quæ ad Romanos etiam peruenisset: subdit enim, cæterum hoc genere an diuerso, neque explicat, neque quid ego super ea re affirmare possim, habeo; sed tempora ex superiorum auctorum supputatione non conueniunt. Diodorus Siculus lib. 12. Biblioth. hist. ponit hanc pestem sub Principatu Apollodori Athenis, quo tempore Romani Consules erant Marcus Geganius, & Lucius Sergius, qui Olymp. 87. anno tertio regnauit, vt testatur Zuingerus in sua Chronologia magistratuum, quam facit vol. 28. Theatri vitæ humanæ, qui etiã videtur pestem sub hoc anno collocare, quamuis nullam faciat mentionem, cùm dicat, Athenienses Periclem Imperio spoliasse hoc anno, quod accidit propter pestem, cùm caussam in illum conferrent, ob receptos in Vrbem populos, & rursus dicat anno quarto mortuum pestilentia. Plinius etiã in hac supputatione multum variat, qui lib. 30. cap. 1. dicit bellum cœptum anno ccc. post Vrbem conditã: ait enim plenumq; miraculi & hoc, pariter vtrasq; artes effloruisse, medicinam dico, magicenq; eadem ætate illam, Hippocrate, hanc Democrito illustrantibus, circa Peloponnesiacum Græciæ bellum, quod gestum à ccc. nostræ Vrbis anno, sed in tanta varietate difficile est verum indagare: quare Genebrardus 2. suæ Chronographiæ nullũ posse certum, & verũ tempus notari cõstanter asserit belli, neque Medici, neque Peloponnesiaci, & totam historiam Græcam ante regnum Darij esse potius fabulosam; sed in tanta varietate, si esset aberrandum, profectò cum Acacio mallem aberrare, qui in sua Chronologia, non solum nititur veterum, & Chronographicorum, & Historicorum fundamentis, sed etiam Eclipsium, & Astronomici calculi supputationes sequitur, & cum historia Thucydidis, & Xenophontis conferens suæ Chronologiæ confirmat rationes, & potissimum hanc rem tanquam maxime controuersam comprobat in sua Præfatione multis rationibus dicens, Quandoquidẽ inter nõ paucos magni nominis Historicos, & Chronographos controuertitur, nos Olympiadis 87. annum secundum in primum huius belli annum, & Olymp. 94. annũ primum in annũ 28.

belli

belli dicimus incidisse, sequẽtibus rationibus nisi. Rationes apud illum potestis legere, cùm præsertim videam Sigoniũ quoque idem sentire, & omnem meliorem Chronologicorum Scholã. De huius anni natura nihil, vt Historicus profert Thucydides, tantum dicit caruisse alijs malis omnibus, & ægritudinibus, quod ex Hippocratis doctrina, & auctoritate intelligendum de parte hiemali, quam salubrem fuisse testatur etiam Hippocrates, qui vbi descripsit κατάστασιν, idest, constitutionem illius anni pestilentis: postremo addit, γενομένου δὲ τοῦ ἔτεος νοτίου, καὶ ὑγροῦ, καὶ μαλθακοῦ κατὰ μὲν τὸν χειμῶνα διῆγον ὑγιεινῶς πλὴν τῶν φθινωδέων, idest, Cùm esset annus austrinus, & humidus, & mollis: hieme quidem sani degerunt, præter tabidos. Et hos fortasse innuit ipse Thucydides, dum ait: Si quis laborabat aliquo morbo, &c. Hippocrates verò, qui medicus medicinam docere volebat, & profitebatur, non fuit contentus explicatione symptomatum, quæ euenerunt, sed aeris quoque addidit constitutionem, cùm docuisset in Aphor. ex cæli statu potissimum morbos gigni, ac consentaneos, affinesq; illi semper dominari. Hanc verò ita describit generatim primo de toto anno, deinde nominatim de singulis partibus anni, ἔτος νότιον ἔπομβρον, ἄπνοια διὰ τέλεος, αὐχμῶν δὲ γενομένων τοὺς ὑπόπροσθεν χρόνους ἐπ' ἐνιαυτὸν, ἐν νοτίοις περὶ ἀρκτοῦρον ὕδατα πολλὰ, φθινόπωρον σκιώδες, ἐπινέφελον, ὑδάτων πλήθεα, χειμὼν νότιος, ὑγρὸς, μαλακὸς, μετὰ δὲ ἡλίου τροπὰς ὕστερον πολλῷ, πλησίον ἰσημερίης, ὀπισθοχειμῶνες, καὶ ἤδη περὶ ἰσημερίην βόρεια, χιονώδεα, χρόνον οὐ πολὺν, ἦρ πάλιν νότιον, ἄπνουν, ὕδατα πολλὰ διὰ τέλεος, ἄχρι κυνός. θέρος αἴθριον, θερμὸν, πνίγεα μεγάλα, ἐτησίαι σμικραὶ, διεσπαρμένως ἔπνευσαν. πάλιν δὲ περὶ ἀρκτοῦρον ἐν βορείοισιν ὕδατα πολλὰ, idest, Annus austrinus, pluuius, sine vento vsque in finem; cum verò squalores extitissent præcedentibus temporibus in austrino statu, circa arcturum aquæ multæ, Autumnus vmbreus, nubilosus, aquarum multitudines, hiems austrina, humida, & mollis. Multo verò post Solis cõuersionem, prope æquinoctium extremæ hiemes, & iam sub ęquinoctium borealia flamina spirarunt, niuosa tempora fuerunt, sed non diu. Ver rursum austrinũ, carens ventis, pluuiæ multæ per totum vsque ad Canem. Aestas serena, calida, ęstus magni, Etesię paruę dispersim spirarunt. Rursus sub arcturum, in boreali tempestate aquæ

multæ.

multæ. In quo aduertendum primo anni pestilentis ratione exorditum ab Autumno, quo tempore maxime grassari (vt dictum est) consueuit pestis; deinde, quòd eisdem verbis inchoat, & absoluit annum περὶ ἀρκτοῦρον ὕδατα πολλά. Sub arcturum aquæ multæ, quasi scilicet per multos variarum tempestatum anfractus deuolutus, quasi periodo peracto in ea constiterit aeris temperie, qua cœperit, nempe humida; vt merito superāte hac qualitate reliquas, in totum humidus, & australis, & uentis carens dici potuerit hic annus: ex ea enim parte, quæ πλεονάζει, idest, magis abundat in mixtis, nomen singula accipiunt, vt videmus etiam in Elementis, quæ cùm ferè nusquam hic reperiantur pura, & impermixta, tamen ab eo, quòd magis in mixto abundat, nomen sibi vendicat: & sic tolli etiam alia in dictis Hippocratis contradictio potest, quæ est in primis verbis: dicit enim fuisse austrinam constitutionem, scilicet flasse austrum, & tamen subdit protinus more suo, qui delectatur coniungere contraria, quæ tamen apud ipsum pugnantia non sint, ἄπνοια διὰ τέλεος, per totum ventorum carētia: nam dici potest ex maiori parte caruisse, & quòd qui flarint eo anno, solum austri fuerint, vel cum Galeno dicendum ἄπνοιαν, non significare integrā ventorum cessationem, sed exiguam spirationem, ita vt austri quidem spirarent: sed adeo leuiter, & exiguo cum motu, vt prorsus nulli flare viderent, sicq; frequenter scriptores solent usurpare priuantia uocabula pro his, quæ diminutum aliquid significant: sic sex. de locis aff. ἄπνουν dicit appellatū ab Heraclide Pontico, primam suffocationis vterinæ speciem, in qua spiratio quidem non omnino abolitur, sed ita est exigua, ut deprehendi nequeat: quare etiā libro titulum dedit ἄπνουν. Sic ἄπνοια dicitur apud eundem 2. meth. cap. 2. non nulla spiratio, quia animal esset mortuum, sed ita exigua, vt nulla videatur: sic ἀπεψία eodem loco, & alia innumera sunt apud medicos vocabula, quæ sic accipiuntur, vt quæ sunt nihil, etiam pro parum sumantur. Cardanus in libello de Prouidentia ex anni constitutione, de hac ita verba facit, vt velit prima illa verba Hippocratis esse titulum. Ait enim, Legere oportet tertium Epidemicorū sub hoc sensu, Cùm totus annus fuisset pluuius, & austrinus, idest, calidiusculus, atque humidior, austrinis ventis flantibus; sed ita vt omni-

Priuantia vocabula pro dimiānutis vsurpata apud Medicos.

no

no tranquillus, & sine ventis sentiretur; vt totum illud proponatur loco tituli, hoc modo, quod ab aliquo interprete factum puto. ANNVS AVSTRINVS PLVVIVS A VENTIS IN TOTVM SILENS. Mox recitat verba reliqua Hippocratis vsque in finem, & addit. Vocat autem annum ex toto silentem, licet sub æquinoctio Boreæ, & Etesiæ flauerint per æstatem, quoniam cùm essent uenti ordinarij, & necessarij, tamen in primo addidit, non ita diu, in secundo, paruę dispersim; liquet autem, quòd ab hiemis fine prædictionem inchoat, & extendit ad Autumnum, ut ad totum annum desit solum prima pars hiemis.

μαλιστα δὴ. Maxime iam.] Δὴ hanc particulam in explicatione poeticæ Aristotelis, vbi aggreditur poesis species enumerare, dicens, ἐποποιία δὴ, &c. Epopeia iam. Madius interpres notat, ut orationis (inquit ille) principio accommodatam, vt tractationis ostenderet initium, eandem obseruat Casteluetrius, veluti particulam, quæ ad præstãdã ante promissa uideatur uiã munire, quo munere hic ẽt fungi dici potest, cum hinc incipiat, quæ est pollicitus, exponere Thucydides, pestilentis, s. morbi impressionem, & stragem editam.

ἄνοσον εἰς τὰς ἄλλας ἀσθενείας. Immune ab alijs morbis.] Notandum hic scriptoris artificium mirabile, qui annum maxime pestilentem appellat ἄνοσον, idest, sine morbis; quod contrarium significasset, nisi addita verba sententiæ vim reconditam aperirent, nam tantam innuit, fuisse vim morbi pestilentis, vt ad illam comparatæ cæteræ ęgritudines, non morbi dici mererentur, sed ἀσθένειαι, idest, imbecillitates, & ideo annus ἄνοσος, idest, sine morbis, quod ad illas attinet dici meruit, quare minime possum probare Porti versionem, qui vertit omnium superiorum saluberrimũ, quomodo, enim saluberrimus, si pestilens, qui insaluberrimus? neq; etiam laudare possum Acacium, qui vertit aliorũ morborum contagione liberum, nam alij morbi, vt plurimum non sunt contagiosi, licet quidam, sed de cõmunibus morbis, & consuetis loquitur, quorum nulla est contagio: si vero etiam in sua notione verbum accipiamus, vt fuerit annus cætera saluber, id referendum in pestis naturam, quam & præcedere, & subsequi anni salubres consueuerunt: sic Hipp. testatur annum, qui subsequutus est, fuisse salubrem

Annus p̃cedens, & subsequẽs pestem salubres.

in epistola quadam ad Dionysium, quã illi vxorem suam custodiendam tradit, ὑγιεινὸν τὸ ἔτος ἐστὶ καὶ τὴν ἀρχαίην φύσιν ἔχον. saluber annus est, & pristinã naturam retinet, idest, eã, quæ fuerat ante pestilentiam, hanc uero epistolam testatur Mercurialis in suis annotationibus fuisse scriptã anno, qui subsequutus est magnam illam pestilẽtiam, & Hieronymus Rubeus medicus insignis in Rauẽnatis historiæ lib. 11. vbi dicit diligentia sua Vrbem à peste custoditam, ita ait. itaque Dei munere factum est, vt hæc Ciuitas, atque adeo prouincia intacta à tanto malo perstiterit, & saluberrimus (vt accidit in pestilentia) annus fuerit, vbi notat hanc pestis naturã.

ἔτος. Annus.] Obseruatu dignũ, ꝙ pestilentis cõstitutionis narrationẽ ab hoc ipso vocabulo exorditur et Hippocrates, ἔτος νότιον, &c. vt vel ex hoc argui argumenti affinitas possit. Hoc vero loco non putabam necesse mihi esse disputare, ꝙ hæc pestis ea esset, quæ describitur ab Hipp. in 3. Epid. vt sæpius à nobis dictum, cum scilicet, quamuis pauci essent, qui id asseuerarent, nullum tamen legissem, qui id ex professo inficiaretur, aut negaret, sed nuper, cum legerem doctissimi viri Hieronymi Mercurialis prælectiones Pisanas, Historia vigesimaseptima, quæ est primus ægrotus tertij libri Epid. inueni eum nostræ opinioni apertissime repugnantem, & negantem pestem in tertio ab Hipp. descriptam esse hanc Thucydidiam, ita enim ipse. Vtrum autem hęc constitutio fuerit peculiaris alicuius regionis, vt quæ in Thaso, & quæ in Cranone, vel Perintho in antecedentibus libris commemoratę, haud multum interest disputare, quamquam potius suspicor fuisse pluribus regionibus communem, haud tamen eam, quæ à Thucydide lib. 2. & Lucretio lib. 6. descripta est, quamq; originem duxisse narrat ex Aethiopia, vnde ob cadauera insepulta exhalationes corruptæ, & inquinamenta totam Græciã peruolarunt. Cuius viri quia magna est apud omnes, & summo merito eximiæ virtutis, ac eruditionis, auctoritas, faciendum mihi est, ut paucis meam confirmem sententiam, ne meæ omnia interpretationis fundamenta labefactet, atq; peruertat, cum ferè tota in comparatione horum duorum auctorum grauissimorũ sita sit, atq; nitatur. Primum igitur auctorum testimonijs vtemur, mox cõiecturis, & rationibus agemus. Dauid igitur Chytræus diligen-

Mercurialis opinio ꝙ hæc pestis Thucydidianõ sit eadem cum Hippocratica in 3. Epi. rescripta refutatur.

ligētissimus Chronologicus, qui potissimum persecutus est Historiæ Thucydidię tempora diligentissimè, secundo anno belli Peloponnesiaci pestilentiam Atticam proponit in Thucydide, & Hippoc. Epid. 3. qui eandem scripserit, cui profectò in supputatione temporum magis credendū, quā Medico, cuius opinioni, & auctoritati Hēricus Stephanus, vt ambo Porti pater, & filius assentiuntur, idem testātur alij complures tum Chronologici, tum Medici, vt etiam Georgius Acacius Baro. in suis annot. in Thucydidē, qui ita ait. Hunc eundem morbum Lucretius lib. 6. versibus, & Hippo. lib. 3. Epid. mor. sect. 3. medice describit. Petrus Sybillenus Egranæ Reipu. Physicus, in præfatione, seu epistola ad librū suum de peste, tamquam exploratissimum id, atque certissimum, citat his uerbis. Legimus apud Thucydidem lib. 2. & apud Hipp. lib. 3. Epid. secundo belli Peloponnesiaci anno adeo sæuam, & inusitatam luem Athenis, & in Vicinia grassari cępisse, & eidē sentire videtur Hieronymus Gemusæus in Dialogismo, de libris Galeni & Hippocratis, quem præposuit editioni Basiliensi operum Galeni Græce, vbi ait. ἐπιδημιῶν πραγματεία, est historia, quæ & ipsa ad omnes pertinet, nam & Thucydides eandem rationem attigit, velut in locis aliquot etiam meminit Galenus. Clarissime omnium testatur Massarias in libro primo de peste, vbi ait, porrò si memoria repetamus pestilentiam celebrē Thucydidis, cuius Galenus frequenter meminit, & quam eandē esse nos existimamus cum ea, quæ describitur ab Hippocrate. Sed iam ad argumenta aggrediamur, & coniecturas. Primum ergo sciendum tēpore Thucydidiæ pestis floruisse Hipp. imo eam curasse, & eius curatæ causa fuisse coronatū. Cum dicat in eius vita Soranus, κατὰ τοὺς πελοποννησιακοὺς ἤκμαζε χρόνους, idest, Peloponnesiaci belli temporibus floruit, natus anno 1. Olymp. octuagesimę, qui annos efficiunt vsque ad Olympiadis octuagesimæ octauæ annum secundū quo tempore fuisse pestem volunt, quadragintaduo, quæ ætas fuit etiam Thucydidis, vt scribit Aulus Gell. lib. 15. cap. 23. vbi dicit, Hellanicum initio belli Peloponnesiaci fuisse quinque & sexaginta annos natum, Herodotū tres & quinquaginta Thucydidem quadraginta, & hoc testimonio Pāphilæ, cuius in lib. 11. hæc scripta erāt: Thucydides ergo dicit

Chronologiorum auctoritate.

Medicorū testimonio.

Argumentis, & cōiecturis.

hanc pestem Athenas ex Aethiopia delatam à uentis, hanc ipsam ex Aethiopiam profectam testatur Galenus curatã ab Hipp. in libro de Theriaca ad Pisonem, διόπερ ἐπαινῶ τὸν θαυμασιώτατον Ἱπποκράτην, ὅτι τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον, τὸν ἐκ τῆς αἰθιοπίας εἰς τοὺς ἕλληνας φθάσαντα, οὐκ ἄλλως ἐθεράπευσεν, ἀλλ' ἢ τρέψας τὸν ἀέρα, καὶ ἀλλοιώσας, ἵνα μηκέτι τοιοῦτος ὢν ἀναπνέηται. idest, quare laudo magnopere maxime admirandum Hipp. quòd pestem illam ex Aethiopia ad Græcos delatam non alio pacto curauit, quam aerem mutando, & alterando, ut nō amplius talis, qualis, erat, respiraretur, & quæ sequuntur, quod tamen ēt negat ipse Mercurialis, legiturq; Decretum Athenienſiũ, qđ ob depulsam Ciuitatibus Græciæ pestem, ex Barbarorum finibus in Græciam profectam, ἀπὸ τῆς βαρβάρων ἐπὶ τὴν ἑλλάδα ἰόντος coronam, & uictum in Prytaneo, & sacra Eleusinia, aliosque honores decernit Hippocrati. preterea Galeni alius nobis fauet locus in 2. de diff. resp cap. 7. nam cum ante egisset de ęgrotis in hoc 3. lib. descriptis, & mox etiam polliceretur se propositum demonstraturum in his ipsis huius libri ęgrotis; quòd scilicet, magna esset in delirantibus respiratio; quasi uideretur Thucydidis auctoritas aduersari, qui apertius enarrasset symptomata peste correptorum, quæ interdũ quasi nota medicis Hippocrates omittebat, ut difficultatem respirationis, cōparare prius constituit Hippocratis, & Thucydidis scripta, quòd si non de eadem re, & peste ambo essent scripti libri profectò Galeni esset opera, laborq; futilis, & superuacaneus, verba Galeni sunt. δείξομεν οὖν ὅτι καὶ κατὰ τὰ τῶν ἐπιδημιῶν βιβλία τοῦτο αὐτὸ διδάξει διὰ τῶν ἐν αὐτοῖς γεγραμμένων ἀῤῥώσων, ἐναργῶς δὲ καὶ σαφῶς δειχθήσεται, προειπόντων ἡμῶν ὀλίγον τι περὶ τῆς προαιρέσεως τοῦ ἱπποκράτους, δοκοῦσι γὰρ οἱ παλαιοὶ πάντα τὰ τοῖς νοσοῦσιν συμβαίνοντα γράφειν αὐτὸν, ὥσπερ καὶ τὸν Θουκυδίδην. ἔχει δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο ἐναντιώτατον ὑπάρχει τοῖς ἱπποκράτους γράμμασι πρὸς τὰ Θουκυδίδους, &c. idest, demonstrabimus igitur, quòd etiam in Epidemicis libris, hoc ipsum docebit per ægrotos in ipsis descriptos, manifeste autem, & plane monstrabitur cum paucula prius quædã præfati fuerimus de Hippocratis consilio, arbitrantur enim veteres omnia, quæ ægrotis contigerunt conscribere ipsum, vt facit Thucydides, non ita vero se res habet, imo hoc ipsum est

eſt, in quo maxime contraria ſunt Hippocratis, Thucydidiſque ſcripta, quod vero intelligat per libros, Epidemicos tertium, hunc, quem dicimus, apparet manifeſte ex ſequenti capite, vbi ex ſeptem libris Epidemicis, qui attribuuntur Hippocrati, quinque vt ſpurios reijcit, ſolum vero primum, & tertium retinet tamquam legitimos, ex quibus ſe pollicetur ægrotos deſcripturum, & ab Anaxione exorditur, qui eſt in tertio. Cumq; in primo nulla ſit vniuerſalis peſtis deſcriptio, nẽpe eius q̃ in Thaſo, vt in ſecundo eius, quæ in Cranone, conſentaneum eſt rationi in tertio contineri eam, quæ fuiſſet omnibus fere populis communis, qualis fuit illa Thucydidis, quæ multas regiones late depopulata eſt, ipſe enimmet Galenus in commentario primo, com. 3. in 3. Epid. ait, κοινοῦ γὰρ τινος ἔθνεσι πολλοῖς γενομένου λοιμοῦ τὴν διήγησιν ἐν τῷ δὲ ποιεῖται. ideſt, communis enim, quæ multis gentibus fuit, peſtis narrationem in hoc libro inſtituit. neque vero credibile eſt eum omiſiſſe illam peſtem, cuius gratia fuiſſet coronatus, nam in decreto dicitur peſtẽ ab illo fuiſſe multis Græciæ Ciuitatibus depulſam dimiſſis per regiones diſcipulis, qui quid agendum ex illius præcepto docerent, & ob id coronam illi decretam, qui fuere potiſſimum duo illius filij Theſſalus, & Dracon, & Polybus eius Gener. quam hiſtoriam omnem recenſet pluribus Theſſalus in oratione, quã habuit ad Athenienſes, vt eos à ſuſcipiendo contra ſuam patriam Co, bello dehortaretur, quod commemoratis beneficijs impetrauit; vbi etiam commemorat omnes honores ipſi Hipp. & filijs habitos ob depulſam peſtem. Alia adhuc ex Galeno ſumi poteſt coniectura, & argumentum, qui 1. de diff. feb. cap. 4. dicit, quęcumque 3. Epid. ſcripſit Hipp. in peſtilenti conſtitutione, ea quoque omnia in alia huic ſimili conſtitutione eueniſſe, ſed hæc conſtitutio ea eſt, quam alibi Thucydidiæ eſſe dixit quã ſimillimã, quod 9. de ſimpl. med. fac. cap. de terra Samia, quam ibi uocãt magnam, & in commentario in 3. Epid. 3. vocat diuturnam. Quod vero ſint ambę eadem, facile percipitur, quia ſcilicet, & hic, & ibi dicit τούτῳ, ideſt, hac. ſ. quę fuit meo tẽpore, hic enim, ait. ἐν δὲ τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ. i. ĩ hac magna peſte, quæ ſimilis ei fuit, quę Thucydidis tẽpore ſęuijt, et in 3. Cõm. in 3. Epid. Com. 58. ait, καὶ

τοῦ-

τοῦτο τὸ σύμπτωμα πάντας κατέλαβε τοὺς ἐν τῷ νῦν γενομένῳ λοιμῷ μακρῷ. ideſt, & hoc ſymptoma omnes apprehēdit, qui fuerunt in hanc quę nunc euenit longa peſte, & ſupra contextu 57. καὶ ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος οὗτος ὁ μακρότατος λοιμός, ἐκ τῶν διὰ τῆς κοιλίας κενουμένων σχεδὸν ἅπαντας ἀνεῖλεν. ideſt, & quę noſtro tempore euenit hęc longiſſima peſtis per excreta a uentriculo fere omnes perdidit, ex quibus negari iam nō poteſt, quin hęc peſtis ſit illa, quę Thucydidię fuit ſimilis, & rurſus hęc non ſit illa, in qua dicit eueniſſe omnia illa, quę deſcribuntur ab Hipp. in 3. cum re ipſa probet eas inter ſe comparando, neque poteſt eſſe tergiuerſationi locus, quòd ibi vocet peſtem hanc magnam, hic peſtem longam, nam apud Grecos μακρὸν, idem eſt quod μέγα, ut pluribus ego exemplis in varijs noſtris lectionibus demonſtraui, ſed quid multis? cedat tandem grauiſſimi viri Mercurialis auctoritas, ipſius Mercurialis teſtimonio, ideſt, ſuis ipſius ſcriptis, quæ antea edidit, & poſtea rurſus emendata à ſe ipſo diuulgando cōprobauit. In libro enim 3. Variarum lect. cap. 12. vbi agit de collatione cuiuſdam loci Thucydidis non ita expreſſi à Lucretio, ut cętera ad uerbum, quem librum multis annis antea ediderat, ſuperiore uero anno à ſeipſo emendatum, & auctum poſt illas Piſanas prelectiones rurſus comprobauit, ita ad uerbum inquit, poſtrema capitis parte. Num autem peſtis, hęc illa fuerit, à qua Athenas Hippocratem lignorum, & herbarum odoratarum incendijs liberaſse in ipſius uita, in Athenienſium decreto, & apud Galenum legitur, non multum intereſt ſcire, attamen ipſiſſimam fuiſſe credere quoque poſſumus, eo pręſertim quòd Thucydidem Hippocrate iam ętate prouecto hiſtoriam ſuam condidiſse cōſtat, & in ſuis annotationibus in hunc ipſum tertium Hipp. fatetur eadem eſse utriuſque ſymptomata, ita enim inquit, numero 5. Quę in peſtifera hac conſtitutione contigiſse ſymptomata narrat Hippocrates, eadem quoq; Thucydides in illa Athenienſi, quam & ipſe 2. libro, & Lucretius 6. natura. deſcripſerunt, eueniſſe narrat, vnde utraſque uere peſtiferas fuiſse conijci poteſt. Vtrum autem ea fuerit, in qua depellēda tantum glorię ſibi comparaſse Hipp. prodiderunt Varro, Strabo, Plutarchus, & Plinius, nō oportet diligenter hoc in loco perquirere. Hic uidetur fateri eādem eſse, cum eadem

Ex ipſius met locis & teſtimonio.

fatea-

fateatur ſymptomata, & non eſse non audeat negare, ſed apertiſſimis uerbis hoc fatetur in hoc ipſo libro, nam in prime hiſtoriæ explicatione, ita loquitur in procemio: Huiuſmodi Hippocratis narratio diuerſa eſt à narratione aliorũ hiſtoricorum, quòd omnia contingentia narrent, Hippocrates autem, ut ait Galenus nequaquam omnia, qui lib. 2. de diffic. reſpir. cap. 7. comparans hiſtoriam Thucydidis, qui deſcripſit libro 2. Athenienſem peſtem, & Hippocratis, qui de eadem locutus in lib. Epidem. ait eum cuncta, etiam idiotis perſpecta enarraſſe, Hippocratem uero pauca ex his, quę ad totam affectionem pertinent, circa quam ægrotus eſt periclitatus, ſcripſiſſe, multa vulgaria prætermiſiſſe, multaq; ab alijs prætermiſſa, & neglecta recitaſſe, quod ad vſum artis ualde conducerent. Verum tantum abeſt, ut hac de cauſa ſit accuſandus vir preſtantiſſimus, & omnium noſtri temporis medicorum coryphæus, ac princeps, ut uel maxime ſit non ſolum excuſandus, ſed ſummopere laudandus, hinc ſumpta occaſione, quòd in tanta ſcriptorum, & lucubrationum eruditiſſimarum varietate, cum plura ipſe ſcripſerit in arte medica, quã alij fortaſſe legerint, nuſquam niſi in his euiuſculis offenderit, ac ſibi contradixerit, quæ memoriolæ potius humanæ imbecillitati condonanda, quam uitio ulli aſcribenda, cum medici cæteri, etiam præſtantiſſimi non ſemel aut bis, ſed frequentiſſime ſibi contradixiſſe reperiantur, ut Galenus, & alij, quemadmodum eſt uidere in eorum libris, qui pugnantia loca ueterum medicorum aggreſſi ſunt conciliare: imò hæc ipſa in ipſo horum locorum contradictio, & pugna conciliari poteſt, ut dicamus, ubi negat eſſe eandẽ reſpicere ad recidiuam, quam deſcripſit Hippocrates, quæ cũ anni ſpatio interiecto acciderit, alia dici quodammodo poteſt fuiſſe peſtis, ab ea quam ſcribit Thrcydides, qui prioris biennij graſſantis ſymptomata perſequitur, dici enim poteſt eadem eſse, & non eſse quodammodo.

Mercurialis excuſatio & laus

ἐτύγχανεν ὄν.] Citat hunc locum Demetrius in libello περὶ ἑρμηνείας, & dicit maxime facere hic, τὸ μεγαλοπρεπὲς & μέγεθος, δυσφωνίαν τῆς συνθέσεως, ideſt, aſperitatem compoſitionis, quæ eſt in hoc periodo, ſiue membro. Nam cùm ex tribus idea conſtet διανοίᾳ, λέξει, & συνθέσει, ideſt, ſententia, dictione, & compoſitione. In hac poſtrema

Magnificata Thucydidis orationẽ facit ſtructuræ & numeri aſperitas.

ideſt,

maxime excellit Thucydides, in qua hanc formam maxime inuehunt in orationem: primum, τῆ ῥυθμοῦ μακρότης, ideſt, numeri longitudo: quare laudat pœonem numerum id efficientem: ſecũdo, τὰ μήκη τῶν κώλων, ideſt, longitudo membrorum; cuius etiam exemplum proponit initium Thucydidiæ hiſtoriæ Θουκυδίδης ἀθηναῖος, &c. tertio, ἐκ περιαγωγῆς λέγειν, ideſt, ex circumducto dicere, quod eo fit tempore, cũ in re aliqua exponenda pluribus partibus eius narrationis inculcatis, nullæ ipſarum abſoluuntur, ſed animus eius, qui audit vſque ad extremum ſuſpenſus tenetur: quo in loco, re tandem in longum protracta, ſententia perficitur, & abſoluitur, vt cùm pendeat quodammodo à principio finis, multis interiectis, circumagi merito dicatur auditor. Cuius etiã exemplum proponit ex Thucydide in hoc ipſo ſecundo libro, vbi Acheloi fluuij ortum, curſumq; deſcribit, ὁ γὰρ Ἀχελῶος ποταμὸς, &c. quarto poſtremo τῆ δυσφωνίᾳ, ideſt, aſperitate compoſitionis, & numeri, &c. & pro exemplo proponit hunc locum Thucydidis; ſed quia non contentus ſignificaſſe Thucydidem delectari hac aſperitate, addit etiam ipſum fugere τὸ λεῖον, & τὸ ὁμαλὲς, lene, & æquabile dicendi genus, & compoſitionis, elegantiſſima vſus comparatione, nõ erit alienũ ipſamet Demetrij verba recitare, quę ita habent: ποιεῖ δὲ, καὶ δυσφωνία ἐκ συνθέσεως ἐν πολλοῖς μέγεθος, οἷον τὸ. αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' ἕκτορι χαλκοκορυστῆ, ἄλλως μὲν γὰρ ἴσως δυσήκοος ἡ τῶν γραμμάτων σύμπληξις: ὑπερβολὴ δ' ἐμφαίνουσα τὸ μέγεθος τῆ ἥρωος: λειότης γὰρ, καὶ τὸ εὐήκοον οὐ πάνυ ἐν μεγαλοπρεπείᾳ χώραν ἔχουσιν. εἰ μήπου ἐν ὀλίγοις, καὶ ὁ Θουκυδίδης δὲ πανταχοῦ σχεδὸν φεύγει τὸ λεῖον, καὶ ὁμαλὲς τῆς συνθέσεως, καὶ ἀεὶ μᾶλλον τι προσκρούοντι ἔοικεν, ὥσπερ οἱ τὰς τραχείας ὁδοὺς πορευόμενοι. ἐπὰν λέγῃ ὅτι: τὸ μὲν δὴ ἔτος ὡς ὡμολόγητο, ἄνοσον εἰς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. ῥᾷον γὰρ καὶ ἥδιον ὧδ' ἄν τις εἶπεν ὅτι ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ὂν ἐτύγχανεν. ἀφῄρετο δ' αὐτοῦ τὴν μεγαλοπρέπειαν, ideſt, Efficit verò & aſperitas expoſitionis in multis granditatem, vt illud: αἴας δ' ὁ μέγας αἰὲν ἐφ' ἕκτορι χαλκοκορυστῆ. Alioqui enim fortaſſe aſpera, & auribus moleſta literarum coagmentatio; exceſſus verò, & exuperantia oſtendens magnitudinem herois, leuitas enim, & aurium oblectatio, non valde in granditate locũ habent, niſi alicubi in paucis, & Thucydides vbique ferè fugit læue, & æquabile compoſitionis,

&

& ſemper magis offendẽti ad aliquam rem ſimilis videtur, vt qui per aſperas vias ambulant, vt cùm dixerit, quòd τὸ μὲν δὴ ἔτος ὡς ὡμολόγητο, ἄνοσον εἰς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. facilius enim, & iucundius ita quis dixiſſet, ὅτι ἄνοσον εἰς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ὂν ἐτύγχανεν, uerum ſuſtuliſſet ipſis granditatẽ, & magnificentiam. In quo etiam animaduertendum, mul ta interiecta uerba omiſsa à Demetrio, uel quia id nihil ad rem faciebat, cum ex primis, & ultimis numeri ratio cõſtet, & clauſulam tantum uellet notare, uel, ut ſupra dictum eſt, quia uitio memoriæ lapſus eſt.

προὔκαμνέ τι, Aliquo morbo laborabat.] Vel ex hoc Thucydidis loco ueritas cognoſcitur illius Theorematis inter Medicos celebris, & decantati, quòd ſcilicet peſtis quaſi Proteus uertit ſeſe in omnes morborum facies; & coniungitur cum omnibus morbis à putredine ortũ ducentibus, ſuoq; inquinamento, ac ui deleteria inficiens, ex ſanabilibus reddit inſanabiles, & peſtilentes. Idem multi Gallico quoque tribuunt, ut quaſi Chamæleon ad omnes alias morborum ideas, & ſpecies ſeſe quaſi colores accommodet, atque conuertat: quare facile latet in multis, qui nunquam perſuaderi poſſunt ſe Gallico laborare, cum notorio genere morbi ſe teneri uideant, neſcientes, Gallicam labem cum morbo aliquo facili complicatam longe difficillimum curatu illum reddere, & ſub illius quaſi larua, & imagine latitare.

Peſtis quaſi Proteus vertit ſe in oẽs morborum facies.

ἀπεκρίθη, Conuertebantur.] Vtitur Medicorũ uocabulo, qui ſolutionem morbi à natura factam quoquomodo ſiue ad ſalutem, ſiue ad malum Criſim uocant, & rem ipſam κρίνεσθαι iudicari, unde ἀποκρίνομαι, quaſi per iudicationem expellor, & ſoluor. Hũc imitatus Agathias lib. 2. hiſt. ubi peſtẽ illam, in qua Leutharius perijt, perſequitur. Vſus eſt hoc uocabulo medicorum: ſub finem enim ait, ποικίλα μὲν γὰρ αὐτοῖς ἐπεφέρετο πάθη, ἅπαντα δὲ εἰς ὄλεθρον ἀπεκρίνετο. Varia quidem illis morborum genera incidebant, omnia uerò ad pernitiem iudicabantur. Quod uero morbi alijs morbis ſuperuenientibus iudicentur, & ad bonum, & ad malum, tam eſt apud medicos notum, & exploratum, quam quod eſt exploratiſſimum: neque ſolum ſuperuenientibus fit iſta criſis, ſed etiam permutatione μεταπτώσει, quæ quomodo differant inter ſe, Galenus oſtendit 7. Aphor. 11. ubi dicit, Μεταπτώσει μὲν

Morbi alijs morbis iudicãtur.

οὖν ὅταν τοῦ προτέρου παυσαμένου ἕτερον γένηται, ἐπιγίνεται δὲ ὅταν διαμένοντος ἐκείνου προσγένηται ἕτερον, ideſt, tranſmutatur morbus, cum priore ceſſante, alter inuadit; ſuperuenit verò, cum permanente illo, accedit alius, ſic, vt eodē Aphor. dicit pleuritis tranſit in peripneumoniã, & rurſus peripneumonia in phrenitidem Aphor. 12. phrenitis in lethargum, & cardiacum, teſte Celſo lib. 3. cap. 19. ſic febres inuicem permutantur, ephemera in putridam, intermittens putrida in continentem abit, continens in malignam, & peſtilentem, ſic etiam ad bonum, vt maniam ſuperueniens dyſenteria, vel hydrops ſanat. Aphor. 7. Aphor. 5. eandem ſoluunt varices, & hęmorrohides ſuperuenientes. Aphor. 6. Aphor. 21. leucophlegmatiã diarrhœa fortis ſoluit. Aphor. 7. Aph. 29. ſic anginam œdema, & rubor ſuperueniẽs tam in broncho, quàm in pectore, & collo ſoluit. Aphor. 4. ... & 7. Aphor. 49. & 6. Aphor. 37. dolorem hepatis à flatu ſuperueniens febris. Aphor. 7. Aphor. 52. & Aphor. 6. Aphor. 40. ſic dolorem capitis cum aphonia Aphor. 6. Aphor. 51. & Aphor. 5. Apho. 5. ſic in longis lienterijs ὀξυγεγμὴ ſanat. Aphor. 7. Aphor. 1. nephriticos, & melancholicos hęmorrhoidum fluxus ſuperueniens ſanat. Aphor 6. Aphor. 11. diarrhœam longam ſanat vomitus ἀπὸ ταυτομάτου, ideſt ſuperueniens, caſu, Aphor. 6. Aphor. 15. ſic ophthalmiã diarrhœa ibidem Aphor. 17. ſplenicos dyſenteria ibidem Aphor. 48. ſic ſpaſmum, & tetanũ ſoluit febris ſuperueniens. Aphor. 4. Aphor. 57. febrim ſoluit icterus, ardentem febrem rigor. ibidem Aphor. 58. & 63. de qua morborũ per alios morbos curatione vide in 6. Epid. Com. 6. contex. vlt. pro quibus qui morbi, vbi Galenus plura perſequitur. Hoc verò eſſe veræ peſtis ſignum, quòd omnes morbi in idem genus conuertantur, & deſinant, declarat etiam Mercurialis in prælect. de Peſte, cap. 17. vbi ait: Paucissimos dico ægrotaſſe alio morbi genere Patauij, & Venetijs, & in ijs locis, ubi peſtis graſſabatur, quinimo inter alia ſigna hoc tradidi uobis, quòd pauciſſimi alio morbi genere ſint tentati, & quòd cæteræ ægritudines in peſtiferas uerterentur Et Benedictus Victorius Fauentinus teſtatur in ſua Praxi, Cucurbitulas ſcarificatas febrienti applicatas in peſtifera ulcera abijſſe. Ait enim: Memoria teneo ego, quòd tempore peſtilentiæ M. D. XXVI. fuerunt cuidam febrienti applicatæ

In vera peſte omnes morbi in illam conuertuntur.

catæ

catæ in natibus cucurbitulæ ſcarificatæ,& paulo poſt illi ſcarificationi iuncta fuit illa praua, & occulta qualitas, & ipſa ſcarificatio apoſtemate peſtifero affecta fuit, & breui æger moriebatur. Natalis de Comitibus lib. 27. Hiſt. ſui temporis, ubi deſcribit peſtilentiam Venetam, id in ea teſtatur accidiſſe. Ait enim: Cœpit uis morbi denique ſic incrudeſcere, ut omnes ægritudines, quæcumque eſſe cœpiſſent, mox in hũc lætiferum conuerterentur, cum ſcabies, & uulnera, & quæuis ulcera fricando concepta fierent peſtilentia. Et Hieronymus Mercurialis in Piſanis prælect. ægroto 27. teſtatur eſſe maximæ prauitatis indicium, quando morbi, qui ſunt ſalutares, & ab alijs liberare ſolent, fiunt exitioſi, ut ibi de Quartana loquitur peſtilenti. Sic Marſilius Ficinus in Epidem. antid. cap. 4. ubi ait: Et omnis quæcumque fuerit infirmitas, in peſtilentiam facile tranſire poterit, febres præſertim furioſæ, & continuæ, unde communiter euenire ſolet, quòd hoc morboſo tempore nulla præter peſtem ægritudo appareat. Et Andræas Gallus in Faſciculo 5. de Peſte (ita ſuos inſcripſit libros) uigentis peſtilentiæ hoc ſignum dicit. Cum peſtis uires in una regione uigent, quicumque morbus, qui tunc acciderit, ſi bene pueri uermibus moleſtarentur, peſtifer erit; ſed cum inde complures ſeorſum à peſte diſſimiles morbi contingant, tunc peſtem uires ſuas remittere, indiciũ erit; quod ante ipſum etiam dixerat Ficinus loco antecitato. Hunc Thucydidis locũ citat Gerardus Columba lib. 1. c. 32. & ſuam ſententiã Thucydidis teſtimonio, ac auctoritate fulcit, reddens rationem, cur in peſte febres etiã intermittẽtes, quæ periculoſæ non ſunt ex Hippocratis doctrina, maiori ex parte occidant, & ait: Reſpondeo, intermittentes febres de ſui natura, nec eſſe peſtilentes, neque cũ periculo, dum ſporadicæ ſunt; ſi tamen contingat, quòd ex priuato humorũ uitio genitæ in cõmunis aeris pernitioſum coinquinamentum incidant, accepta uenenoſa lue extrinſecus, peſtilentes euadunt, & quæ ob propriam naturam ſalubres, & ſine periculo fuiſſent, ob communem pernitiem in peſtilentes commutãtur; ideo dicebat Thucydides (ꝙ ſi quis morbis alijs antea laborabat) hi omnes in hũc peſtilẽtiæ morbũ uertebant.

Quoniam verò Criſis facta eſt mentio, videtur res ipſa à nobis quoddãmodo efflagitare, vt, quid illa ſit, exponamus.

Criſis vocabulũ vnde dedu-ctum.

Et quia de crisi nos in nostris in Aphor. Hipp. sect. 1. Cõmen. multa diximus, ex illis erunt nobis repetenda. Hoc igitur vocabulum deductum per metaphoram testatur Galenus 3. de crisibus, & 1. de diebus criticis à iudicio forensi, quia rudes homines, qui intersunt symptomatis sæuissimis, quibus eo tempore ægri conflictantur, putant agi de ægri vita, non secus ac Rei, cum apud iudices causa dicitur. Quam etiã metaphoræ rationem probat Oribasius in Cõment. 2. Aphor. 14. alia tamen ratione eam explicat. Ait enim: Natura velut iudex residet in tribunali, ante quod duo litigantes accedũt, vnus ad alterum dicit, En vinco; alter inquit, Non vincis, sed ego: at vbi ingressi fuerint, & silentiũ indictũ, discernit iudex apud semetipsum, & sic loquitur, Ille vincit: & quod antea fuit litigiosum, postmodum efficitur quietum. Sic itaque & natura, vt iudex constituitur, virtus & humores cum affectu litigant: natura verò media est. Dicunt humores, Nos illuc ingredimur, quia nostrum est. Virtus respondet, Ego assumo tanquam quod meum est, si se iunxerit natura cũ humoribus, vincitur virtus: si verò se iunxerit cum virtute, vincuntur humores, & affectus, & fit iudicatio ad salutẽ. Sic itaque confidit virtus naturæ, quemadmodum si deploratus homo habeat aduocatum bonum. Quam tamen metaphoræ, siue etymi deductionem sunt qui non probent, cũ dicant potius translatum vocabulum ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς μάχης, idest, à iudicio pugnæ; quam ego quoque non reijcio, cum videatur Philothei medici præstantissimi, & Hippocratis interpretis celeberrimi auctoritate niti, ita dicentis in Cõment. Aphor. 14. vbi rationem reddit, cur nox præcedens crisim sit grauior: ταύτης τῆς κρίσεως ἡ προηγουμένη νὺξ δύσφορος γίνεται, καὶ εὐλόγως, ὥσπερ γὰρ ἀθλητὴς, ἢ στρατηγὸς ὅσον οὔπω τοῦ ἀγῶνος ἐπικειμένου ταράττεται, καὶ προευτρεπίζεται πῶς μὲν ὀφείλει τοῖς πολεμίοις ἐπελθεῖν, πῶς δὲ αὐτοὺς ἐκκλίναι, οὕτω καὶ ἡ φύσις ταράττεται εὐτρεπίζουσα τὰς ἑαυτῆς δυνάμεις πρὸς τὸ ἀποδιῶξαι καὶ ἀλλοιῶσαι τὴν νοσοποιὸν ὕλην, κἀντεῦθεν δυσφορία γίνεται, idest, Hanc iudicationem præcedens nox difficilis fit, & merito; quemadmodum enim Athleta, vel Dux, imminente certamine, perturbatur, & ante meditatur, quonam pacto debeat hostes aggredi, & quo modo eorum impressionem declinare: sic etiam natura perturbatur, instruens, ac parans suas

Crisis definitio ex philotheo

suas facultates ad persequendam, & alterandam morbificā materiam, & hinc illa oritur difficultas. Quare ex hoc ipso definitionem quoque illius accepit: ita enim definit, Κρίσις ἐστιν ἀγὼν φύσεως καὶ νοσήματος, ἢ ἀθρόα ἐν νούσῳ μεταβολὴ, idest, Crisis est certamē naturę, & morbi, ac subita in morbo facta permutatio. Tria autem potissimum significat apud medicos, & præsertim Hippocratem. Primum, λύσιν, seu λύεσθαι, idest, Solutionem, & solui. Quare Cornelius Celsus Latinus Hipp. plerumque ex Hipp. locis accipiens præcepta, vertit solui, & finiri. Secundo significat motum quendam naturę uehementem, ad rei alicuius expulsionem: & hæc est generalis crisis notio, in qua non solum morbi, sed etiam cætera dicuntur iudicari, ut partus, abortus, conceptio, &c. Et quēadmodum in iudicio non de leuibus rebus, sed de grauioribus actiones intendi solent, & exerceri iudicia, ita non omnis naturę motus ad onus deponendū proprie crisis dicit̄, sed solum insignis, in quo natura cum morbo, uel causa morbi auctore non secus pugnet, ac reus cum petitore, uel accusatore in quo, ut necesse est alterutrum uincere, ita hic uel naturam, uel morbum. Tertio significat morborum permutationem, ut hoc loco apud Thucydidem. Dicitur etiam crisis pro accessione, ut Aphor. 19. primæ sect. ut contra etiam paraxysmus pro crisi usurpatur, ut Aphor. 14. secundæ sect. & aliæ etiam sunt huius uocabuli notiones apud Galenum sparsæ, quas prætereo, quia minus ad rem nostram faciunt. Tres habet partes ταραχὴν, idest, turbationē, ἔκκρισιν, idest, excretionem, & λύσιν, idest, solutionem, quæ omnes etiam generis, & totius nomine appellant̄, nempe crises, quatuor habet differentias, uel duas duplicatas ad salutem, ad mortem, ad melius, ad peius: ἐπὶ σωτηρίην ἢ ὄλεθρον ῥοπὴν ἐπὶ τὸ ἄμεινον ἢ χεῖρον. Proprie autē dicitur κρίσις, quę ad salutem; cætera uero cum termino distrahente, ut mala crisis. Definitur autem à Galeno in Comment. 14. Aphor. 1. sect. 2. ὀξύῤῥοπος ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγείαν, ἢ θάνατον, idest, uelox in morbo permutatio ad sanitatem, aut mortem. Fit uerò, inquit, idem eodem Aphor. τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ, καὶ παρασκευαζούσης τὴν ἔκκρισιν, idest, natura secernente à bonis mala, & præparante ad excretionem. Videtur verò hic oriri difficultas, quomodo dixerit Thucydides, quòd in pe-

Crisis tria significat.

Crisis tres partes.

Crisis definitio ex Galeno.

stem

stem omnia ἀπεκρίθησαν, idest iudicata sunt, cum Hippocrate contra in 3. Epid. testetur nullam factã iudicationem: con tex. enim 4 1. ait, κρίσιμον οὐδὲ χρηστὸν οὐδὲν, idest, iudicatoriũ, & vtile nihil, & sequenti contextu, οὐδ' ἄλλο κρίσιμον οὐδὲν τοῖσιν οὕτως ἔχουσι ἐπεφαίνετο, idest, neque iudicatorium quicquam his ita se habẽtibus apparebat, & ante contextu 17. dixerat ἀκρισίαι πολλαί, nõ iudicationes, idest, mala iudicia multa, sed facilis solutio, quia non proprie locutus Thucydides, sed abusus est vocabulo de mala crisi verba faciens non de vera, quæ est ad salutem vt diximus.

προφάσιος, Causa.] Videtur Thucydides medice interdũ loqui, & uocabulis uti medicorum, & fortasse etiam Hippocratis scripta, qui suo tempore floruit, perlegerat, cum constet ex Decreto Atheniensium scripta de Peste Hippocratis edita: ipse enim ubique causas externas, ac manifestas, quas uocauit Celsus euidentes, atque conspicuas προφάσεις appellat. Sic annotauit Galenus in 4. de acut. Coment. 14. ubi dicit animaduertendum medico, ne eum lateat τις τῶν προφάσιων, idest, aliqua causa euidens, ubi Galenus in Commentario inquit, ἐμάθομεν ὅτι τὰς φανερὰς αἰτίας ὀνομάζει προφάσεις, idest, didicimus, quòd manifestas causas nominat occasiones, &c. Et in 1. Epid. contex. 1. idem asserit, addens præterea solere hoc uocabulo significari causas confictas, & tandem omnes causas, idem in Aphorismis notat, & alibi sæpius: in 3. Epid. 3. contex. 22. de Erysipelate uerba faciẽs, inquit: αὐτὸ γίνεσθαι λέγων ἐπὶ μικραῖς ἀφορμαῖς, ἃς προφάσεις ὀνόμασεν, idest, ipsum gigni asseuerans paruis de causis, quas uocauit occasiones. Quare uehementer laudo uersionem Porti, qui ita reddidit; alios uerò, qui corpore sano erant, nulla certa, manifestaq; causa apparente, sed ex improuiso, &c. & magis medice uertit, quàm Acacius, qui reddit nullis præcedentibus signis; nam aliud est apud medicos signum, aliud causa, quamuis idem apud eosdem possit esse, & signum, & causa, sed uaria ratione. Aemilius Francisci filius patris sequitur uestigia, & in Scholijs explicat ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσιος, idest, incerta, atque incognita causa. Exemplisq; rem declarat: solent enim huiusmodi, inquit, inflammationes accidere & feruores, his qui ad Solis æstum diutius commorantur; ijs etiam, qui intemperantius uinum meracius potarunt: sed hi, quos dicit Thucy-

πρόφασις, & occasio quid apud medicos significet.

Thucydides, nihil tale commiserant. Quid uerò proprie hęc uerba sibi uelint, declaratur subsequenti uerbo ἀλλ' ἐξαίφνης, quòd quasi per σαφηνισμὸν est adiectum, idest, subito, & significat aliquid repentino accidens sine manifesta causa. Sic Philotheus Aphorismorum elegantissimus interpres lib. 5. Aphor. 68. ubi loquitur de humoribus ἀφανισθέντων ἐξαίφνης euanescētibus subito, interpretatur uocem ἐξαίφνης ἄνευ φανερᾶς αἰτίας, idest, sine manifesta causa.

ἐξαίφνης. Extemplo.] Videtur innuere, ac significare Thucydides, quod etiam dixit Hippocrates, nempe accidisse hęc τοῖς μὲν μετὰ προφάσιος, τοῖσδὲ οὔ. idest, nonnullis quidem cū causa, & occasione prægressa, aliquibus autem non, sed subito cum sani essent, & nullum esset in victus ratione, quæ dicitur δίαιτη, admissum erratum, nempe in nulla rerum sex non naturalium, quæ omnia sub illo verbo comprehendentur teste Galeno 3. in 3. Epid. contextu 9. & alibi sæpe, quod maxime confirmat Scholiastæ etiam græci auctoritas, qui comparatis fortasse Hipp. & Thucydidis locis, interpretatur hoc loco Thucydidium hoc verbum Hippocratico sensu ἀπροφασίστως, idest, sine occasione, & causa præcurrente, vt paulo ante etiam dictum ex Theophilo, vel interpretandum etiam hoc verbum alio Hippocratico, quo vtitur in Epidem. ὀρθοστάδην, idest, cum non adhuc decumberent, sed recti, & sani incederent, vt 1. Epid. commen. 2. cont. 12. vbi ait commemorans symptomata illius pestis, ἐγίνοντο δὲ ταῦτα πολλοῖσιν ὀρθοστάδην ἀπύροις, πολλοῖσι δὲ πυρέττουσι, idest, eueniebant hæc multis rectis stantibus, & sine febre, multis vero febricitantibus, & cont. 41. ἐγίνετο δὲ καὶ τῶν ἄλλων πολλοῖσιν ὀρθοστάδην, καὶ ἐπὶ τῶν νοσημάτων. idest, (stranguriæ) accidebant alijs multis nō decumbentibus, alijs vero morbo correptis. Hic enim ipse quoque Thucydides dicit alios alijs correptos morbis in pestem delapsos, alios vero alio morbo non laborantes, sine vlla occasione primo insultu pestilentia infectos: licet hoc uerbo non ita exprimatur subita impressio ab Hippo. nam plerumque eo utitur etiam coniuncto, & cū tempore, & cum occasione, ut lib. 3. Epid. 3. ægr. 11. ἐκ λύπης μετὰ προφάσιος ὀρθοστάδην, idest, ex merore, cum occasione recta stans, & ægroto 13. ὀρθοστάδην ὑπεφέρετο χρόνον πολύν, idest, rectus stans sustinebat multo iam tempore, & contex. 66.

eiusdem

eiusdem libri, loquens de tabidis; οἱ δὲ αὐτῶν ὀρθοστάδην ὑπεφέροντο. idest, ex ipsis vero nonnulli recti stantes sustinebant malum, sed vtitur ipse quoque hoc ipso Thucydidio verbo, & in expositione, & in ægrotis, eodem libro, & contextu me morato dixit, ἤρξαντο μὲν οὖν τοῖς πλείστοις τούτων ἐξαίφνης, ἐκ τούτων κακοῦσθαι, idest, cœperunt igitur plurimi ex his subito ab his affligi: & ægroto, quinto eiusdem libri μηρὸν δεξιὸν ἐπόνεσεν ἐξαίφνης, idest, dextri fœmoris dolorē sensit subito, idest, sine data occasione, & sine causa procatarctica, ac manifesta, quam interdum in aliquibus ægrotis notat. Iacotius in Coacis notat per hæc vocabula significari primum ægrotationis diem, & potissimum per ὀρθοστάδην, à die enim decubitus primo, numerantur dies ægrotationis à medicis.

Pestis repētina inuasio assimilata ictui iaculi de sagittæ.

Hollerius Stēpanus, hunc subitū, ac repentinū morbi impetum, & inuasionem elegantissime assimilauit ictui iaculi, ita enim scribit de Bubone pestilenti verba faciens in libello de peste Videns enim in pestilenti conditione, qui de repente quasi iaculo icti in inguine Bubonis initia, & florem statim presentiscant, quam similitudinem, ut eleganter excogitatam, & recte rei euentum explicantem, repetiuit etiā in commen. 1. in 2. Coacorum aph. 39. eisdem quasi verbis, sunt quibus nihil tale cogitantibus de repente dolor, quasi euibrante Iaculo in inguinibus, & alis percipitur: quam metaphoram arbitror ab ipso fuisse acceptam, vel ab antiquis medicis, qui significare hoc idem in pleuritico dolore volētes, illum morbum telum appellabant, quòd instar teli emissi, ab aliquo loco ex improuiso adoriatur, & vrgeat, & ita extincti vocantur ab Hippocrate Crisallor, βλητοί, idest, percussi, vel à fabulis, & potissimum Homero, qui hunc repentinum pestis ingruentis insultum telis, & sagittis assimilauit, dicens Græcos confixos sagittis Apollinis, qui noctū similis aduenit, idest, occultus, ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς. idest, ibat nocti similis, ad significandam clandestinam ueneni latentis vim, quæ subito opprimit, & de illius arcu, qui Grēcè dicitur, βιός, ab Homero (teste Eustrathio) Heraclitus dicebat ludens, quòd τοῦ βιοῦ τὸ μὲν ὄνομα βίος, τὸ δὲ ἔργον θάνατος. quòd scilicet, arcus Apollinei nomen esset uita, (quæ Græcè dicitur βίος, accentu retracto) effectus autem mors: quare Horatius in carmine sæculari inuocans Apollinem, ut fa-

ueat Romanis, precatur, vt pueros audiat posito telo, idest, sine pestilentia.

Condito mitis, placidusque telo,
Supplices audi pueros Apollo.

Vbi Parthenius meus, qui ex hoc loco grecas profitebatur ante me, literas. in commentario, ait. sapienter orat, ut Apollo pestilentiam, & morbos auerruncet, quorum causa est nimius solis ardor, quare Homerus Apollinem sagittis suis grecorum exercitum pene perdidisse finxit, & ideo etiam diuinus vates Dauid. Psalm. 90. appellauit דבר deber, idest, pestilentiam, ambulantem in tenebris, quod occulte, & improuiso corripiat, ut supra etiam declaratum cum de nominibus pestis ageremus, quare etiam Chaldaice Ionathas vocauit pestem sagittam Angeli mortis גרידא דמלאך מותא gherida dimaleach motha. sagitta Angeli mortis: Causa porrò tam repentini insultus, & impressionis pestilentis referenda est in vim veneni, quod longo tempore collectum, repente se se prodat, vt testatur Galenus multis in locis, & potissimum commen. 3. in librum de alimento, vbi dicit: humor vitiosus ex prauis cibis collectus dico in venis latet, qui temporis progressu pestiferas febres gignit, sed nullus est locus magis accommodatus, quam in tertio Epid. in exemplo phrenitici, qui obijt in quarta: nam constat illum pestilentia correptum, & symptomatis affectum, quæ hic narrat Thucydides, vomitum biliosum, & capitis ardorem ac grauitatem, ibi enim ita de hac re disputat Galenus, vt videatur voluisse huius facti reddere rationem, & respexisse ad hunc Thucydidis locum, cũ illius vtatur verbo sæpius ἐξαίφνης, sed quia locus est valde insignis integrum recitabo.

Causa repẽtini insultus pestis est uis ueneni.

ἄξιον δὲ θαυμάσαι τὴν τῶν τοιούτων νοσημάτων γένεσιν, ὅπως ἐξαίφνης ἐπιτίθεται τοῖς ἀμέμπτως ὑγιαίνουσιν, οὐ γὰρ δὴ ὥσπερ ἐξαιφνήδιος ἡ γένεσις αὐτῶν ἐστὶν, οὕτω καὶ ἡ τῆς γενέσεως αἰτία, καθάπερ εἰ καὶ φάρμακον ἔλαβε θανάσιμον ὁ ἄνθρωπος, ἤ τι τῶν χαλεπωτάτων θηρίων ἔδακεν αὐτόν, ἀλλὰ κατὰ βραχύ πως ηὔξησαν ἐν τῷ σώματι τὴν τὰ τοιαῦτα πάθη δυναμένην αἰτίαν ἐργάζεσθαι, καθάπερ ἐπὶ τῶν λυσσοδήκτων συμβαίνει, πρόδηλον γὰρ ἔτι κἀκείνοις, οὐκ ἀργῶν, οὐδ᾽ ἡσυχάζων ὁ τοῦ θηρός ἰός, οὐδὲν ἑαυτῷ γνώρισμα παρέχει πολλῶν ἐφεξῆς ἐνίοτε μηνῶν, ἐξαίφνης δὲ αὐτοῖς συμβαίνει θεασαμένοις ὕδωρ φοβηθῆναι κἀντεῦθεν ἢ διὰ ταχέων ἀπόλλυσθαι, πολλῷ μὲν

αὐξανομένης χρόνῳ τῆς, τὴν λύτταν ἐργαζομένης αἰτίας, ὅταν ἅπαξ εἰς τοῦτ' ἀφίκηται, ταχὺν ἐπιφερούσης τὸν θάνατον, σχεδὸν οὖν καὶ περὶ τῆς εἰρημένης φρενίτιδος, ἠθροίζετο τις ἐν τῷ σώματι μοχθηρὸς χυμὸς ἰῷ δηλητηρίῳ παραπλήσιος, ἐνεργῶν μέντοι κατὰ βραχὺ ἐπὶ τοῖς σώμασιν, οἷς ὁμιλῶν ἐτύγχανε, ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνα προδιετέθειτο πῶς, ὅτε χυμὸς ἐπὶ πλεῖστον ηὐξήθη κακοηθείας, ἐξαιφνήδιον ἐφάνη θανατῶδες σύμπτωμα, καὶ γάρτοι καὶ τῷ φρενιτικῷ οὕτω κατὰ τὴν ἀρχὴν εὐθέως ἔμετος ἰωδῶν ἐγένετο, πυρετοῖς ἑπομένοις ὡς τὸ πολὺ διακαέσιν, ὥσπερ οὖν ἐπὶ τῶν θανασίμων φαρμάκων ἀποθνήσκουσιν ἔνιοι δευτεραῖοι, καὶ τριταῖοι, τῆς ποιότητος αὐτῶν, οὐ τοῦ πλήθους ἐργαζομένης τὸν θάνατον, οὕτω καὶ τὸν ἄῤῥωστον τοῦτον εὐθέως ἀποθανεῖν ἡγητέον τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν ὑπὸ τῆς ποιότητος τῶν ἰωδῶν χυμῶν οὐχ ὑπὸ τῆς φρενίτιδος διαφθαρέντα, παρακολουθῆσαι δ' αὐτῷ τὴν φρενῖτιν ὥσπερ τι σύμπτωμα. idest, dignum uero admiratione est, quo modo fiat hæc morbor procreatio, ut subito inuadat inculpate sanos, & firma utentes valetudine, non enim quemadmodum repentina est eorum generatio, ita etiam generationis causa, quemadmodum si pharmacum lethale accepisset homo, vel aliqua ex asperrimis serpētibus ipsum momordisset, sed paulatim auxerunt in corpore causam, quę posset huiusmodi affectus efficere, vt in demorsis à cane rabido contingit, planum enim, quòd & illis, neque feriatum, neque quiescens canis venenum nullum tamen ipsis indicium præbet multos interdum post menses, repente vero ipsis contingit aquam respiciētibus terreri, & hinc iam breui occumbere: ex multo quidem tempore collecta, & aucta causa efficiente rabiem, sed cum semel ad hunc terminū peruenerit, subitam mortem inferente, fere igitur, & in dicta phrenitide collectus fuerat quidam in corpore prauus succus veneno deleterio similis, agens quidem paulatim in corporibus, in quibus versaretur, quia vero illa ante quodammodo parata erant, atque disposita, & succus ipse ad summum malitię cumulatus, repētino apparuit lethale symptoma: etenim & phrenitico ita ab initio statim vomitus ęruginosorum adfuit febribus subsequētibus, vt plurimum inflammatis, velut igitur in lætalibus pharmacis, moriuntur quidam secunda die, aut tertia, qualitate ipsorum, non multitudine interitum afferente, ita & hunc ægrotum statim mortuum existimandum est, tertia die ex qualitate venena-

torum

torum ſuccorum obiiſſe, non à phrenitide extinctum, ſubſecutam verò phrenitidem, quaſi aliquod accidens, atq; ſymptoma. Videte adhuc, quæ in hanc ſententiam afferuntur à Mercuriali in hac hiſtoria explicanda in prælectionibus Piſanis, vbi reddit huius ſubiti inſultus rationem, neque mirũ debet videri, quod dicitur à Galeno diuturno tempore collectum venenum internum ſubito tandem erumpere, nam hanc eſſe multorum morborum naturam conſtat, ut in corpore humano diutius lateant, mox data occaſione ex improuiſo prodeant, quod de contagioſis maxime celebratur, vt de Gallico, & alijs. Hipp. in lib. de aff. int. ſcribit eſſe morbũ in ſiniſtra vena, quod conſeruatur & deliteſcit duodecim annos, mox tandem erumpens inducit hydropem, quare et ab antiquis teſte Plutarcho iudicatus contagioſus hydrops, ex hoc fortaſſe, quòd tamquã in fomite lateret, idemq; Hip. 4. de mor. auctor eſt morbos ſubito poſſe quidem apparere, at eorũ cauſam diu in corpore latere, ac inſenſibiliter agere, donec abſoluta eius actione extemplo morbum procreet, & interitum etiam afferat. Sed ut omittamus reliquos morbos minime lætales, vel ſaltem non venenatos, ſumantur exẽpla, vt docet Galenus à ſimilibus peſti, & venenatis morbis, morſus canis rabidi, & rabies per ſex menſes, vt plurimũ teſte Galeno, & Auicenna in corporibus deliteſcit, imò per annos complures, & vſque ad quadraginta, ut quidam annotarunt, uenenum externum ita præparatur, vt multo tempore lateat in corporibus, quę illud ſumpſere. Theoph. lib. 9. de hiſtoria plantarũ cap. 16. ita teſtatur de Aconito. συντίθεσθαι δὲ ὥστε κατὰ χρόνους τακτοὺς ἀναιρεῖν οἷον δίμηνον, τρίμηνον, ἑξάμηνον, ἐνιαυτόν, τοὺς δὲ καὶ δύο ἔτη. ideſt tradunt (quoſdam medicos) componere ita, ut per tempora ſtata interimant; ut duorum menſium, trium, ſex ſpatio, per annum, nonnullos vero etiam per duos annos. Complura vobis poſſem harum rerum, & huius ſententiæ laudare auctores, ac propugnatores, & multa etiam afferre ex hiſtorijs exempla, ſed hæc arbitror ad probãdum apud uos eſſe ſatis. Verum fortaſſe veſtrũ aliquis à me quæret, quomodo fiat, vt tempore contagioſæ peſtilentiæ tam multi afficiantur ſubito, cum non ſit credibile adeſſe in omnibus corporibus hoc diuturno tempore collectum venenum, cui ita ſatisfiet, vt dicamus quam-

Multorũ morborũ eſt natura, vt diu lateant.

Cur in peſte tam ſubito multi corripiãtur.

cumque materiam superuacaneam, & excrementitiã, quãuis non sit venenata adhuc, neque malis prædita qualitatibus, ac deleterijs, tamen accepto contagionis pestilentis inquinamento quasi fermenti exigua portione, infici tunc, & totam massam iam paratam, ac dispositam corrumpi subitò, & quo magis apta, eò citius, non secus ac videmus sulphur, & escam, quæ non sunt ignis, minima quaque scintilla accedente ignescere, & in ignis substantiam conuerti subito, ac temporis momento, quæ vero sunt puriora corpora, & minus referta ea materia, quę possit esse fomes, & esca contagionis, ea difficilius, & longiori tempore inficiuntur, sensim nempe subeunte, & agente veneno; ac materiam non adhuc aptam, & idoneam disponente. possemus etiam hoc loco interpretari verbum hoc de mortibus subitis, quæ contingunt in magnis pestilentijs, & in hac ipsa contigere, sed quia infra fiet apertissima mentio subitarũ mortium, in illud tẽpus reijcietur disputatio, & ostendetur esse hoc lęthalissimarum pestilentiarum frequens symptoma, & causæ etiam vnde oriatur, omnes, quantum in nobis erit, explicabuntur.

Κεφαλῆς θέρμαι ἰσχυραὶ, Capitis calores vehementes.] Hic aggreditur pestis symptomata recensere, in quo pręcipue se medicum præstitit non medicus Thucydides, & cœlato medici artificio, ac doctrina idiota (vt dicebat Galenus) idiotis scripsit, docturus etiam medicos, nam si quis recte animaduertat, diuisionem totius humani corporis à medicis traditam seruauit, quam fortasse Galenus illius auctor ex Thucydide arripuit, qui partitus est humanum corpus in tres κοιλίας, idest, ventres, nempe, caput, vbi animales facultates continentur, Thoracem, vbi vitales, & ventrem inferiorem, qui naturalia complectitur instrumenta, & artus, siue extrema corporis, quæ vocat Thucydides ἀκρωτήρια: hic enim Thucydides ordine primum capitis, mox Thoracis, tertio ventris, postremo extremarum partium in peste demonstrat affectus, & ita vt morborum quoque innuat tacite diuisionẽ factam ab Hippocrate, in acutissimos, peracutos, acutos & ex decidentia acutos, ἐκ μεταπτώσεως, vt suo dicetur loco, qui omnes etiam in peste, & pestilenti febre locũ habent: nam primum in capite insidens malum intra quartam,

Thucydides partitionẽ humani corporis me dicam seruauit.

Necnon diuisionẽ morborũ Hippocraticam.

tam, subito occidens est acutissimus. πάντως κατοξύ. vt quartus ægrotus in 3. Epid. τετάρτη ἔθανεν ὀξυτάτως, idest, in quarta mortuus acutissime, si ad Thoracem descendat, & ad septimam, vel etiam nonam protrahatur, est κατοξύ, si ad quartumdecimum, vsque perueniat, est simpliciter ὀξύ, si neque in quartodecimo finiatur. vsque ad quadraginta dies dicitur ἐκ μεταπτώσεως ὀξύ, licet vero nulla propria, & pathognomonica signa dicantur esse pestis, multa tamen communia ipsam indicant apertissime.

Θέρμαι ἰσχυραί. Calores vehementes.] Primum symptoma, siue signum inuadentis pestis erat calor capitis vehemens, adeo vt totum caput inflammaret, & quodammodo incenderet, sic Lucretius.

Primũ signum pestis inuadentis calor capitis vehemens.

Principio caput incensum feruore gerebant.

Quòd fiebat inflãmatis, scilicet, spiritibus animalibus: huius meminit etiam Hippo in 3. Epid. 3. Comm. 9. vbi generatim nominat erysipelata vagantia, quæ mox context. 22. præcipue caput tentasse asserit, vtrumque locum affero. πρὸ δὲ τοῦ ἦρος ἅμα τοῖσι γενομένοισι ψύχεσι ἐρυσιπέλατα πολλά, τοῖσι μὲν μετὰ προφάσιος, τοῖσι δὲ οὔ, κακοήθεα πολλοὺς ἔκτεινεν. idest, ante ver simul cum frigoribus consecutis ignes sacri multi, aliquibus accidentes cum occasione, aliquibus vero absque vlla occasione, maligni multos interfecerũt, vbi Galenus in Commen. causam referens, inquit erysipelata gigni, ὑπὸ χολώδους ῥεύματος, à fluxione biliosa, quæ tamen non sit perniciosa, & σηπεδονώδης, idest, putredinosa, quia huiusmodi erysipelata benigna sunt, si quis recte ea tractet, sed qui tunc morbum gignebat, succus fuit, κακοήθης, διαβρωτικός, καὶ σηπτικός, idest, malignus, erodens, & putrefactiuus, generatus. s. in humida ventorũ tranquillitate πλεονεξία τῆς ὑγρᾶς ἀπνοίας, in his præsertim corporibus, quæ suapte natura erant biliosi, & victus ratione, quæ græce dicitur δίαιτα, vsi erant biliosa, in contextu autem vigesimosecundo, in capite potissimũ grassatũ dicit erysipelas, & potissimum in senibus sexagenarijs, πολλοῖς μὲν τὸ ἐρυσίπελας μετὰ προφάσιος ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι καὶ πάνυ ἐπὶ μικροῖς τρωματίοισιν ἐφ' ὅλῳ τῷ σώματι, μάλιστα δὲ τοῖς περὶ ἑξήκοντα ἔτεα περὶ κεφαλήν. idest, multis quidem erysipelas cum occasione ex quibusdam valde exiguis vlcusculis in toto corpore, præcipue vero sexagenarijs in capite accen-

cendebatũr, vbi Galenus in Cõmentario tria facit primum ostendit hic recenseri merito differentias illius affectus, cuius primo fecerat mentionem, secundo cur caput potissimum tentarit erysipelas, & hanc affert rationem, διὰ τὸ πληρωθῆναι μάλιστα ταύτην, ἐν ταῖς νοτίοις τε καὶ θερμαῖς ἀπνοίαις, quòd hoc maxime esset repletum in austrinis, & calidis ventorum trãquillitatibus, tertio cur potissimum id sexagenarijs senibus accidisset, hancque refert causam, quòd περιστάμενον ἔξωθεν παρὰ φύσιν θερμόν. idest, circũfluum exterius calidum præter naturam erat in causa, vt in corpore putrescerẽt humores: quemadmodum innatus calor cum exquisite suũ seruat secundum naturam temperamentum, sanguinem cæteris succis generat vberiorem, vbi vero conuertitur, ἐπὶ τὸ πυρωδέστερον. ad magis igneum, gignit, τὴν ὠχρὰν, καὶ ξανθὴν χολὴν, idest, pallidam, & flauã bilem, sic externus calor est in causa putredinis, ὕλη μὲν γὰρ (inquit) ἐστὶν ὑγρότης, αἰτία δὲ δραστικὴ τὸ παρὰ φύσιν θερμόν, idest, materia quidem est humiditas, causa vero efficiens præternaturalis calor; senes igitur collecta superuacanea humiditate, διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσεως; idest, naturæ imbecillitatem, accedente ambiẽtis externi caliditate propter constitutionem illam facti sunt, εὐαλώτεροι, obnoxiores τῇ σηπεδονώδει φθορᾷ, idest, putredinosæ humorum corruptelæ, quoniam vero hic incidit de calore duplici à Galeno posito mentio; sciendum id multis in locis ab eo poni, & nullum alium calorem preter hos ab ipso cognosci, cæteri vero plures constituunt. Arist. 2. de generatione animalium cap. 3. videt̃ tres statuere calores, cœlestem qualis est, ἡλίου θερμότης, idest, solis calor, innatum, qui est in semine, ἀνάλογον τῶν ἄστρων στοιχείῳ, i. proportione respondens elemento stellarum, & elementarem, Aueroes etiam ipse tres ponit lib. 3. cap. 3. naturalem, extraneum, & influentem. Hippocrates vero plures videtur posuisse, licet de his duobus à Galeno propositis sæpius faciat mentionem: nã posuit æthereum, innatum, non naturalem, & igneum seu febrilem. Et ex hac capitis caliditate vehementi inflammante cerebri membranas, multi facti sunt phrenitici, quorum meminit Hippo. in 3. Epid. cont. 10. καῦσοι, φρενιτικοί, idest, febres ardẽtes phrenitici, & cont. 32. de voce lesa, quam dicit contigisse inter alios etiam τοῖσι φρενιτικοῖσι. phreniticis, & cont. 33.

Plures species caloris.

ἤρξαν

ἤρξαντο μὲν οὖν καὶ οἱ καῦσοι, καὶ τὰ φρενιτικὰ πρὸ τοῦ ἦρος, i. cępe runt febres ardentes, & phrenitici affectus ante ver. Itē cont. 62. & 70. inter ægros habetis insigne exemplū quarti ægroti. in 3. Commen. qui obijt phreniticus in quarta, & octauæ, in secūdo, quę obijt in septima phrenitica, & alia cōplura, nam aliud nihil est phrenitis nisi internū erysipelas, siue φλόγωσις, cerebri, i. inflammatio, vt. n. nephritis dr̄ inflammatio renū, pleuritis inflammatio membranæ succingentis costas, hepatitis inflammatio membranæ hepaticæ, ita φρενῖτις, dicitur membranæ cerebri inflammatio, quæ quoniam in internis partibus maximè sæuit, quæ non patent idiotis, solus medicus solet diiudicare, quippe qui multa etiam habet ex arte indicia phrenitidis latentis, & delirij, quæ alijs ignota, vt sūt oculorum rubor, & aspectus toruus, ἰδεῖν δεινὸν, siue ὄμματος θράσος, apud Hippo. 6. Epid. cont. 29. 31. musculorum ocularium tremor, dum mouentur, πνεῦμα πυκνὸν, idest, spiritus, & respiratio vehemens, & ex lōgo tempore, pupillæ motus insuetus, inassuetum, & audax respōsum, & similia, quæ ex prognost. Hipp. & Epid. libris, necnon ex Galeni commētarijs sexcentis in locis docentur artifices: cęteri, nisi externis insaniæ argumentis se prodant ęgroti, non percipiunt esse phreniticos, & delirare, quod euenisse testatur Hippoc. 3. Epid. cont. 45. οὐδ' ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδεὶς ὥσπερ ἐπ' ἄλλοισιν, ἀλλ' ἄλλῃ τινὶ καταφορῇ νωθρῇ βαρέως ἀπώλλυντο. idest, neque ad furorē peruenit quisquā phreniticus vt ī alijs, sed alia quadā cataphora hebeti grauiter periere; & cont. 34. οὐδὲ διψώδεες λίην, οὐδὲ παράληροι. i. neq; siticulosi ualde, neq; delirātes, Et ideo vt Historicus Thucydides hoc solum attigit signū externum, nempe calorem, his prætermissis, quæ ad medicum pertinebant, ne in ipso statim narrationis limine videretur profiteri se Medicum, non Historicum. Quod agnoscens Lucretius in 6. vbi omnia à Thucydide accepit, cum ipse profiteretur se poetam, & philosophum, neque illa lege teneri noluit prætermittere, sed elegantissime multis versibus phrenesis mala, & symptomata descripsit, eā etiam omnia persequens, quæ fuerant à Thucydide prætermissa, quòd medicinæ scientiam redolebant, vt sunt facies dicta Hippocratica, & signa moriturorum ab Hippocrate in prognosticis explicata. Eius hi sunt versus:

Cre-

Multaque præterea mortis tum signa dabantur
Perturbata animi mens in mœrore, metuq;
Triste supercilium, furiosus vultus, & acer
Sollicitæ porrò, plenæq; sonoribus aures,
Creber spiritus, aut ingens, raroq; coortus,
Sudorisq; madens per collum splendidus humor
Tenuia sputa croci contacta colore,
Salsaq; per fauces rauca vix edita tussi,
In manibus verò trahier nerui, & tremere artus,
A pedibusq; minutatim succedere frigus.
Non dubitabat, item ad supremum denique tempus
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duraq; inhorrebat rictum, frons tenta minebat,
Nec nimio rigida post strati morti iacebant.

Quorum nonnulla attigit Thucydides, quæ erãt manifesta, vt tussis. Vt verò intelligatis conuenire hęc Thucydidia signa cum Hippocraticis; cõferte prima verba Hippocraticæ narrationis, vbi prima symptomata cũ his conueniunt, erysipelata, maligna sunt ibi, Hic calores vehementes, ex quib. facti phrenitici, faucium labor, & ora aphthis vlcerata respondent, linguę & faucibus sanguinolentis, ophthalmiæ referũt oculorum rubores, voces læsæ raucitates ostendunt, & sic in reliquis: nam licet nomina videantur diuersa, res tamen, & affectus sunt ijdem. Hoc symptoma in peste Thebana describit eleganter Seneca in Oedipo, innuens etiam causam symptomatis, nempe vaporem igneum caput petentem. Ait enim:

O dira noui facies læti
Grauior læto? piger ignauos
Alligat artus languor, & ægro
Rubor in vultu, maculæq; caput
Sparsere leues, tum vapor ipsam
Corporis arcem flammeus vrit,
Multoq; genas sanguine tingit,
Oculiq; rigent, & sacer ignis
Pascitur artus.

Fallopius etiam in libro de Tumoribus, cap. de Bub. pestilenti, notat hoc signum post xiij. addatis, quod percipitur

caput valde calidū cum magna tensione, adest magnus dolor, qui videtur trāsire per dorsum, vnde totū dorsum dolet.
ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις, Oculorum rubores, ac inflammatio.] Hoc quoque symptoma pestis esse multi testantur. Lucretius cum superiori coniunxit:

Secundū sympto-ma pestis oculorum rubor.

Principio caput incensum feruore gerebant,
Et duplices oculos suffusa luce rubentes.

Vergilius in 3. Georg. crudescentis morbi signum fuisse dicit oculorum ardores:

Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto,
Spiritus, &c.

Lucanus etiam meminit huius symptomatis in descriptione pestis, lib. 6.

Iam riget atra cutis, distentaq; lumina rumpit,
Igneaq; in vultus, & sacro feruida morbo
Pestis abit, fessumq; caput se ferre recusat.

Vbi videtur innuere, quod ex Hippocrate supra dicebamus de Erysipelate pestilenti. Sillius Italicus meminit etiam ab oculis desumpti signi, quòd lucem refugiant.

Lumina ferre grauem vix sufficientia lucem
Vnca nare iacent. ——— Et Euagrius lib. 4. cap. 29. de peste, quam in multis fuisse dicit Thucydidiæ similem: ὀφθαλμοὺς αἱματώδεις, καὶ οἰδαῖον πρόσωπον ἀπεργαζόμενον, idest, quæ oculos sanguinolentos, & tumidam faciem reddebat. Vbi videtur vnico verbo expressisse duo hæc Thucydidis, ruborem, & inflammationem. Quędam etiam pestilentiæ in oculos præcipuè sæuierunt, vt illa, quam describit Eusebius lib. 9. sub Maximino, & Diocletiano, in qua carbūculum ἄνθρακα, potissimum oculos petijsse narrat. οὐ μὴν ἀλλὰ, καὶ κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν διαφερόντως ἐπιπλεῖστον γινόμενον, idest, verum & in oculis præcipuè vt plurimum grassari consuetū. Philippus Ingrassias parte 1. cap. 13. inter signa pestis tertio loco enumerat. *Gli occhi rossi infiammati, e torbidi, è qualche volta torui à guisa de gli huomini sdegnati.* Fracastorius lib. 2. cap. 4. de morb. cont. inter signa feb. pestil. oculi subrubent, & vacillant. & cap. 9. caput grauat, & oculi rubent. Meminit & Hippocrates in hac constitutione pestilenti, ὀφθαλμιῶν, cont. 12. & 48. vbi planius explicans dicit humidas fuisse, & longas,

non tamen de his tantum arbitror loqui Thucydidem, sed etiam, & fortasse potius de communi quodam idiotis signo, qui potissimum faciem obseruant, & ex colore oculorum peste correptos iudicant: Galenus in 3. de præsagitione ex pulsu, cap. 4. vbi dicit multos idiotas in cognoscenda peste fuisse medicis sapientiores, dicit: Συνεπισκοποῦνται δὲ δὴ ποῦ καὶ τὰ κατὰ τὸ σῶμα μόρια, καὶ εἰ βραχύ τι τῆς λοιμώδους ἐμφάνοιτο χρόας αὐτοῖς, ἀποφαίνονται λοιμώττειν τοὺς οὕτως ἔχοντας, idest, Simul inspiciunt, & oris, & vultus partes; & si quid exiguum appareat coloris pestilentis in ipsis, pronuntiant peste detineri, qui ita sint affecti. Et Amicus in lib. de Peste, cap. 26. dicit ex Galeno oculos eorum, qui de peste suspecti sunt, esse diligenter inspiciendos, & lauandos: nam inter lauandum manifeste redduntur calidi, & flammei, quòd si post lotionẽ perseuerent tales, procul dubio detineri peste eos esse pronuntiandum. Qui idem Amicus cap. 25. dixit hoc signum à Galeno dari ad distinguendam febrem hecticam pestilentẽ, à febre hectica putrida, & in balneo etiam id fieri dicit, Galenumq; non tentasse id facere, sed alijs facientibus animaduertisse: verba autem Galeni hoc præcipientis sunt in anteci tato loco: Προσεπιθεωρεῖν δὲ ἀκριβῶς αὐτῶν προσήκει, καὶ τοὺς ὀφθαλμούς, ἐν γὰρ τῷ λούεσθαι μάλιστα γίνονται κατάδηλοι θερμοί, καὶ φλογώδεις ἀποτελούμενοι, ἔνιοι δὲ ἐντεῦθεν ἀρξάμενοι διαμένουσιν, οὓς δὴ σαφῶς γνωρίζομεν ὅτι λοιμώττουσιν, idest, Inspicere etiã diligenter oportet eorum oculos: in lauando enim precipuè redduntur calidi, & flammei. Quidam verò hinc incipientes permanent, quos iam manifeste cognoscemus peste laborare. Quod etiam confirmat Rasis, qui contex. 30. tract. 10. cap. 1. meminit huius signi, dicens: Et eius oculi apparent calidi, & inflammati, & possibile est oculos manere in hoc statu. Et cum hoc uideris, eris certus, quòd morbus sit epidemialis, & mox ait: Dicit in libro de problematibus, quando epidemia regnat, plurimum accidit ophthalmia cõtagiosa. vbi videtur innuere problemata Alexandri Aphrosidiensis, qui lib. 2. probl. 104. testatur pesti præcedere lippitudinem, quod etiam animaduertit in sua praxi Mercurialis, vbi etiã asserit esse contagiosam ex auctoritate Aristotelis 7. probl. 5. & eodem Alexandro. Causam porrò si scire desideratis, vnde proficisceretur ille rubor oculorum, legendus est Galenus,

Causa ruboris oculorum ex Galeno.

nus, à cuius doctrina minime nobis discedendũ. Is Aph. 7. Aph. 3. dicit oculorum ruborẽ oriri ex inflãmatione cerebri, aut stomachi: non stomachi hic; quia nondum fecit illius mentionem Thucydides, ergo ex cerebri inflammatione. Verba Galeni sunt de singultu loquentis, quem lethale signum dicit post vomitũ. Δυοῖν θάτερον ἐνδείκνυται ἤτοι τὴν ἀρχὴν τῶν νεύρων τὸν ἐγκέφαλον, ἢ τὴν γαστέρα φλεγμαίνειν οὐ μετρίαν φλεγμονήν. τὸ δὲ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρευθος, ἕπεται ἀμφοτέροις, καὶ μᾶλλον γε ταῖς κατὰ τὸν ἐγκέφαλον φλεγμονώδεσι διαθέσεσιν, idest, Duorum alterum ostendit vel principium neruorum cerebrum, vel ventriculum incensum non mediocri inflammatione; oculorum vero rubor consequitur vtrumque, & magis eos, qui fiunt in cerebro inflãmatorios affectus. Ex quo etiam confirmatur nostra explicatio de phrenitide quoque intelligenda per illos calores nimios in capite à Thucydide commemoratos; nam ipsa est affectus cerebri inflammatorius, & nihil aliud erant profectò isti rubores nisi ophthalmiæ, quas frequentes incidisse commemorat Hippocrates, Galenusq; in Commentario refert causam in πλεονάσαντος χυμοῦ περιουσίαν, idest, redundantis humoris exuperantiam in capite, cuius pars tenuior auctor erat ruboris, & in 4. de comp. med. per loca dicit ophthalmiam esse phlegmonem tunicæ os cerebri circundantis, & pericranij, quæ dicitur adnata, alij referendam putant causam in spiritus, & vapores, qui ex tenui parte sanguinis exhalantes bilis feruore concitati, & pestis veneno exagitati, cũ non possint cõtineri intra venas cerebri, ad oculos deferuntur, & in illis quodammodo efflorescunt internæ indices inflammationes.

Tertium sympto-ma pestis inflãma-tio.

φλόγωσις, Inflammatio.] Idem hoc esse, quòd φλεγμονὴ ostendit Galenus multis in locis, sed potissimum in lib. de diff. respir. 2. cap. 7. sub finem, vbi potissimum per hoc verbũ significari dicit ab antiquis inflammationem vehementẽ, φλεγμονῆς νῦν ἀκουομένης τ̃ σκληροῦ, καὶ θερμοῦ, καὶ ὀδυνῶντος ὄγκου, καθάπερ τῷ Ἐρασιστράτῳ καλεῖν ἔθος ἐστί, καὶ τοῖς νεωτέροις ἰατροῖς πᾶσιν. ἐπεὶ ὅτι γε τὴν φλόγωσιν οὕτως ὀνόμαζον οἱ παλαιοὶ σχεδὸν οὐδεὶς ἀγνοεῖ, idest, Per phlegmonem intellecto nunc duro, & calido, & dolenti tumore, vt moris est Erasistrato, & medicis omnibus recentioribus vocitare, quandoquidem nemo ferè ignorat, ꝙ phlogosim ita appellabant antiqui, & lib. 3.

cap. 5. ὥς τὴν παρὰ φύσιν φλόγωσιν οὐκ ἱπποκράτης μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες οἱ πρὸ ἐρασιστράτου φλεγμονὴν ὠνόμαζον, ideſt, Phlogoſim præter naturam nō Hippocrates ſolū, ſed & alij ferè omnes ante Eraſiſtratum Phlegmonem nominabant, & mox: φλεγμονὴν ὅπερ ἐστι φλόγωσιν δηλοῖ, ideſt, phlegmonem, hoc eſt, phlogoſim indicat; hanc inflammationem omnes intelligūt, ut ſit σαφηνισμός, ideſt, dilucidatio ruboris oculorum, quòd ſcilicet rubri erant oculi, quia inflammatio ſuberat. Aemilius Portus in Append. ad patris Commentaria, uidetur non referre ad oculorum tantum inflammationem, ut alij; ſed totius corporis, cum dicat hunc locum imitatum Ouidium in 7.

Viſcera torrentur primo, flammæq; latentis.
Indicium rubor eſt. ——————

Sed cum luce clarius hic appareat de capite uerba fieri, nequaquam illi poſſum aſſentiri, ſed ſi quis etiam à prioribus recedat, non peccabit mea ſententia, ut interpretemur φλόγωσιν non de oculis tantum, ſed de uniuerſi capitis inflammatione, quam adfuiſſe nemo negare poteſt; quæ potiſſimū in oculis extabat, & tota etiam facie: quare totius faciei, imo totius capitis ego libenter inflammationem explicarem; nam ex ea omnia emanabāt recenſita ſymptomata, phrenitici affectus, comata, grauitates capitis, & dolores, quæ in multis ægrotis ab Hippocrate ponuntur, licet nō in contextu, ophthalmiæ, uoces læſæ, ſanguinolentæ fauces, & lingua, ſternutatio, & ſimilia, quæ ab Hippocrate eueniſſe commemorantur. Quod uero in peſtilentijs non ſolum adſit rubor oculorum, ſed tota facies incenſa, & rubens appareat, præſertim genæ, & nares: teſtantur etiam recentiores multi, qui de peſtilentijs ſcripſere, & præſertim Petrus Pariſus cap. 2. de ſignis. Fernelius 2. de abditis rerum cauſis, c. 12. ubi hæc omnia ſigna colligit, inflammationem non ad oculos refert, ſed ad totam faciem. Ait enim: Ipſo ſtatim initio uniuerſum corpus, maximè uerò caput ingraueſcit, hoc etiā plerunque dolore concutitur, oculi tument, & illachrymantur, facies quaſi inflammata rubeſcit, uox rauceſcit, ſpiritus crebrior, & difficilior euadit, &c. ubi uidetur locū hunc Thucydidis reſpexiſſe, & inflammationem non de oculis, ſed de facie intellexiſſe.

ἦτε φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα αἱματώδης ἦν. Guttur, & lingua sanguinolenta erant.] Quartum signum siue πάθημα peste correptorum dicit fuisse guttur, & fauces sanguinolentas cum lingua, hoc elegantissime quatuor versibus expressit Lucretius, & quodammodo interpretatus est.

Quartum symptoma pestis guttur, & lingua sanguinolenta.

Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa coibat.
Atque animi interpres manabat lingua cruore
Debilitata malis, motu grauis, aspera tactu.

Hoc quoq; vr̃ innuere Sillius Italicus, qui idem symptoma linguę & Fauciũ resudantiũ in peste adnotauit his versibus.

Arebat lingua, & gelidus per viscera sudor
Corpore manabat tremulo, descendere fauces
Abnuerant siccæ iussorum alimenta ciborum,
Et mox sanies immixta cruore.

Virgilius in 3. Georg.

Ecce autem duro fumans sub vomere Taurus
Concidit, & mixtum spumis vomit ore cruorem.

Matthæus Villanus in sua peste hoc princeps symptoma fuisse narrat, vt scilicet, sanguinem ore expuerent, ita enim, ait. *Una pestilenza tra gli huomini di ogni conditione di cattiuo, è reo, è sozzo cominciamento à sputare sangue, & moriuano chi subito, è chi in due, è chi in tre dì, alquanti sosteneano più à morire.* Guido etiam Cauliacus testatur hoc princeps symptoma fuisse in ea peste, eandem enim ipse quoque persequit̃, & tertia, aut quarta die moriebantur, quod elegantissime expressit in siphilide Fracastorius.

Biscentum fluxere anni, cum flammea Marte
Lumina Saturno tristi immiscente per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,
Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum sputum exagitans miserabile dictu
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo.

Hieronymus Rubeus illustris Medicus in sua Rauennati historia, libro 6. meminit cuiusdam sanguinolentæ pestis quæ grassata est anno MCC. in qua homines vigintiquatuor horarum spacio sanguinis fluxu de naribus interirent, quę, licet ex diuersa parte fluebat sanguis, eiusdem fuisse conspicitur naturæ, & ex eadem causa orta indicatur, cum etiam in

hac

hac ipsa Thucydidia sanguinis stillas plerumque accidisse dicat Hippocrates cont. 35. vbi ait. ἀπὸ ῥινῶν μικρὰ ἔσαξε, à naribus pauca stillarunt, vbi Galenus in Commentario docet πᾶσαν στάξιν ἀπὸ ῥινῶν, omnes stillationem è naribus esse μοχθηρὸν σημεῖον, & sequi causas malignas, κακοήθεις, vt hæmorrhagia, τὰς ἐπιεικεῖς, idest, benignas consequitur, & mitius est signum, meminit huius quoque incommodi in hac peste Hipp. licet sanguinis non fecerit mentionem, sed solum laboris, & doloris, & vlcerationis, ex quibus fortasse corrosis partibus sanguis fluebat, & ideo Hippoc. prætermisit more suo tamquam quod necessario vlcera comitaretur, ait enim πολλοὶ φάρυγγας ἐπόνησαν, idest, multi faucibus laborarunt, vbi Galenus in Commētario causam refert in περιουσίαν χυμῶν, idest, succorum nimiam copiam, qua repletum caput ad pulmonem, & ventriculum reijceret ῥεύματα διὰ τῆς φάρυγγος. idest, fluxiones per fauces, quibus etiam ulcus contrahebāt, vnde paucis post uerbis addit στόματα ἀφθώδεα, idest, ora aphthis obnoxia, vbi Galenus in Commentario dicit, κακοήθεις, idest malignas fuisse, non consuetas, vt quæ pueris ex lactis acrimonia contingunt, quæ sunt simpliciter; ἕλκωσις ἐπιπολῆς, in superficie vlceratio: ita enim inquit Galenus, causam malitiæ reddens, & differentiam ostendens inter has malignas ex putredine ortas, & illas consuetas puerorum. ὅταν δὲ τις ἐπιῤῥυῇ μοχθηρὸς χυμὸς, ἀεὶ κακοήθεις ἄφθαι συνίστανται, τὸ δὲ τῶν ἀνθράκων πάθος ἀεὶ κινδυνῶδές ἐστιν, ὡς ἂν ἐπὶ μοχθηρῶν γινόμενον κακῶν, ὥστε καὶ νῦν εὔλογον ἦν ὀλεθριώτατον αὐτὸ γενέσθαι προσλαβὸν τῇ συμφύτῳ κακοηθείᾳ τὴν ἐκ τῆς καταστάσεως. idest, cum vero affluxerit malus succus semper malignæ existunt aphthæ, affectus vero carbunculorum semper periculosus, quippe qui à malis oritur succis, quare & nunc cōsentaneū erat rationi lethalissimum ipsum fuisse, adiuncta connatæ malitiæ etiam ea, quæ ex aeris constitutione erat pestilenti, & contex. 30. idem Hippo. πολλὴ ταραχὴ τισὶ καὶ τὰ περὶ φάρυγγα φύματα, καὶ φλεγμοναὶ γλώσσης, καὶ τὰ παρ' ὀδόντας ἀποστήματα, idest, multa turbatio quibusdam, & in faucibus tubercula, & inflammationes linguæ, & in dentibus abscessus, quare etiam Philippus Ingrassias parte prima cap. 13. vbi ex omnibus omnia pestis signa collegit, & plusquam quinquaginta enumerat vlcerum quidem meminit, sed non sanguinis,

nis, xvij. enim signum dicit esse *Vlceratione della bocca, cioè della lingua, del palato, & delle fauci.* Hippocra. etiam in prognosticis meminit huius signi tāquam lethalissimi in omnibus morbis acutis, ait enim: φάρυγξ δὲ ἑλκουμένη σὺν πυρετῷ δεινόν, &c. idest, fauces vlceratæ cum febre graue malum, vbi Galenus in Commentario inquit, ἡ ἑλκουμένη φάρυγξ σημεῖον ἐστὶ κακοχυμίας διαβρωτικῆς, idest, vlceratæ fauces sunt signum cacochymiæ corrodentis, meminit huius quoque signi inter pestis signa in sua antidoto Epid. Ficinus capit. 4. dicens palati excoriationes. Galenus in 5. Meth. cap. 12. meminit cuiusdā iuuenis, qui initio illius pestilentię sæuientis, dum literis illa mandaret, qui vlcus in arteria ex pestilenti morbo habuit, & sanatus est, ut alij complures, qui similiter laborarunt in ea peste, & in fine adhuc alterius historiam similem recenset, Euagrius lib. 4. cap. 29. in descriptione illius pestis, quam Thucydidiæ in multis similem fuisse testatur, dicit multis malum illud pestilens, à capite inchoatum oculos effecisse sanguinolentos, & faciem tumidam, mox ad guttur delapsum iugulasse. ἐνίοις μὲν γὰρ ἐκ τῆς κεφαλῆς ἀρχόμενον καὶ ὀφθαλμοὺς αἱματώδεις, καὶ οἰδαῖον πρόσωπον ἀπεργαζόμενον ἐς τὸν λαιμὸν κατῄει καὶ τὸν ἁλισκόμενον ἐξ ἀνθρώπων ἀπέπεμπεν. i. nonnullis enim à capite exorsum oculos sanguinolentos, & tumidam faciem reddēs in guttur descendebat, & deprehensum enecabat. Martialis etiam lib. 1. de Festo innuit pestem fauces prementē suo tempore grassatam, licet quidam grammatici nescio quid de Mentagra somnient.

Indignos premeret pestis cvm tabida fauces,
Inq; ipsos vultus serperet atra lues.
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
Decreuit Stygios Festus adire lacus. &c.

αἱματώδεις. Sanguinolenta.] Portus in suis Comment. ita hoc loco, figurate genus neutrum complectitur masculeū, & fœmineum. Exemplumque adducit Aristotelis, sed ego hic nullam video figuræ rationem: nam respondet primum hoc epithetum articulo neutro præcedenti, τὰ δὲ ἐντός. deinde aperte ambo vocabula ponuntur fœminea, ἥτε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα: licet enim pharynx quandoque etiam masculine inflectatur, non est tamen figura, si appositis articulis luce clarius meridiana fœmineam gerit personam, & fœmini

no

no inflexu pronuntiatur.

Quintum symptoma pestis spiritus fętidus.

πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες. Spiritum tetrum, & graueolentem. Ab omnibus fere interpretibus tamquam vnicum symptoma hoc proponitur, nempe spiritus teter, & fœtidus, ut posterius sit prioris explicatio, & illa particula, καὶ & sit posita pro idest, quod frequenter græce apud bonos scriptores vsurpatur, & habet uim, τοῦ σαφηνισμοῦ, idest, explicationis, & dilucidationis, sic Aristoteles in poetica vsurpauit. ἑτέρως, καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον, idest, diuerse, & non eodem modo, pro idest non &c. quòd est Aristoteli maxime familiare, ut etiam in 2. de Anima. τέλεια, καὶ μὴ πηρώματα. idest, perfecta, & non mutila, pro idest, non mutila, in libro perihermin. πολλοί, καὶ μὴ ἕν, idest, multi, & non vnũ, pro idest, nõ vnum. Et alibi sæpe. Lucretius meminit & huius symptomatis, sed inter symptomata stomachi recenset, non capitis, vt Thucydides, hic enim exitus habuit rationem, ex ore enim prodibat, quod est in capite, ille loci, vbi putredo gignebatur, nempe stomachi, sic enim ille.

Inde vbi per fauces pectus complerat, & ipsum
Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris,
Omnia tum vero uitai claustra lababant,
Spiritus ore foras tetrum voluebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadauera ritu.

Fieri anhelitum magnum frequentem & velocem ob cordis incendium, siue sit affectum, κατὰ πρωτοπάθειαν, idest, primario affectu, siue per consensum κατὰ συμπάθειαν, alicui partium laborantium, omnes consentiunt, quòd uero fætidus etiam & teter, ac abhominandus, hoc indicat insignem subesse putredinem, & ob id nonnulli dixerunt indicare confirmatam in cordis corpore putredinem, & corruptionem, sed tamen hoc medico cauendum, ne decipiatur, cum aliunde ẽt oriatur, solet enim, non solum ex calore pestis, & putredine proficisci, sed ex alijs quoque causis, ut dente putrido, & alijs oris patrib. affectis, phthisi, & similibus; quare cum Hippocrates nullam fecerit huius tetri odoris mentionem in hac peste, sed solum dixerit multos fuisse tabidos, ait enim cont. 19. φθινώδεες πολλοί, idest, tabidi multi, in eam venio sententiam, ut suspicer huiusmodi fuisse illos ægros, qui sic spirarent tetrum odorem: ex capite enim (ut in Cõmen-

mentario dicit Galenus) defluens materia illa pestilentium succorum in fauces, & ex gutture in tracheam arteriam, ac pulmones, tabem gignebat, ex cuius putredine spiritus reddebatur tetet, & graueolens, neque vero solum anhelitus in pestilentia fœtidus, sed omnis, quacumque ex parte fiat exhalatio, & omne excrementum fætet. Hoc quoque pestis signum esse dixit Galenus in 3. de præsagitione ex pulsu cap. 4. sed esse Empiricorum, & vulgarium signum, & ea fortasse de causa ab Hippocrate pretermissum, in quo tamē suspectus mihi est Galenus, ne cum multa ex his à Thucydide relatis signis dicat esse vulgaria, tacite velit suum illud de Thucydidis & Hippocratis comparatione iudicium confirmare, vbi dixit vt idiotam idiotis scribere Thucydidem. Hippocratem, vt Medicum Medicis. verba autem Galeni hæc sunt, vbi dixit multos idiotas repertos meliores, & prudentiores in illa diuturna peste, quam literatos medicos, *κὴ πολλοὺς γ' οὖν τῶν ἰδιωτῶν εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, τὴν γοῦν ἐκπνοὴν, τῶν καμνόντων ἐςὶν ἰδεῖν ἐπισκοπουμένους καὶ εἰ δυσώδης φαίνοιτο τὰ χείρω προσδοκῶντας.* ideſt, & multos quidem ex idiotis, si nihil aliud spectent, expirationem tamē videas ægrotantium obseruare, & si graueolens videatur, peiora expectant, vbi etiā illud addit ab idiotis inuentum hoc *γνώρισμα*, ideſt, notam & signum pestis, sed illud rationali medico, non solum vsu, sed etiam ratione ponderandum, & æstimandum. Rasis lib. 30. Cōtinentis idem videtur confirmare, quòd hoc sit vulgare signum; ait enim vulgus autem ex longa experientia cognouit, ꝙ eius dispositio est mala, cū anhelitus est fetidus, & ex recētioribus Petrus Parisus idē asserit c. 4. *la plebe osseruando la sola spiratione de gli amalati, afferma & certifica quello ò quella essere ammorbati per il puzzore, che loro esce dalla bocca*. idē repetit in tr. de signis. Fracastorius li. 2. de mor. cont. c. 4. inter accidentia pestilentis febris hoc enumerat, & magni esse momēti ostēdit, anhelitus extraneo quodā fætore grauis est, quo solo signo periti sępe pestilentem febrē deprehēdunt, & Frāciscus Thomasius de peste inquit purgamenta etiam omnia, quæ à corpore pestilenti eduntur, fætent, vt sudor, egestio, sputum, halitus, mucor, & huiusmodi. Auicēnas etiam nō prætermisit hoc signum, & lætale dixit esse libro 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2. plurimi quorum anhelitus fœtet ex istis, & ex primis

moriuntur, nam putredo est iam confirmata in corde, & Alsharauius quoque annotauit, est tam lenta febris & continua, ut puteat cum ea anhelitus, & quicquid exit ex corpore. Ioubertus de peste cap. 10. idem sentit, quòd Auicennas, quòd lætale signum fœtor, ait enim. Quorum anhelitus pretet solitũ immodice fætet; omnes moriuntur, quòd putredo in corde omnino confirmata sit. Fallopius in libro de tumoribus, cap. de bubone pestifero meminit huius signi, quod octauum collocat, & se vidisse in febribus pestilentibus, non tamen in bubone testatur, cuius etiam duo signa proponit nempe quintum egestiones fœtidas, & septimum sudorem fœtidum, quem dicit esse signum immediatum; rationemque dicit esse, quia ob putridum calorem generatur excrementa tenuia, & fœtor consequitur putredinem; Philippus Ingrassias in prima parte, capit. 13. de peste hoc secundo loco inter signa pestis enumerat, dicens, *l'Anhelito il più delle volte puzzolente, anzi tutto il corpo suole per la gran putredine puzzare di morto essendo ancor viuo.* Amicus in tract. de peste. c. 22. vbi signa pestis pathognomonica persequi profitetur, hoc quoque enumerat, dicens fœtet vehementer ægrotantium anhelitus, omniaque excrementa fœtent. Cur vero fiat fœtidus videtur considerandum: Duplex igitur est expirationis necessitas (vt prætermittatur nunc animalis spiritus nutritio, cuius etiam fit causa) primum nempe caloris refrictio; & fuliginum, quæ gignuntur in corde, & arterijs exhalatio: quæ duæ causæ duplicem, & contrarium desiderant, ac requirunt motum pectoris, prior dilatationem, secundus constrictionem: cumque in pestilenti febre sit maior necessitas, ob putredinis magnitudinẽ, expellendi fuligines putridas, quã caloris refrigerandi, ideo Hipp. & Galenus nullam fecere magni, & frequentis anhelitus in pestilenti febre mentionem: & cum magna adsit copia, ac uis putredinis, ideo etiã anhelitus est graueolentior, & quãuis ex omni corporis parte, unde prodit exhalatio, fœtidus odor possit persentiri, magis tamen ex ore se se prodit; & expirando percipitur, cum maior per patentem oris, εὐρυχωρίαν, fiat vaporum euacuatio, & quia vicinius etiam cordi, quod maxime in pestilẽtia cum partibus sibi proximis solet laborare, & affici: Quomodo vero discernatur fœtor hic anhelitus ab oris fœtore, do-

Causa fœtidi anhelitus.

cet Auicennas in 3. fen. 10. tract. 1. capit. 19. vbi ait. est intrans in fœtore oris, sed separatur à reliquis speciebus fœtoris oris, quoniam in illis speciebus quandoque euentatur fetor in dispositione, quæ non est anhelitus, & iste non manifestatur nisi apud egressionem anhelitus: & significat humores putrefactos in membris anhelitus, scilicet, aut canna, aut pulmone, cum in eis putrefit humor, aut sanies, quod postremum confirmatur etiam à Rasi in Contin. lib. 8. vbi dicitur anhelitus fetens significat humores putrefactos etiam in instrumentis anhelitus, si causa eius non fuerit ex ore. Sed dici etiam potest hoc loco cum Thucydides nullam adhuc fecerit cordis & thoracis mentionem, fetorem illum emanasse ex ipso vlcere oris, quod esset cacoethe.

ἄτοπον. Tetrum]. Per hoc verbum possumus etiam intelligere separatum, & distinctum symptoma à graueolentia, nam licet significet etiam κακίαν, idest vitium, potest tamẽ hoc vocabulum indicare insolentem morem, & inusitatũ, ut dicat fuisse pestilentia correptorum hoc insolens symptoma, & præter ægrotantium consuetudinem, vt præter solitum, & necessitatem halitus esset auctior & respiratio, ac anhelitus absurdior, idest, lõge maior solito, de cuius verbi varietate dicemus pluribus infra, cum verbum ἀτοπίας, explicabitur, & hanc interpretationem videtur probasse Franciscus Strozzius, qui ita vertit Italice, *Il fiato tirauano difficile, & puzzolente*, quem secutus Massaria medicus lib. de peste, vbi hanc totam Thucydidiam narrationem pestilentiæ recitat ad verbum ita vertit, spiritus difficilis, & fœtidus exibat. Videtur enim consentaneum rationi, vt aucta respirandi necessitate ob caloris insidentis vim, non solum septum transuersum moueat pectus, sed etiam intercostales musculi & adhuc pectoris ipsius in labore tanto subueniant, & proinde difficultas respirandi augeatur. De qua verò specie, & differentia difficultatis respirandi τῆς δυσπνοίας, sit intelligendus hic locus Thucydidis, cum plures à Galeno recenseantur in tribus illis libris, in quibus de illa disputatur, quærendum est, & cum duarum potissimum Hippocratem fecisse in Epid. mentionem 2. & 6. dicat Galenus lib. 3. cap. 5. nempe prioris, pro qua redditur μικρόν, καὶ πυκνὸν πνεῦμα, idest, paruus & frequens spiritus, alterius, qua

Sextũ symptoma pestis difficultas respirationis.

De qua spetie dyspnææ intelligatur Thucydidis locus.

πυκνὸν καὶ μέγα, idest, frequens, & magnus, licet Galenus quodammodo videatur innuere fuisse primã speciem in ęgrotis his Epid. lib. 2. cont. 7. nempe paruas, & frequẽtes respirationes, cum excusans Hipp. vel potius causam reddens cur nullam fecerit difficultatis respirandi mentionem in 3. lib. Epid. ita loquatur: μέλλω γὰρ δείξειν εἰ καὶ τὸ παράδοξον εἶναι δόξει, πολλοὺς μὲν τῶν ἐν ἐπιδημίαις γεγραμμένων δυσπνοήσαντας, μηδὲν δὲ ὑπὲρ τῆς δυσπνοίας αὐτῶν εἰπεῖν τὸν Ἱπποκράτην, διότι σαφὴς ἦν, καὶ πρόδηλος ἅπασιν ἰατροῖς, εἰ γὰρ ἤτοι τὸ στέρνον, ἢ τὰς πλευρὰς, ἢ τὰ περὶ τὰς κλεῖς, καὶ τὴν φάρυγγα συνέβαινε τὸ φλεγμαίναι, καὶ διὰ τοῦτο μικρὸν καὶ πυκνὸν ἐξ ἀνάγκης ἀναπνεῖν, ὡς ἐν τῷ πρόσθεν ἐπεδείκνυτο λόγῳ, γράφειν οὐκ ἂν ἠξίωσεν Ἱπποκράτης. οὔτε τὸ τῆς δυσπνοίας εἶδος, οὔτε τὴν ἀρχὴν, ὅτι δύσπνους ἐγένετο, idest Sum enim demonstraturus, quamuis paradoxum id videbitur, multos ęgrotos in Epidemicis descriptos, difficultate respirandi laborasse, nullum verò verbum de illorum diff. respir. fecisse Hipp. quia plana erat, & explorata, atque cognita omnibus medicis, siue enim pectus, siue latera, siue clauiculas, & fauces cõtigisset inflammari, & propterea ex necessitate paruum, & densum spiritum trahere, vt superiori declaratum sermone est, scribere non est dignatus Hippocrates, neque speciem diff. respirandi, neque principium, quo ceperit illa difficultate laborare. Ego tamen de altera potius intelligendum Thucydidis locum puto, eius nempe, qua magnus, & frequens trahebatur spiritus, nixus primum testimonio duorum grauissimorum sctiptorum, qui de eadẽ scripsere. Deinde argumentis, & ipsiusmet Galeni, & Hippocratis locis. Lucretius lib. 6. ait:

Creber spiritus, aut ingens, raroq; coortus.

Artaxerxes in epistola ad Pœtum de hac ipsa pestilentia scribens ait: πνεῦμα μέγα, καὶ πυκνὸν ἔχων, idest, spiritum magnũ, & frequentẽ habens: argumentis verò his adducor in hanc sententiam, quòd aderat in his ægrotis φλόγωσις magna, idest, inflammatio, quæ efficit spiritum, πυκνὸν, καὶ μέγα, idest, frequentem, & magnum, eodem teste Galeno lib. 3. cap. 6. memorati libri. Aderat etiam phrenitis, & delirium, παραφροσύνη, vt dictum est, quod efficit magnum spiritum, & licet etiam efficiat rarum, teste Hippocrate in prognost. ἀραιὸν, & ἐκ πολλοῦ χρόνου, idest, ex multo tempore, quod raro vertit Lucretius

cretius, quia tamẽ erat maior vis caloris, & inflammationis, ideo efficiebatur potius frequens, quàm rarus. Neque tamẽ erit in Galeno contradictio, quòd dixerit in locis memoratis, primo fieri ſpiritum frequentem, & paruum in inflammationibus, mox ſecundo fieri magnum, & frequentẽ: nam ipſemet illam ſoluit lib. 3. cap. 5. ſub finem, dicens fieri paruum, cum adſit parua inflammatio, quæ potius πόνος, ideſt, labor dicenda, quam phlegmone, ſi magna magnum: expli cans enim verba Hippocratis in prognoſtico ait: πνεῦμα δὲ πυκνὸν μὲν ἐὸν εἰπόντα, πόνον σημαίνει, ἢ φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ φρενῶν χωρίοισιν. ὡς ἂν καὶ ἡμῶν νοῆσαι δυναμένων ὅτι τὸ μετὰ μικρότητος πόνον σημαίνει, τὸ δὲ μετὰ μεγέθους φλεγμονὴν, ὅπερ ἐστὶ φλόγωσιν δηλοῖ, ideſt, Cum dixerit ſpiritus frequens laborem ſignificat, vel phlegmonem in particulis ſupra ſeptum tranſuerſum ſitis, quaſi & nos valeamus cogitare, quòd cum par uitate laborem ſignificat, cum magnitudine vero phlegmo nem, quod eſt phlogoſis, declarat; nõ negauerim tamen om nes ſpecies, & differentias dyſpnææ viſas in illius peſtis ægrotis, vt colligi poteſt etiam ex verbis Lucretij, & ex Galeno, locus tamen Thucydidis propter verbum ἄτοπον, de hac potiſſimum ſpecie intelligendus, quia erat inſolens, & præter aliorum morborum conſuetudinem, neque mirari oportet, quòd vnico verbo rem tantã ſignificauerit Thucydides, quia hoc proprium fuit ſcriptorum illius temporis, vt vnam propoſitam haberent breuitatem, & preſſum ſcriptionis genus, ita teſtante etiam Galeno in 3. de diff. reſp. cap. 5. vbi ait: κοινὴ τῶν παλαιῶν συνήθης βραχυλογία, ideſt, com munis omnibus antiquis familiaris breuitas: qua potiſſimũ, & mirum etiam in modum delectati Thucydides, & Hippo crates duo præclariſſima antiquitatis Atticæ lumina.

Septimũ ſymptoma peſtis ſternutatio.

πταρμὸς, Sernutatio.] Merito inter ſymptomata, quæ capiti inflammato accidebant, recenſet Thucydides ſternutamentum, eſt enim illius proprium: quare Hipp. Aphor. 7. ſect. Aphor. ſecundum Galenum 51. ſecundum alios, nempe Philotheum 45. ita de illo decernit, πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ, ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω. ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ κενοῦ αὐτῷ ἡ διέξοδός ἐστιν, ideſt, Sernutatio fit ex capite concalefacto cerebro, vel humectato inani, quod eſt in capite, fo-

ras

ras enim effunditur aer, qui intus inest, resonat porro, quia per angustum est illi exitus, vbi elegantissime in Comment. ad nostram sententiam explicat Philotheus; Galenus enim videtur potius Hippocratem reprehendere, quàm interpretari: quare non erit alienum vniuersam illius explicationem hic adscribere. Ita enim inquit: πταρμός ἐστι ψόφος τις περὶ τὰ ἠθμοειδῆ ὀστᾶ. γίνεται δὲ διχῶς, καὶ διὰ θερμασίαν, ἐγκεφάλῳ οὖσαν, καὶ διὰ ὑγρασίαν. ἡ μὲν γὰρ θερμασία ἕλκει πρὸς ἑαυτὴν περιττώματα, καὶ πληροῖ τὸν ἐγκέφαλον, ἡ δὲ ὑγρότης αὐτόθεν κατακλύζει αὐτόν. πληροῦται οὖν τὸ κενὸν τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ ταράττεται ὁ ἐγκέφαλος, μὴ ἔχων ποῦ διασταλῆναι, κἀντεῦθεν ἐπεγείρεται ἡ ἀποκριτικὴ δύναμις, καὶ ἀποδιώκει τὸ ὑγρὸν ἐγκαταμεμιγμένον τῷ πνεύματι ἐστινότε πρὸς ῥῖνας, καὶ ποιεῖ τὸν πταρμόν, καὶ ἡ μὲν ὑγρότης ποιεῖ τὰς μύξας, τὸ δὲ πνεῦμα διὰ τοῦ στενοῦ τόπου διικνούμενον τουτέστι διὰ τῶν ἠθμοειδῶν ὀστῶν ποιεῖ τὸν ψόφον. Qui quoniam in Latinis impressis non habetur cum reliquis sequentibus Aphorismis: ideo integrum libuit recitare, qui ita Latine sonat: Sternutatio est soni strepitus quidã circa ossa ethmoida: fit autẽ dupliciter, & propter calorem in capite existentem, & propter humiditatem; calor enim trahit ad se recrementa superuacanea, & replet cerebrum; humiditas verò statim irrigat ipsũ. Repletur igitur inane, quod est in capite, & perturbatur cerebrum, non habens vbi dilatetur, & hinc excitatur expultrix facultas, & persequitur humidum commixtum spiritui interdum ad nares, & efficit sternutamentum, & humidum quidem facit mucum; spiritus vero per angustum locum permeans, hoc est, per colatorij ossa efficit sonitum. Ex quibus constat sternutamentum esse actionem cerebri offensi propellentis beneficio caloris persequẽtis humidum superuacaneum, & ideo, cum Thucydides dicat ἔπειτα ἐξ αὐτῶν, deinceps ex ipsis, licet non reijciam interpretationem Græci Scholiastæ interpretantis συμπτωμάτων, accidentium, ego tamen libentius intelligerem τῶν θερμῶν, idest, calorum capitis, à quo fonte cætera etiam extitere symptomata. Aristoteles esse in probl. 33. probl. 7. vbi multa agit de sternutatione, etiam actionem cerebri aperte ostendit multis in locis, vt cum quærit cur θεῖος existimetur, quia scilicet prodit ἐκ τοῦ θειοτάτου τῶν περὶ ἡμᾶς τῆς κεφαλῆς ὅθεν ὁ λογισμὸς ἐστι γίνεται, idest, ex diuina in nobis particula capitis, vnde existit ratio, gi-

gnitur

gnitur,& probl. 9. quærens cur cæteri flatus exeuntes, ſacri non exiſtimantur,vt in ſternutatione,qualis eſt φύσα,& ἐρευγμός, ideſt, crepitus, & eructatio, & reſpondit, ὅτι τριῶν τόπων ὄντων κεφαλῆς, καὶ θώρακος, καὶ τῆς κάτω κοιλίας. ἡ κεφαλὴ θειοτάτη, cũ tria ſint loca caput,thorax,& inferior vẽter,caput diuiniſſimũ,vnde prodit ſternutatio, quòd verò ex calore ſuperante humidum in cerebro fiat, eodem loco demonſtrat. Inquit enim mox, ὅταν γὰρ κρατήσῃ ἡ ἐν τῇ κεφαλῇ θερμότης τὴν ὑγρότητα, τὸ πνεῦμα τότε γίνεται πταρμός, ideſt, Cum uicerit capitis calor humiditatem, ſpiritus tunc fit ſternutatio. Quod etiam ſæpe confirmat problem.4.ut cum quærit, cur Solem aſpicientes ſternutamus, ὅτι κινεῖ θερμαίνων, quia mouet calefaciens, reſpondet,& probl. 15. quęrens cur dormientes nõ ſternutamus, quia ſcilicet refrigerato cerebro non concaleſcit locus, nec mouetur. Et ἀντιπεριίσατο τὸ θερμὸν ἐντός, ideſt, retinetur intus calor ad cor reuocatus, nec mouetur. Sic etiã affluente lachryma dicit non excitari eadem de cauſa. Auicenna etiam ſubſcribit, qui lib. 3. fen. 5. tract. 2. cap. 13 ita definit: Sternutatio eſt motus proprius cerebri ad expellendum humorem, aut nocumentum aliud cum auxilio aeris naribus attracti ſubito per uiam naſi, & oris. Et ſternutatio quidem eſt cerebro, ſicut tuſſis pulmoni; in quo illud obiter animaduertendum non aduerſari hanc Auicennæ definitionem doctrinæ Ariſtotelicæ, qui dixit, cerebrum non moueri motu uoluntario: nam licet ſubſtantia medullaris cerebri non moueatur manifeſte, mouentur tamen meninges uelamina dicta ab Arabibus: quare ut ad propoſitum ſe conuertat oratio, duæ iſtæ cauſæ ab Hippocrate poſitæ in unam uidentur poſſe colligi, non duas, nẽpe calidi perſequentis humidum. Quia tamen poſuit particulã diſiunctionis, uel; quidam non male arbitrati ſunt duabus de cauſis excitari ſternutationem. In frigidioribus naturis, ubi non eſt ſatis uehemens uis caloris ad mouendũ flatum, cerebri calorẽ mouere: in calidioribus, inquit, ob caloris abundantiam omnis flatuum materia diſcutitur, ſuperuacaneum humorem additũ flatu replere cerebri inania: & gignere ſternutationem, & omnes iſtæ poſſunt eſſe ueræ explicationes, ſed illa melior de calido attrahente, & perſequente humidum replens cerebri inania. Galenus autem uidetur ſentire non eſſe actionem

nem

nem propriam cerebri, sed esse etiam thoracis, & fieri attracto spiritu à pulmone, & eodem se se comprimente, nam in hoc videtur deceptus Galenus, quòd non potest trahi à cerebro nisi simul trahat & pulmo flatum, sed verum principium attrahendi, & protrudendi est cerebrum, ex consensu vero concutitur maxime thorax, veluti etiam vniuersum corpus, quia in illum neruos ceu lōgas manus demittit, quare hic Galenus in Commentario reprehendit in hoc aphorismo in tribus Hippocrat. Primum quòd dictum hoc non sit generale, sed de solo sternutamento, quod fit vitio capitis intelligat, natura appetente excernere flatuosum spiritū ex capite, nam quæ fit ex narium titillatione, & alijs causis non fiunt calefacto vel humectato cerebro. Secūdo quòd asserit, quòd si repitus ille fiat solum ab aere, qui ex capite excernatur, nam liquido dicit apparere etiam fieri propter aerem ex pulmone elatum vniuersim se comprimente thorace. Tertiò, quòd non sit verum fieri sternutamentum repleto inani ab humido, quia adhuc oportet, ut illud humidum in flatum conuertatur, aut sit acre, quòd stimulet cerebrum, quibus reprehensionibus quia respondet Cardanus in suo Commentario, ideo ego omitto. in 2. autem de symp. causis videtur propius ad Hipp. sententiam accedere, sed ita obscure locutus est, ut dissimulanter voluerit etiam hanc opinionem retinere, cū simul de vtroq; egerit symptomate quasi ab eodem fonte, proficiscēte, licet varia de causa, quia tussis expurgat quę in pectore, sternutatio, quæ in naribus, & cerebri ventriculis. Secundum igitur Galenū, & qui eum sequūntur causa quæ naturam concitat ad eū vehementem motū, uel est externa nares titillans, & mordicans, ut sunt sternutamenta, idest, ad sternutationem prouocandā apta medicamenta, uel interna, ut defluxio humoris acris à capite, cuius portio in flatus conuersa stimulat vel distendit cerebrū anterius ad concussionem irritans, aut spiritus flatulentus grauans uel irritans cerebrum, qui continetur inter craniū, & menyngas, vel in vacuis spatijs supra nares in osse frontis, & cuneiformi, vel in ipsis anterioribus cerebri ventriculis, ac sinubus: vt hūc vero propellat à se cerebrum, gemina utitur expiratione, altera per se per ossa ethmoida, altera per palatum, neruis ceu prælongis manibus (vt Galeni verbis

Hippoc. à Galeno reprehensus

utar) in thoracem demissis vsus, & eadem, unaq; impressio-
ne ex pulmone, & capite uehementer, & confertim spiritū
emittit per foramina narium, & rem mordicantem, ac uel-
licantem explodit ac deturbat. potest uero esse tum bonum
tum malum signum, nam si fiat κριτικῶς, ut fit in fine mor-
bi, est bonum, præsertim quando cum spiritu flatuoso hu-
miditas quædam excernitur interdum sensibilis, interdum
uero obscura, & sensum latens, in morbis capitum; nam ex-
creticis facultatis robur, ac uires, concoctricis uictoriam,
materiæque morbum gignentis resolutionem denuntiat:
& ideo licet sit, ratione causę irritantis, præter naturam, ra-
tione tamen signi in bonis collocatur, ut in morbis capitis
à plenitudine profectis, si uero fiat συμπτωματικῶς, uirtute sci-
licet excretrice stimulata uel copia & ui, uel acrimonia ma-
teriæ nondum cōcoctę, fit irrita, & inanis sternutatio, in qua
nullus humor expellitur, sed cerebrum irrito motu frustra
labefactatur, & concutitur, ac lancinatur, materia intus mor
bum procreante retenta, & contumaciter inhærente, & tūc
est malum & vt signum, & tamquam causa, & quo frequen-
tius excitatur, eo peius, quia frustra conata tandem cadit na-
tura, quare eadem sternutatio in eodem morbo, & salutem,
& periculum denuntiat, nam in comitiali aduentum paro-
xysmi in principio denuntiat, in fine solutionē: sic pari pro-
portione in cæteris morbis capitis, in pectoris vero morbis
malum semper: quia exagitat thoracem, pulmonemq; lace-
rat, quem quiescere conuenit, dum aer trahitur à cerebro,
vehementer reluctante pulmonis natura: & sic malum &
signum, & causa, quia scilicet, cerebrum laborare indicio
est: quare Hippocrates in progn. 2. cont. 49. dixit κορύζας καὶ
πταρμοὺς ἐπὶ πᾶσι τοῖσι περὶ πνεύμονα νουσήμασι καὶ προγεγονέ-
ναι, καὶ ἐπιγενέσθαι κακόν, ἀλλ' ἐν τοῖσιν ἄλλοισι νουσήμασι τοῖσι θα-
νατώδεσ τάτοισιν οἱ πταρμοὶ λυσιτελοῦσι. i. grauedines, & ster-
nutationes in omnibus thoracis morbis, & ante extitisse, &
subsecutas esse malum, sed in alijs morbis lætalissimis ster-
nutationes prosunt. vbi Galenus in Commentario causam
afferens damni, ait. σείοντες σφοδρῶς ὅλον τὸν θώρακα, λυμαίνον-
ταί τι καὶ τὸν πνεύμονα. idest, concutientes vehementer tho-
racem, labefactant, & lædunt etiam pulmonem, & mox de
modo sequitur. ἐν μὲν τοι τοῖς ἄλλοις νουσήμασι οὐ συνεισβάλλοντες

Sternutatio quando bonū, vel malū signum.

οὐδὲ καθάπερ οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν σύμπτωμα, προήκουσι δὲ ἐπιφαινόμενοι σωτηρίαν σημαίνουσι κἂν θανατώδης ὅσον ἐπὶ τοῖς ἄλλοις σημείοις ἡ νόσος ὑπάρχῃ· πέψεως γάρ εἰσι γνωρίσματα, καὶ ῥώμης τῆς κατὰ τὸν ἐγκέφαλον ἀποκριτικῆς δυνάμεως, ὑφ᾽ ἧς εἰς τὰς ῥῖνα τῶν φυσωδῶν πνευμάτων ἐκκρινομένων ἅμα τισὶν ὑγρότησιν ἐνίοτε μὲν αἰσθηταῖς τε καὶ σαφέσι, ἐνίοτε δὲ ἀμυδραῖς τε καὶ δυσορατος οἱ πταρμοὶ γίνονται, ideſt, in alijs quidem morbis non ſimul aggredientes vnquam, vt neque vllũ aliud ſymptoma, in progreſſu vero morbi mox apparentes ſalutem nuntiant, quamuis læthalis, quoad reliqua ſigna, fuerit morbus, coctionis enim ſunt notæ, & roboris eius, q̃ ineſt cerebro, facultas expultrix, à qua in nares flatuoſis ſpiritibus excretis, ſimul cũ quibuſdam humiditatibus interdum quidem ſenſui obnoxijs, & apertis, interdum vero tenuioribus & ſubobſcuris, & ſpectatu difficilibus fiunt ſternutationes, quòd vero ſit peſtis ſignum ſternutatio nullũ extat apud Hipp. & Galenũ teſtimonium, ſed ſolum apud recentiores quoſdam, extat memorabile exemplum illius peſtis quæ ſub Pelagio Pontifice Romæ graſſata eſt, anno ſal. 590. & inguinaria dicta eſt, in qua ſi quis ſolum ſternutaſſet, aut oſcitaſſet repente moriebatur, tanta uis latentis intus veneni ſe ſe ſubito prodebat, ex quo ſigno crucis os ſignari, in oſcitando, & ſternutantibus diuinum precari auxilium ceptum eſt, de qua nos etiam ſupra fecimus mentionem. Suſius etiam inter peſtis ſymptomata ſternutamenta collocauit: quare miror fuiſſe ab Ingraſſia prætermiſſum, qui omnia colligit, quamuis tanta ſit ſignorum varietas, vt diuerſa à diuerſis collecta & obſeruata inueniantur, ut præclare oſtendit Petrus Pariſus in tractatu de peſte cap. 2. de ſignis, vbi perſequitur varietatẽ, & numerum ſignorum à varijs auctoribus relatorum, & obſeruatorum.

Sternutatio eſt ſignum, & ſymptoma peſtis.

Βράγχος, Raucedo.] Hæc vox, & vitium gutturis, & ipſum guttur apud veteres ſignificat, qui dicitur à recentiorib. βρόγχος. Vnde Brouchocele morbus dicitur etiam, & maſculeo genere, & neutro, & per pleonaſmum literæ α, βαράγχος, quemadmodum & verbum βαραγχιᾶν, quo vſum Hipponactem teſtatur Etymo. auctor, & veteres Atticos frequenter. Idem in verbo βραγχιάζειν duplicem huius vocabuli affert Etymologiã, primam aliorum: ὀνοματοπεποιῆσθαι φασὶ τὴν λέξιν

Raucedo octauum ſymptoma peſtis.

λέξιν κατὰ μίμησιν τῆς γινομένης αὐτῷ βραχύτητος ἐν τῇ φωνῇ, id-
est, Fictum nomen ferunt ab ea, quæ accidit ipsi in voce bre
uitate: alteram verò suam, dicens, Ἐγὼ δὲ οἶμαι παρὰ τὸ βαρεῖαν
ἰαχὴν ἔχειν τουτέστι φωνὴν γίνεται βαριχιᾶν, καὶ βραγχιᾶν. βραγ-
χιᾶν γὰρ τὸ ἡσύχως ὀδύρεσθαι, καὶ τὸ σαπρᾷ, καὶ τραχείᾳ τῇ φωνῇ
χρῆσθαι, καὶ βράγχος νόσημά τι περὶ τὸν βρόγχον, ideſt, Ego vero
arbitror, quòd habeat grauem clamorem, ideſt, vocem fieri
barichiare, & branchiare, hoc eſt, raucescere: raucescere eñ
eſt quiete conqueri, & uoce corrupta, & aſpera uti, & bran-
chus morbus eſt in gutture. Eſt etiam morbus in ſuibus, de
quo Suidas in verbo διάῤῥοια, ubi tribus potiſſimum morbis
obnoxias oſtendit huic κραύρας, & διαῤῥοίας. Quomodo fiat,
docet paucis Galenus 3. de ſympt. cauſis, cap. 4. ὁ δὲ βράγχος
ἐπὶ καταῤῥοις γίνεται διαβραχείσης τῆς φάρυγγος, ideſt, branchus
in catarrhis fit irritis humore faucibus, ac repletis. Quòd ve
ro ſit ſignum peſtis, & in peſtilentia ſoleant ægroti hoc ſym
ptomate laborare, teſtatur in 3. Epid. Hipp. contex. 10. vbi ait,
πολλοὶ φάρυγγας ἐπόνεσαν. φωναὶ κακούμεναι, ideſt, multi fauci-
bus laborarunt, uoces deprauatæ, & uitiatæ. Vbi Galenus in
Commentario, οἷς εὐπλήρωτος ἦν ἡ κεφαλὴ φύσει, τούτοις νῦν ἐμ-
πλησθεῖσα περιουσίας χυμῶν ἤρξατο καταπέμπειν εἰς πνεύμονά τε, καὶ
γαστέρα ῥεύματα διὰ τῆς φάρυγγος. εἰκότως δὲ καὶ τὰς φωνὰς ἔφη κα-
κοῦσθαι τοῖς τοιούτοις. ὁρᾶται γὰρ καὶ τοῦτο συνεχῶς γινόμενον ἐπὶ
καταῤῥοις. ὅταν ἱκανῶς διαβρέξωσι τὰ περὶ τὴν φάρυγγα, καὶ τὸν
λάρυγγα χωρία, ideſt, Quibus caput erat obnoxium grauedi-
nibus, & plenitudini natura, his nunc repletum ſuccorum
abundantia cœpit demittere in pulmonem, & ventriculum
fluxiones per fauces, & merito ait etiam uoces fuiſſe uitiatas
his. Videtur enim hoc euenire perpetuo in catarrhis, cum
affatim humectata fuerint loca faucium, & laryngis. Et con-
tex. 32, idem repetit clarius Hippocrates, φωναί τε πολλοῖς ἐπε-
σήμαινον κακούμεναι, καὶ κατειλοῦσαι. πρῶτον μὲν τοῖς φθινώδεσι,
ἀτὰρ καὶ τοῖσι καυσώδεσι, καὶ τοῖς φρενιτικοῖσιν, ideſt, voces multis
ſignum dederunt quòd eſſent vitiatę, & diſtortę maxime in-
cipientibus in tabem labi, ſed & cauſo detentis, & phreniti-
cis, vbi Galenus longiſſima vtitur oratione in declarando il
lo verbo κατειλοῦσαι, & improprie adhibitum oſtendit, quia
potius palpebris accommodatum dicit, quæ dicuntur inuer
ti, & ex Platone interpretatur concluſam, & coactam vocẽ.

Sed quia hæc potius ad Grammaticum pertinent, quàm ad Medicum, cum nobis non sit propositum contextum illum interpretari, sed cum Hippocrate comparare Thucydidem, omittamus. Infra vero dicit tandem ad propositum se conuertens: ἀρκεῖ γὰρ εἰδέναι μόνον ἓν τοῦτο γενικῶς λεγόμενόν τι καὶ νοούμενον, ὥστε διὰ τὸ γενόμενον αὐτοῖς ἐκ τῆς κεφαλῆς ῥεῦμα βλαβέντες τὰ φωνητικὰ μόρια, καὶ τὰς φωνὰς ἐκακώθησαν, idest, Sat est enim nouisse hoc solum generatim, quòd dicitur, & intelligitur, quòd ob fluxionem in ipsis factam ex capite deprauatis vocis instrumentis, voces etiam ipsæ vitiatæ sunt. Et mox aperte demonstrat esse symptoma, & pathos Epidemicum, dum ait tenendam Medico rationem fluxionis à capite. τοῦ διακρίνειν ἕνεκα πότερον ἄλλη τις αἰτία τὸ τοιοῦτον πάθος εἰργάσατο τοῖς κάμνουσι, ἢ τῶν ἐπιδημιῶν ἐστὶ νοσημάτων, idest, Causa dijudicandi vtrũ aliqua alia causa talem affectum genuit in ægrotantibus, an ex Epidemicis sit ægritudinibus, quodq; sit Epidemicum pathos ipse etiam Galenus testatur in 1. meth. cap. 12. vbi in illa peste sui temporis meminit cuiusdam adolescentis, qui fauces habuit, & guttur vlceratum, & euomuit laryngis tunicam tandem etiam raucus factus. καὶ ἐβλάβη τοὐντεῦθεν εἰς τὴν φωνὴν ὁ ἄνθρωπος. Et læsa etiã ex hoc homini vox est. Et in 1. Epid. contex. 12. φωναὶ βραγχώδεες· οὐ μετὰ πολύ, idest, voces raucæ nõ multo post. Idẽ Galenus in Commentario in primum prorrhet. contex. 3. vbi dicitur, αἱ δασεῖαι γλῶσσαι, καὶ κατάξηροι φρενιτικαί, idest, densæ linguæ, & siccæ phreniticæ, videtur significare esse signum, & symptoma phrenitidis, cum dicat posse interpretari pro linguis densis, τὰς βραγχώδεις φωνὰς, & ita innuit à quibusdã interpretibus intellectum, licet ipse non probet, cum hoc symptoma fiat ex humore, non ex siccitate, vt ibi innuitur. Meminit etiã Fallopius in libro de humoribus. cap. de Bub. pestil. vbi post nonum signum, quod dicit esse difficilem respirationem, cum dolore thoracis, ait: Addatis, quòd quando volunt loqui, vox redditur rauca.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι, ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν ἐπῄεσαν, καὶ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης, λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενὴ σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρὸν τοῖς μὲν μετὰ ταῦτα λωφήσαντα, τοῖς δὲ καὶ πολλῷ ὕστερον.

THVCYDIDES.

ET in non multo tempore deſcendebat in pectus dolor cum tuſſi vehementi,& cum in corde hæſerat,ſubuertebatq; ipſum,& excretiones bilis omnes, quotquot a Medicis nominatæ ſunt, ſequebantur, & ipſæ cum cruciatu inſigni: ſingultusq; pleriſque multis incidebat inanis conuulſionem excitans vehementem, aliquibus quidem ſtatim ceſſantem, nonnullis multo ſerius.

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

EXplicatis malis, atque symptomatis, quibus repentino ingruens pestis homines afficiebat, caput ipsum primo quasi arcem totius corporis inuadens, quibus affecti, vel potius confecti, aut statim interibant, vel intra quartam, bidui, ad summũ tridui spacio moriebantur acutissime: ita enim nos Thucydidem ex Hippocratis doctrina interpretamur. Nunc persequitur mala, quibus vexabantur, si vltra hunc terminũ sustinuissent impressionem, dicitq; pestilentem illam materiam hoc elapso tempore, subito fuisse præcipitatam, & delapsam in thoracem, vbi denuo nouis symptomatis miserrime diuexabat, ac excruciabat laborantes, quorum hæc syndrome, atque concursus fuit. Primum in ipso descensu per asperam arteriam, & fauces, tussim excitabat non leuem, sed vehementẽ, & maxime molestam, deinde in os ventriculi insidebat, & ibi defixa, & inhærens subuertebat, & hunc motum, atque malum subsequebantur statim vomitus, & expurgationes omnium generis bilis, in quo cum uehementer labefactaretur, ac concuteretur uniuersum pectus, atq; adeo corpus, & intestina, quæ cum ipso coniuncta, ob affinitatem, ingenti cruciatu, & quasi tormento disrumpebantur, & mox singultus superueniebat ob euacuationem inanis adeo molestus, & contumax, ut pareret etiã conuulsionem, & spasmũ, qui interdum requietis aliquid dabat breui cessans, interdum, & in quibusdam diutius perseuerans uehementissime perturbabat.

ὀυτωολ-

οὐ πολλῷ χρόνῳ. Non multo tempore.] Videtur Thucydides significare post quartum; aut enim interibant ante, aut malum à capite discedens in thoracis cauernas se præcipitabat, & vsque ad septimum, & nonum interdum protrahebant spiritum, vt infra dicetur, hunc descensum notat etiam Lucretius, vt supra dictum.

Inde vbi per fauces pectus complerat, & ipsum
Morbida vis in cor mæstum confluxerat ægris,
Omnia tamen vero vitai claustra lababant.

οὐ πολλῷ. Non multo.] Hoc verbum per ἰσοδυναμίαν, videtur significare maximam temporis breuitatem apud Thucydidem, sic in principio huius narrationis de peste, dicit postquā Peloponnesii in Atticam inuasissent, non multos post dies pestem adortam, οὐ πολλὰς πω ἡμέρας, quòd explicās in fine, apertius dixit æquipollenti dictione, ἰσοδυναμοῦσῃ λέξει, εὐθὺς, idest statim, cui in morbis æquipollet illud ἐξαίφνης, extemplo positum à Thucydide, quod non tam subitam & repentinam εἰσβολὴν idest, inuasionem morbi significat, quę fit horæ spatio, quam πρώτην appellat Galenus, idest primā, quam etiam eius latitudinem, quæ vsque ad quartam perducitur, intra quam mortui dicuntur etiam repente mortui, ac subito, quare Galenus in 3. Epid. 3. phreniticum illum in quarta mortuum dicit εὐθέως ἀποθανεῖν, subito mortuum, cui verbo apud Hipp. respondet illud ἐν ἀρχῇ in principio, ut in 1. prorrhet. 1. οἱ κωματώδεες ἐν ἀρχῇσι γινόμενοι, idest, comatosi in principijs facti, vbi Galenus in Commen. ait, τὸ γὰρ τῆς ἀρχῆς ὄνομα δηλοῖ μὲν καὶ τὴν πρώτην εἰσβολὴν τοῦ νοσήματος, δηλοῖ δὲ καὶ τὴν ἐν πλάτει νοουμένην ἄχρι τῆς τρίτης ἢ τετάρτης ἡμέρας, idest, nomen enim principij significat quidem & primū insultum morbi, significat uero etiam in latitudine intellectum vsq; ad tertiam, uel quartam, & hic est terminus acutissimorum morborum, quare 3. Epid. in ægroto quarto, qui obijt in quarta ad meridiem Hippoc. dicit ἔθανεν ὀξυτάτως, obijt acutissime, quod idem ac si dixisset in principio, extemplo, & subito.

ἐς τὰ στήθη. In pectus.] Videtur hoc in loco magna se se offerre dubitatio nam si accipimus pectus pro thorace, ut uidetur ipsa ratio postulare hoc loco, ei uero tribuat sympto ma morsus uentriculi Thucydides, videtur contra anatomi-

cam

cam historiam fecisse, quæ uentriculum in postremo uentre collocandum ostendit. huic respondere quæstioni isto modo possumus, quòd antiqui teste Aristotele 1. de historia animalium cap. 7. per thoracem intelligebant eam omnem εὐρυχωρίαν, & cauitatem, quæ est à clauibus ad pudenda, sed rursus emergit alia dubitatio, quæ hanc omnino euertit, nã infra facit vẽtriculi mentionem τῆς κοιλίας, & uidetur agnoscere triplicem illam à Galeno hinc fortasse deprömptam diuisionem in tres ventres quam innuit 7. de usu p. capit. 11. sed apertissime proponit de inæq. intẽperie cap. 1. quare dicẽdum potius per thoracem ueteres intellexisse quicquid intra costas continetur, & abditur, quomodo intellexisse dici potest Hippocrates Thucydidis æqualis, qui lib. de arte text. 17. iecur in thorace collocatum à natura scriptum reliquit, ex quo quidam occasionem sumpsere calumniandi diuinum senem, quòd ignorauerit anatomen: nam in ea regione est situs ventriculus στόμαχος, cuius hæc sunt symptomata, uel tandem dicendum cum Andrea Laurentio lib. 3. c. 1. quòd hoc uocabulum στῆθος, tribus modis accipitur, κυρίως proprie, & significat anteriorem thoracis partem tantum, συνεκδοχικῶς, & sic usurpatur pro media tãtum pectoris parte, quam uocant στέρνον, uel eius extremam particulam, quæ cartilago est xiphoides, uel per metonymiam μετωνυμικῶς, pro orificio superiore uentriculi, quod sub ea cartilagine cõtinetur, ut in Coacis, dixit στήθεος δῆξιν, καὶ πικρότητα, idest, pectoris morsum, & amarorem, ubi etiam Hollerius in Comm̃etario explicat os uentriculi, ut & Iacotius, στήθεος ἄλγημα interpretatur mordicationem orificij uentriculi, & cardialgiam, idque non semel. hist. 2. & hoc pacto dicere possumus Thucydidem intellexisse, sed nostra melior fortasse ratio & explicatio.

πόνος. Labor.] Interpres siue scholiastes græcus præclare interpretatur, τὸν πόνον λέγει τὴν ἐκ τοῦ νοσήματος ταλαιπωρίαν, idest, laborem uocat eum, qui ex morbo percipitur cruciatum, & miseriam auctor etymo. deduci dicit ἀ πένω, quod est ἐνεργῶ, & κάμνω: quare tria potissimi apud Hipp. solet significare, τὸ γυμνάσιον, idest, exercitium; unde illud, ἄσκησις ὑγείης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων, idest, exercitatio sanitatis, cibi nulla satietas, laboris nulla cessatio. Secundo, τὴν ὀδύνην, idest,

idest, dolorem Hippoc. aph. 2. Δύο πόνων προκειμένων μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον: idest, duobus laboribus propositis non in eodem loco, &c. Tertio τὴν βλάβην, idest, damnum idem Hippo. ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέῃ, θανάσιμον. idest, in quo morbo somnus laborem facit, mortale. Galenus in Comm. 2. in lib. Hippo. de dięta acutorum morbor cont. 6. vbi dicit Hippoc. oportere medicos esse exercitatos, & vsu ac experiẽtia instructos, vt diiudicare possint an imbecillitates, quæ cõtingunt in morbis acutis ἀδυναμίαι, sint διὰ κενεαγγείην, idest, vasorum inanitionem, an ob alium quendam ἐρεθισμόν, idest, stimulum, & occasionem, an vero διὰ πόνον, καὶ ὑπὸ ὀξύτητος τῆς νόσου, idest, propter laborem, & acutiẽ morbi, vbi Galenus dupliciter interpretatur, πόνον τὸν ἰδίως λεγόμενον ὅπερ ἐστὶν αὐτὸς ταῖς ὀδύναις. idest, qui proprie dicitur labor, & est idem cum dolore, vel τὴν ὡς ἂν εἴποι τις κακοπάθειαν, ἣν κακοπαθοῦσιν οἱ κάμνοντες ἐν ταῖς ὀξείαις νόσοις. idest, vel ea quam quis appellare possit mali passionem, qua affligũtur hi, qui laborant acutis morbis, & hæc magis videtur huic loco accommodata notio, indicat enim proprie vitium, & malitiam pestilentis morbi se se pręcipitantis, ac deturbantis in pectus, vt etiam infra verbo ipso vtitur, τὸν θνήσκοντα, καὶ τὸν πονούμενον, idest, morientem, & laborantem, vbi intelligit laborantem, i. morbi symptomatibus pestilentis male vexatum, & paulo post πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ, idest, præter præsens malum nempe pestilens, sic videtur apud latinos accepisse Virgilius in 4. Georg.

Primos Lucinæ experta labores,

Notandũ vero in hoc Historici in varianda oratione artificium, nam interdum appellat πάθος, interdum κακόν, interdum φθοράν, & φθόρον, interdum πόνον, interdum λοιμόν, nam hic nihil aliud intelligit nisi ipsam pestilentis morbi vim.

Κατέβαινε. Descẽdebat.] Hic videreẽ q̃rendũ de sympathia cerebri cum ventriculo, & per quas vias fieri possit iste descensus, quæ scilicet referunẽ à multis accepta magnitudini, & ui neruorum, quibus præditus, sed primum videndum, cũ Galenus 6. de vsu par. cap. 14. ponat tres tantum modos, quibus fiat ταχίστη μετάστασις τῶν ὑλῶν. idest, celerrima materiarũ trãsmutatio, nempe, vel per attractionẽ, vel missionem, seu proiectionem, vel deductionem, ita enim loquitur, ἢ γὰρ ἐλ-

κεῶαι χρὴ τὸ μετιστάμενον βάλλεσθαι πρός τινος, ἢ παραπέμπεσθαι, quæ oĩa in corde esse probat, cum cor attrahat, mittant κοιλότητες αἱ κατὰ τὰ ὦτα cauitates, quæ ad aures sunt, deducant vasa & hęc in motu diastoles oĩa fiunt, quærendum inquam vtrum ex Thucydidis dicto detur quartus modus nempe κατάβασις, id est, descensus, cum sponte naturæ fluit materia qđ multa in re medica vocabula morborum videntur signi ficare, vt catarrhi, qui fluxum materiæ significant, diarrhæa, gonorrhęa & similia, vt frequẽs apud medicos mentio τοῦ ὀργασμοῦ, quã materiã furentẽ, siue turgentem passim vocant, ẽt testatur. Quod licet vocabulum non sit à Galeno, & Hippocrate vsurpatum, venit tamen à verbo ὀργᾶν, quo vsus frequẽter Hippocrates ad hunc pruritum materiæ, & titillatio nem significãdã, ut aph. 22. primæ sectionis, vbi translatum dicit Galenus ἀπὸ τῶν ὀργώντων ζώων, id est, ab animantibus titillatis ad venerem, ut ipsemet 1. de crisibus, capit. 9. alio clariore uocabulo ostendit, dicens, τῶν ἐπειγομένων χρῆσθαι συνουσίᾳ, id est, sollicitatis ad usum Veneris, ubi citat Aphor. ut etiam 2. de humoribus, ut etiam libro 3. de fract. cont. 18. ubi motum puris in ulcere ad exitum fẽstinãtis per hoc uerbum expressit, ὀργᾶν, nam contra uidetur repugnare humoris naturæ, quæ per se mobilis non uidetur, nisi à ui aliqua excitetur, & commoueatur, & uidetur potius id tribuendum expultrici facultati partis mittentis, ut hoc loco cerebri, & ita potest poni sub prima specie transmutationis quæ est missio, ut etiam loco citato de fracturis refert Galenus in membrũ πεπονθὸς ἐπειγόμενον πρὸς ἀπόκρισιν, quod sollicitatur ad expulsionem, non in puris, & materię naturam, quę per se non est mobilis, quæ uero sit apud medicos hęc materia ὀργῶσα, uariæ sunt sententiæ medicorum, quas nos persequimur in explicatione illius aphorismi.

Nonum sympto- ma pestis tussis vehe mens.

βηχὸς ἰσχυροῦ. Tussi uehementi.] quomodo fiat tussis, & quid sit declaratum ex parte iam est, cum de sternutamento ageretur, dictum enim idem esse tussim in pectore, quod sternutatio in capite, & ideo coniunctim de utroque disputat Galenus in 3. de sympt. causis, ubi concludit tussim nihil esse aliud quam, σφοδροτάτην τινὰ ἐκφύσησιν, ἵνα πλεῖστον τε ἅμα καὶ τάχιστα φερόμενον ἔξω τὸ πνεῦμα παρασύρῃ τε, καὶ προωθῇ τῇ ῥύμῃ τὰ ἐμφράττοντα τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, id est, uehementissimam

quan-

quandam efflationem, ut plurimum simul, & uelocissime delatum foras spiritum attrahat, & propellat sua impressione obstruentia uias eius, quod si uno aggressu, & insultu non potest præstare, bis ter ac sæpius inuadit, quoad assequatur, & in 5. de l. aff. dicit à natura donatam animāti, ut expurgare per eam pectus possit: quare inter motus uoluntarios facultatis motricis, deprauatos tamen collocatur, in quo causa aliqua adsit præter naturam, quæ ad motum extimulet, & eadem est eius uis in pectore, & thorace, qualis actio expultricis facultatis in uentriculo. Quod uero sit symptoma pestis, declaratur ex Hipp. in 6. Epid. 2. cont. 17. ἡ βὴξ ξηρὴ μὴ θηριώδης, idest, tussis sicca, non ferina, & 24. βῆχες ξηραὶ, &c. tusses siccæ, ubi duplicis tussis facit mentionem benignæ, quæ desinit in abscessus, & ferinæ τῆς θηριώδους, ubi triplicem affert illius uerbi explicationem. Primam, quòd scilicet ἕλμινθες, idest, uermes ad os uentriculi accedentes & mordentes tussim gignant, quam reijcit, quia neque rationi nititur, nec experientię, alterā, quod significet, φθίσιν, idest, tabem, quia tabidis ungues incuruentur quasi θηρίοις, idest, feris, cum et θηρίωμα, dicant appellatum ulcus pulmonis. Tertia demum est ut intelligatur κακοήθης, idest, maligna, & pestilens, quam ipse magis probat, ita enim inquit, τὸ κακόηθες οὖν ἄμεινον ἀκούειν θηριῶδες, ἐάν τε ἀπὸ κεφαλῆς καταφερομένου ῥεύματος βήττωσιν ἐάν τε ἐφ' ἕλκει τῶν κατά τι τῶν ἀναπνευστικῶν ὀργάνων, ἤ τοῖς κατὰ ταῦτα γινομένοις ἀποστήμασι ἐάν τε ἐπὶ τοῖς καλουμένοις ἐμπυήμασιν, idest, satius est igitur ferinum intelligere malignum, siue ex capite delata fluxione tussiant, siue ex ulcere alicuius ex spiritualibus instrumentis, siue ex coortis in ipsis abscessibus, siue ob ea quæ uocantur empyemata tussiant, ubi quatuor uidetur ponere species tussis malignę, siue causas & differentias, cuiusmodi omnes has fuisse dici potest, ex capite enim fluebat humor, per fauces, & asperam arteriam ulceratam in pectus descendebat, & multos tabe afficiebat, eodē uero loco Galenus recenset etiam non malignas tusses, quas duas ponit, nempe ex instrumētorum spiritalium intemperie, δυσκρασίας, aut ob faucium arteriæve asperitatem τραχύτητα τῆς φάρυγγος καὶ τραχείας ἀρτηρίας, quæ asperitas fieri potest (inquit ipse) tum ex cibis, & pot bus asperantibus, tum ex ambiētis aeris natura: quare dicebat idem Hipp. Aquilo-

ne flente tuſſes excitari, &c. elegantiſsime hoc ſymptoma peſtis tetigit Vergilius in 3. Georg. ubi hanc Thucydidiam peſtem dicitur adumbraſſe, ait enim.

Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tuſſis anhela ſues, ac faucibus angit obeſis.

Quem imitatus, ac ſubſecutus Sillius Italicus lib. 14. ita ait:

Aſpera pulmonem tuſſis quatit, & per anhela
Igneus efflatur ſitientum ſpiritus ora.

Neque ipſe Lucretius prætermiſit, licet non ſuo ordine, & loco collocarit: nam paulo poſt tria ſimul ſymptomata con iungit vlcerationem, & vitium faucium ex maligna, & ſalſa fluxione à capite delabente, raucitatem inde ortam, & tuſſim, dicens:

Tenuia ſputa, minuta, croci contacta colore,
Salſaq; per fauces raucas vix edita tuſſi.

Quare non omnino apparet eſſe verum, quod dicit in Com mentario illius Lambinus, qui dicit ſcripta à verſu illo,

Multaq; præterea mortis, &c. vſque ad
Octauoq; ferè cadentes, &c.

Non eſſe apud Thucydidem: nam multa ſunt apud Thucydidem, qui diligenter conſideret, vt illud etiam, quod ſequitur de ſpaſmo, & conulſione. Seneca etiam id non prætermiſit in Oedipo. Ait enim de peſtilentia correptorum ſymptomatis:

Intima creber viſcera quaßat
Gemitus ſtridens.

Huiuſmodi ſymptoma eueniſſe in peſte illa narrat Procopius lib. 2. de bello Perſico, & primo ſtatim inſultu à mane ad veſperam tuſſi exagitatos cum febre, qui corriperentur. Et in ea peſte, quæ graſſata eſt ſub Martiano Imperatore orientis anno 455. vehemens phlegmone primo, biduo excœcabat; & tertio die tuſſis ægros abripiebat, vt meminit Heurnius cap. 4. Symptoma etiam peſtis fuiſse probat Galenus in 5. meth. cap. 12. vbi recitat duas hiſtorias duorum, imò & plurium adoleſcentum, qui in illa eo tempore, graſſante peſtilentia, tuſſi laborarunt, & vlceribus fauciũ, de primo ſic ait: Κατὰ τὸν μέγαν τοῦτον λοιμὸν, ὃν εἴη ποτὲ παύσεσθαι, πρῶτον εἰσβάλλοντα, τότε νεανίσκος τις ἐνναταῖος ἐξήνθησεν ἕλκεσι εἰς ὅλον τὸ σῶμα καθάπερ, καὶ οἱ ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες οἱ σωθέντες. ἐν

τούτῳ

τούτῳ δὲ καὶ ὑπέβηττε βραχέα. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ λουσάμενος αὐτίκα μὲν ἔβηξε σφοδρότερον, ἀνηνέχθη δ' αὐτῷ μετὰ τῆς βηχός. ἣν ὀνομάζουσι ἐφελκίδα, ideſt, In magna hac peſte (quæ utinam aliquando ceſset) cum primum cœpit, iuuenis quidam nonũ iam diem ægrotans toto corpore vlceribus effloruit, quemadmodum fere omnes alij, qui ſeruati ſunt, hoc die etiã tuſſiebat paululum, poſtridie lotus ſtatim tuſſijt vehemẽtius, & cum tuſſi eiecta eſt cruſtula, quam vocãt Ephelcida. Quẽ etiam mox ſeruatum dicit. Altera hiſtoria eſt adoleſcentis xviij. annos nati, qui ex catarrho plurium dierum expuit cũ tuſſi primo ſanguinem εὐανθὲς, ideſt, floridũ, ſed non multũ, poſtea uero expuit etiam particulam illius χιτῶνος tunicæ, ὃς ὑπαλείφων ἔνδοθεν τὴν ἀρτηρίαν, εἰς τὴν φάρυγγά τε, καὶ σόμα διὰ τῆς λάρυγγος ἀνεφέρετο, ideſt, Quæ tegens intus arteriam in fauces, & os per laryngem, ideſt, arteriæ caput ferebatur. Quam ex craſſitudine ſibi coniectanti, & ægri ſermone viſam laryngis interius corpus tunicæ, & voce etiam læſa tum ſanatum longo poſt tempore. Hippocrates ipſe in 3. Epid. 5. contex. 66. declarat fuiſſe iſtius peſtis perpetuũ ſymptoma, præſertim in tabidis: vbi enim dicit multos tabe confectos, maioremq; partem perijſſe; eos uerò, qui fugerãt necem, nunquam tuſſi deſtitutos, τῶν δ' ἄλλων ἐξέλιπον μὲν αἱ βῆχες οὐδενὶ, ideſt, ex alijs nulli tuſſes defecerunt. Et in 1. Epid. Cõment. contex. 12. πολλοῖσι δὲ βῆχες ξηραί. βήσσουσι καὶ οὐδὲν ἀνάγουσι, ideſt, Tuſſes ſiccæ; tuſſiunt, & nihil educunt. Vbi Galenus in Commentario docet, quid ſit tuſſis arida. Meminit etiã in 7. in 6. contex. 16. & 17. vbi ſit mentio duplicis tuſſis, lenis ſcilicet, & ſiccæ, quam malignam interpretatur in Commentario Galenus. Notat hoc ſignum in peſte Petrus Pariſus, & citat etiã hunc Thucydidis locum. Valeriola in Appendice locorum communium cap. de peſtilentibus morbis facit mentionem cuiuſdam morbi bis populariter graſſati ſua memoria, nempe 1510. & 1552. in Gallia, eorum lingua vocati *La Coculuche*: ex eo quòd correpti cuculione caput velarent, arbitrantes id prodeſſe, quòd fluxio à capite delaberetur, in quo tuſſis eſſet præcipuum ſymptoma, quæ ſanis derepente etiã obrepebat: cum dolore capitis, reſpirandi anguſtia, ac vocis raucitate ab initio, quę preibant, mox ſequebatur horror, & febris, & ipſa tuſſis erat adeo valida, vt in

præ-

præfocationis periculum frequenter induceret ab initio ficca, mox post septimum, vel decimumquartum cum screatu multo, viscido, lento, &c. de quo ibi multa, &c. contagiosamq; adeo fuisse scribit, vt vno in quapiam familia correpto, in uniuersam domum incendium, contagioq; serperet.

Stomach' cor vocabat ab antiquis medicis.

Καρδίαν, Cor.] Præclare Græcus hic Scholiastes ait: οἱ παλαιοὶ ἰατροὶ τὸν στόμαχον καρδίαν ἐκάλουν, καὶ καρδιωγμὸν τὸν πόνον τοῦ στομάχου, idest, Veteres medici stomachum cor vocabant, & cordis morsum stomachi dolorem. Quam rem multis in locis notat Galenus, vt de sympt. causis, lib. 1. cap. 7. in principio, τὸ στόμα τῆς κοιλίας, ὃ δὴ καὶ καρδίαν ὀνομάζουσι, idest, Os ventriculi, quod etiam cor nominant. Et 5. de locis affectis, cap. 6. initio ait: τὸ στόμα τῆς κοιλίας οἱ παλαιοὶ καρδίαν ὠνόμαζον, idest, Os venrriculi veteres cor appellabant, quod à recentioribus dicitur etiam stomachus, ut paulo post ibidem declarat Galenus, λυμαίνεται τὸ τῆς γαστρὸς στόμα πάσχον, ὅπερ ὡς οἱ παλαιοὶ πάντες ὠνόμαζον καρδίαν, οὕτως οἱ νῦν ὀνομάζουσι στόμαχον, idest, Vexat os ventriculi affectum, quod ut ueteres nominabant cor, ita recentiores appellant stomachum. Et in 8. de comp. med. κατὰ τόπους secundum locos ait: εἴρηται πολλάκις ὡς τὸ τῆς γαστρὸς στόμα καλεῖν ἔθος ἐστὶ τοῖς ἰατροῖς ὥσπερ καρδίαν οὕτω καὶ στόμαχον, ἀλλὰ πάλαι μὲν ἦν συνηθέστερον τὸ τῆς καρδίας ὄνομα, νυνὶ δὲ ἀπ' ἐκείνου μὲν ἔτι διαμένει καρδιώσσειν, καὶ καρδιαλγία, τὸ δὲ μόριον αὐτὸ στόμαχον ὀνομάζουσιν ὁμωνύμως τῷ καταφέροντι τὴν τροφὴν ἐκ τοῦ στόματος εἰς αὐτήν, idest, dictum est sæpius, quòd os ventriculi mos est medicis appellare ut cor, ita & stomachum, sed antiquitus magis erat in usu positū cordis nomen, nuncq; ab illo adhuc permanent cardiossin, idest, cordis dolores, & cardialgia. Particulā vero appellant eodem nomine, quo eam, quæ cibū ex ore in eam defert. Idē in 3. prognost. cont. 30. vbi agit de uomitu Hipp. & dicit, si febricitanti ob oculos uersetur ὀρφνῶδες, obscurū quiddam cum dolore capitis: si accedat etiam καρδιωγμός, idest, cordis morsus, χολώδης ἔμετος παρέσται, idest, biliosus uomitus aderit. Vbi Galenus etiam locū hunc citat Thucydidis, & ideo totum ad rem illustrandam afferamus. τὸ δὲ τῆς γαστρὸς στόμα καλεῖται δὲ τοῦτο ὡς ἴσμεν, καὶ καρδία, διὰ τὸ μέγεθος, ὧν ἔχει νεύρων αἰσθητικῶν οὐδὲν λανθάνει ὂν κατ' αὐτό. δακνόμενον οὖν ὑπὸ τοῦ πικροχόλου χυμοῦ τὸν καλούμενον οὕτω καρδιωγμὸν ἐργάζεται, διὸ καὶ

χολώδης ἔμετος αὐτοῖς γίνεται. τοιοῦτον γὰρ καὶ ὁ Θουκυδίδης ἐδήλωσεν, ἔνθα φησὶ καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν ἐστήριξε, ἀνέστρεφέ γε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς ὁπόσαι παρὰ τῶν ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσὶν ὑπῆσαν. τὸ γὰρ ἀνέστρεφεν, ἐπὶ τῆς πρὸς ἔμετον ὁρμῆς, εὐθέως γε καὶ καρδίαν ὀνομάσας τὸ στόμα τῆς γαστρὸς, διὸ δὴ καὶ τὰς δήξεις αὐτοῦ καρδιωγμούς τε, καὶ καρδιαλγίας ὀνομάζουσι, ideſt, Os uentriculi (uocatur autem hoc, ut nouimus etiam cor propter magnitudinem neruorum ſenſitiuorum, quos habet) nihil latet eorum, quæ ſunt in ipſo; commorſum igitur à bilioſo humore, cordis morſum ita appellatum efficit, quare & bilioſus ipſis vomitus accidit, tale quiddam etiam Thucydides indicauit, ubi ait, & cum in cor inhæſerat, ſubuertebatq; ipſum, & deiectiones bilis, quotquot à medicis ſunt appellatæ, ſubierunt: nam illud ſubuertebat de impetu ad uomitum dixit, ſtatim & cor nominãs os uentriculi, quare etiã morſus eius cardiogmos, & cardialgias uocant. Ex quo loco, & ſententiã à Galeno, & uerba etiam explicata, necnon emendata habemus: legendum enim ἐστήριξε nõ στηρίξαι, & ὑπῆσαν, non ἐπῆσαν, quamuis hæc lectio & in Aldinis, & in Stephanianis libris retineatur. Quæ doctrina de ſignis uomitus: confirmatur etiam apud Hippocratem 4. Aphor. 17. ubi dicitur, quòd patiens cordis morſum καρδιωγμὸν, & uertiginem tenebricoſam cum oris amaritudine indiget purgatione per ſuperiora. & Aphor. 65. ubi dicitur in febribus eſſe ſignum malum cordis morſum: & vt ad propoſitum reuertamur. Sic Lucretius uertit cor:

Morbida vis in cor mæſtum confluxerat ægris.

Sic Horatius in 3. Sat. ſecundi libri, uſus eſt cor pro ſtomacho. Ait enim:

Et morbi miror purgatum te illius, atque
Emouit veterem mire nouus, vt ſolet in cor
Traiecto lateris miſeri, capitisq; dolore.

Nam ex pleuritico etiam fit cardiacus, quod eſt dolor oris uentriculi, ut teſtatur Celſus lib. 3. cap. 19. unũ adhuc exemplum libet proponere, & teſtimonium Galeni, ubi etiam citat Thucydidis hunc locum, & uaria adhuc lectio proponitur, nam in Commentario in 2. Epid. contex. 1. ubi dicit, γυνὴ ἐκαρδιάλγει καὶ οὐδὲν καθίστατο, ideſt, mulier oris uentriculi dolore angebatur, nec quicquã conſiſtebat. Galenus in Commentario

mentario, qui Græcus apud me, & manuſcriptus extat. ὅτι δὲ ἡ καρδία μὴ μόνον τὸ πρῶτον σπλάγχνον τι ὅπερ ἀρχὴ τῆς ζωτικῆς δυνάμεώς ἐστιν παρὰ τοῖς παλαιοῖς σημαίνει, ἀλλὰ καὶ τὸ στόμα τῆς γαστρός, οὐδένα οἶμαι τῶν μετρίως πεπαιδευμένων λανθάνει, ἐπειδὴ πλὴν οἱ ἰατροὶ, καὶ Θουκυδίδης ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἱστοριῶν περὶ λοιμοῦ γράφων ὧδέ πως φησὶ, καὶ ὁπότε εἰς τὴν καρδίαν στηρίξαιεν, ἀνέτρεπέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσιν ὅσαι ἀπὸ τῶν ἰατρῶν εἰσὶν ὠνομασμέναι ἐπῄεσαν, ideſt, Quod vero cor non ſolum primum uiſcus, quod eſt principium uitalis facultatis apud ueteres ſignificet, ſed etiam os uentriculi, neminem puto latere eorũ, qui ſint mediocriter eruditi, quandoquidem præter medicos etiam Thucydides in 2. Hiſtoriarum de Peſte, ſcribens in hunc modum ait: Et ubi hoc malum in cor inhæſerat, ipſumq; ſubuertebat, & deiectiones bilis omnes quotquot ſunt apud medicos decantatæ, ſubſequebantur, quod etiam repetit in 2. de decr. cap. 12. ubi ad probandum, ꝙ καρδίας uocabulum ſignificat ſtomachum, citat hunc locum Thucydidis eandem lectionem retinens uerbi στηρίξαιεν, & præterea Nicandri dicentis in Alexiph.

> ἣν κραδίην ἐπιδόρπιον, οἱ δὲ δοχαίην
> Κλείουσι στομάχοιο. ideſt,
> *Cor epulare uocant quidam ſtomachiq; cloacam.*

Decimum ſymptoma peſtis ſtomachi ſubuerſio.

ἀνέστρεφέ τ' αὐτὴν. Subuertebatq; ipſum.] Stomachi ſubuerſionem ex Galeno ſupra ſignum futuri uomitus dictum eſt, ſed poteſt etiam poni, ut proprium peſtis ſymptoma, & ſignum, nam ſolet euenire, eſt autem ſubuerſio ſtomachi ipſe morbus καρδιωγμός, & καρδιαλγία, nuncupatus, & ναυτία, ideſt, nauſea, ut ſupra didicimus ex Galeni explicatione in 3. prognoſt. cont. 3. ubi ad probandum, quòd uomitum biliosum præcedit καρδιωγμός, locum hunc citat Thucydidis, & patet etiam ex ipſo uocabulo, nam uidetur proprio nomine uocare, καρδίας πόνον, quo uocant etiam medici, ſed ne medice ſcribere uideretur, diſiunxit in ſyntaxi, πόνον à uerbo καρδίας. Hippoc. in 1. prorrhet. Comment. 2. cont. 40. καρδίας πόνος ἅμα τοῦ ὑποχονδρίου συντόνῳ καὶ κεφαλαλγίη κακοήθες, ideſt, cordis labor una cum hypochondrio contento, doloreq; capitis malignum, pro quo ſymptomate ſignificādo utitur alibi contrito medicis uocabulo, καρδιωγμός, καρδιαλγία, ꝙ etiam καρδιακή, dicitur, quo uocabulo utitur latine

ne Celsus uocās cardiacam hunc affectum, quod confirmat Galeni auctoritas etiam, qui hunc contextum citans in 1. cont. 2. Commen. in 2. Epid. vbi dicitur γυνὴ ἐκαρδιάλγει, id est, mulier angebatur dolore stomachi. ita mox addit: ὅταν μὲν γὰρ οἱ μοχθηροὶ χυμοὶ τὰ κατὰ τὸ στόμα τῆς γαστρὸς διαβρέχουσι, γίνεται ἄνθρωπος ναυτιώδης τε, καὶ καρδιαλγής, idest, Cum enim vitiosi succi partes ad os ventriculi pertinentes imbuunt, fit homo nauseabundus, & oris ventriculi dolore angitur. Ex quibus etiam duobus locis probatur esse maligni morbi, ac pestilentis symptoma. Et quia in hoc etiam Commentario præclare ostendit, quomodo fiat, non erit alienum hic recensere. οὐχ ἅπαν δὲ τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς ἄλγημα καρδιαλγίαν προσαγορεύουσιν, ἀλλὰ μόνον τὸ ὑπὸ δριμέων ὑγρῶν γινόμενον, ὅταν αὐτὸ τὸ στόμα ἐρεθίζηταί τε, καὶ ἀναδάκνυται, ὅπερ ἐν ταῖς λύπαις μάλιστα συμβαίνει. διὸ καὶ οἱ οὕτως διακείμενοι χολὴν ἐμοῦσι ὡς καὶ ἐνίοις ὑπέρχεται κάτω, καὶ ἡ γαστὴρ αὐτοῖς ἄκρατα χολώδη διαχωρεῖ. εὐλόγως δὲ ταῦτα συμβαίνει, τὸ γὰρ στόμα τῆς γαστρὸς διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἐχφυνεύρων αἰσθητικῶν, οὐδὲν λανθάνει τῶν κατ' αὐτό. δακνόμενον οὖν ὑπὸ τοῦ πικροχόλου χυμοῦ καρδιαλγίαν ἐργάζεται, διὸ καὶ χολώδης ἔμετος γίνεται, καὶ διὰ τοῦτο οἱ παλαιοὶ τὰς δήξεις αὐτοῦ καρδιωγμούς, καὶ καρδιαλγίας ἐκάλουν, idest, non omnem autem oris ventriculi dolorem cardialgiā appellant, sed solum illū, qui ab acribus humoribus excitatur, cum ipsum os irritatur, & commordetur, quod maxime in molestijs contingit, quare & sic affecti bilem vomunt, vt etiam quibusdam infra deijcitur, & ventriculus ipsis summa biliosa egerit. Et hæc merito accidunt: nam os ventriculi ob magnitudinem sentientium neruorū, quos habet nihil latet eorum, quę ipsi insunt. Commorsum igitur à bilioso humore efficit cardialgiam: quare, & biliosus vomitus succedit, & propterea veteres morsus ipsius Cardiogmos, & cardialgias vocabant, licet in tertio de nat. fac. cap. 12. videatur hæc diuersa facere symptomata, nempe morsum, nauseam, & cardiogmum. Eadem vero, quæ hic dicuntur hisdem pene verbis de cardialgiæ natura, & causis referuntur in 2. de decret. cap. 12. & in Coacis prælectionibus appellauit hoc symptoma στήθεος δῆξιν, idest, morsum pectoris, vt annotauimus supra ex Laurentio dici στῆθος pro ore ventriculi. Philippus etiam Ingrassias videtur diuersa facere symptomata, cum ait par. 1. cap. 13. inter signa

pestis, *Lor sopraviene ansieta, & inquietudine (diciamo volgarmente vna gran Basca) 6. difficoltà di anhelito, con aggiongersi subito 7. il vomito, 8. nausea, con prostration di appetito, ouer 9. con dolor di stomatho, ò certa mordication di quello, che chiamano i Medici* Morsum cordis. Si vero vocabuli vim sequamur, erit hic intelligendum de illo affectu, qui dicitur Græcè ἀνατροπὴ, subuersio, quam nõnulli eandem esse volunt cum nausea, vt testatur in sua Praxi Mercurialis: quidam ponunt discrimen, & nauseam esse dicunt ante cibum, subuersionem post cibum: magna vero hic sese nobis offert dubitatio. Si enim nausea est, vt docuit Galenus 5. de locis aff. 6. continua, & frequens ad vomitum propensio, quam tamen non sequitur vomitus, vnde quidã dixerunt, nauseam esse irritum vomendi desiderium, quomodo dicitur subsecutũ vomitum? Responderi potest dupliciter: primo, id factum ex natura pestis, quę omnes morbos reddit longe magis pernitiosos, & auget omnia symptomata, vt cum suapte natura nausea sit tantum vomendi desiderium, addito pestilenti inquinamento, ad cruciatum irriti vomitus, tandem etiam ipse præternaturalis, & pernitiosus vomitus accesserit: in peste enim (vt supra dicebamus ex Aetio, & Paulo) omnia horrendissima: vel dicendum non fuisse simplicem affectum, sed mixtum, ex varijs, atque adeo contrarijs affectibus, nausea, atque vomitu; & omnes simul fuisse oris ventriculi facultates labefactatas, atque tentatas expultricem, & retentricem simul. Vel tertio dicendum vario tempore vtrumque symptoma euenisse, vt ex ipsis Thucydidijs verbis colligitur, adeo vt primo fuerint nausea tẽtati, & post longum laborem, tandem victo, ac fracto retentricis facultatis robore, subsecutus vomitus fuerit biliosus. Merito autẽ in his aderat ægrotis nausea, & ἀνατροπὴ: tum quia solet esse symptoma febrium pestiferarum; tum quia potissimum sequitur magnas semper inflammationes, præsertim cerebri, & iecoris, quorum alteram, nempe cerebri hic adfuisse supra demõstratum est, cum sumus interpretati calorem illum vehementẽ de phrenitico affectu, & ad id possit referri verbum φλόγωσις, idest, inflãmatio. De altero coniecturam facere possimus ex sequentibus, quæ mox dicentur. Accedit tertio, quòd vtrumque, quemadmodum etiam cardialgia, sunt symptomata superuenientia his, qui venenũ hau-

Cur fuerint nausea tentati peste correpti.

hauserunt; cum vero (vt sæpius dictum) eadem sint interni veneni, quæ externi symptomata, consentaneum fuit, hæc quoque in pestilenti constitutione sæuijsse mala, atque sym ptomata, quarto addatis summa cum ratione factum causa etiam timoris, qui cum maxime in peste correptis regnet, suapteq; natura, vt docuit Galenus 2. de decretis Hippocr. & Pl. 8. timor attrahat bilem in ventriculum, merito ibi collecta peperit nauseam, & cordis dolorem, ac morsum, pessimumq; signum fuit, tum ratione febris pestilentis, tum ratione inflammationis vehementis in parte principe, nempe cerebro, in quibus nihil criticum, aut bonum est sperandū.

ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι, Expurgationes bilis omnes.] Plerique omnes interpretantur de deiectionibus per ventrem inferiorem hunc locum, sed ego de euacuatione per superiora, & de vomitu interpretor, ipso auctore Galeno, qui id videtur innuere in supra citatis contextibus, cū dicat, cardiogmon precedere bilis uomitum, & Thucydidis utatur testimonio, cuius uerba de impetu ad uomitum interpretatur. Ad quod accedit, quòd infra facit diarrhææ, & fluxus uentris mentionem, necnon dysenteriæ sub nomine ἑλκώσεως: cumq; hic de thoracis symptomatibus loquatur, videtur uomitus ad illa pertinere; qui quidem uomitus pestis est perpetuus comes, præsertim uero in pestilenti febri, quæ analogiam habet ad spiritus, & dicitur diaria, uel ephemera: quare probare Scholiastæ non possum explicationem, qui ut infra dicetur, interpretatur πλαιπωρίης δυσεντερίας, quòd scilicet dolor ille, & angor in excernendo intelligatur de dysenteria: nō enim est hoc in more positum Thucydidi breuitatem maxime adamanti eadem sæpius repetere, & inculcare. Quòd vero vomitus sit pestis symptoma declarat etiā Galenus in 5. meth. c. 12. vbi dicit eos qui ex pestilenti tussi sanati essent, fuisse præpurgatos per uomitum precedentem, & alui deiectiones. Rationi etiam cōsentaneum id uidetur, cum dicat malum à capite delapsum, cumq; præcesserit inflammatio ingens, & calor, quæ arguunt affectum cerebrū, hoc autem grauiter affecto succedat per consensum uomitus, presertim biliosus, teste Galeno multis in locis, & potissimum contex. 10. Commen. in 1. prorrhet. Hanc uerò bilis per uomitum euacuationem symptomaticam fuisse, non

Vndecimū symptoma pestis vomitus biliosus.

decretoriam, seu criticam, quippe quæ principio morbi extiterit, declarat Galenus in 6. Epid. Cõment 4. cont. 12. vbi ait: Καθάρσεις εἴωθεν ὀνομάζειν οὐ μόνον τὰς ὑπὸ φαρμάκων γινομένας κενώσεις, ἀλλὰ καὶ τὰς ὑπὸ τῆς φύσεως. ὁ δὲ Θουκυδίδης, καὶ τὰς κατὰ σύμπτωμα τῷ λόγῳ τοῦ νοσήματος ὁρμὰς τῆς φύσεως γινομένας κενώσεις ἐν νόσοις καθάρσεις ὠνόμασεν, καὶ ἀποκαθάρσεις εἰπών, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς πᾶσαι ὅσαι ὑπὸ ἰατρῶν ὠνομασμέναι εἰσίν, ἐπήεσαν. i. Purgationes (Hipp. consueuit uocare) nõ solũ quę à pharmacis fiunt euacuationes, sed eas etiam, quæ à natura. Thucydides uerò etiam eas, quæ ex naturæ motibus fiunt symptomatica ratione morbi uacuationes in morbis purgationes appellauit, & expurgationes. Dicens & expurgationes bilis oẽs, quę à medicis nominatæ, subsecutæ sũt: ubi etiã in Gręco cõtextu arbitror esse mendũ, & legendũ fortasse, τὰς κατὰ τὰς τῷ συμπτωματικῷ λόγῳ τοῦ νοσήματος ὁρμὰς τῆς φύσεως γινομένας κενώσεις, &c. Quod uerò in hac ipsa potissimum peste plures euacuationes, imò ferè omnes essent symptomaticę, nõ criticę, declarat etiam Hippocrates in 3. Epid contex. 41. & 42. Ait enim de excrementorum deiectionibus plurimis, & crudis locutus tandem de urina οὖρα τὰ λεπτὰ, χρήσιμον, οὐδὲ χρηστὸν οὐδὲν, idest, urinæ tenues, utile, aut bonum nihil, ubi Galenus in Commentario ita ait: Μεμνημένος μὲν ὅτι καὶ διὰ οὔρων πλῆθος αὐτὸς ἡμᾶς ἐδίδαξεν γίνεσθαί ποτε κρίσιν ἐπεσήμηνατο νῦν ὅτι καὶ πολλῶν ὄντων αὐτῶν, ὅμως οὐδὲν ἦν κρίσιμον, οὐδὲ χρηστὸν, οὐ γὰρ ἐκκαθαίρουσα τὸ σῶμα, καὶ κινοῦσα τὰ λυποῦντα φαίνεται ἡ φύσις ἐργαζομένη τὸ πλῆθος τῶν οὔρων, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἔμαθες, ἱδρῶτας τε, καὶ διαχωρήματα ποτὲ μὲν ὡς συμπτώματα τῆς κατὰ τὸ σῶμα περιουσίας τῶν μοχθηρῶν χυμῶν ἐκκρίνεσθαι, ποτὲ δὲ ἐκκαθαιρούσης αὐτὰ τῆς φύσεως, οὕτω καὶ νῦν τὰ οὖρα πλεοναζούσης ὑγρότητος ὀρρώδους ἐν τῷ σώματι συμπτώματ᾽ ἐστὶν, &c. idest, Tenens enim memoria, quòd nos ille docuit etiam per urinarum copiam fieri interdum crisin, significauit, quòd licet multæ ipsæ essent, tamen nihil decretorium, neque bonum; non enim ut expurget corpus, & moueat lædentia, uidetur agere natura, sed quemadmodum didicisti sudores, & excretiones interdum quidem, ut symptomata redundantia in corpore prauorum succorum excerni, interdum expurgante ipsos natura. Sic etiam nunc vrinæ abundante humido seroso in corpore sunt symptomata. Et mox etiã affert duplicem causam excretionis

cretionis πλῆθος ἄμετρον, & δῆξιν ἰσχυρὰν, nempe copiā nimiā, & morsum vehementem. Sequente vero contextu idem Hippocrates ait: οὐδ' ἄλλο χρήσιμον οὐδὲν τοῖσιν οὕτως ἔχουσι ἐπεφαίνετο, id est, Neque decretorium quidpiam aliud his ita affectis apparebat, &c. Sabellicus, qui lib. 5. histor. Enn. 3. omnem hanc ad verbum Thucydidis partem expressit, in hoc loco fateor quid sibi velit me ignorare: reddit enim hunc locum: sequebātur guttæ fellis, & humoris, quæ à medicis dicuntur Apocatharses, vbi non videtur mentem Thucydidis assecutus; sed excusari potest, quòd ipse non erat Medicus, sed Historicus purus, non Medicus Historicus, vt Thucydides: nā labitur etiā in verbo καρδίαν, quod vertit præcordia: ita eñ vertit, nec diu post labor in pectus cū vehementi tussi descendebat, & cū præcordijs hæsisset, ea grauiter cruciabat: nisi fortasse quis uelit dicere ipsum intellexisse per καρδίαν, iecur, pro quo accipi solitum notauit etiam Mercurialis ex Hippocrate in sua praxi. Ipsum enim est situm in præcordijs, & ipsi annexa cystis fellis, unde illas profectas ἀποκαθάρσεις dicit, id est, guttas fellis, & humoris: quare etiam Hippocrates 4. de morbis iudicat cardiogmum esse affectum folliculi fellis, cum dicat bilem nullum alium morbum afferre propriè cysti nisi cardiogmum. Petrus Parisus in Tract. de Peste, cap. 2. ubi agit de signis illius pestis, quæ suo tempore Drepanum afflixit, & dixit aliquibus extitisse cum uermium reiectione, quod insignis putredinis argumentum; citat uero locum hunc Thucydidis, & quia multum facit ad nostrā explicationem comprobandam, quòd de uomitu, nō de deiectione per infernum uentrem sit intelligendus, libet uerba eius materna lingua, qua scripsit, recitare: *Il quale segno scriuendo Thucidide nella sua pestilenza c'hebbero li suoi infermi disse: Vomitauano tutte le sorti di colera, che sono da i medici nominate con afflittione grandissima.* Franciscus etiam Portus uidetur maxime nostram confirmare sententiam, & explicationem, qui in suis Commentarijs ita ait: καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ. Neque multo post dolor in pectus descendebat cum uehementi tussi, ubi uerò in corde, & stomacho hæserat, tum bilis uomitiones diuersorum generū, quæ à medicis uarie nominantur, consequebantur; sed rem arbitror esse adeo exploratam, atque perspectam, ut non indigeat probatione.

πᾶσαι.

πᾶσαι. Omnes.] Hoc verbum non est intelligendum de differentijs, & speciebus euacuationis ratione membrorum, quo fortasse decepti plerique multi locum hunc non de vomitu solum, sed etiam de alui deiectionibus biliosis intelligunt, sed est intelligendum de differentijs euacuationis, ratione rei excretę, idest, bilis, quæ complures apud medicos nominantur, & in hoc vno verbo se medicum prestitit Thucydides, & non medicum, nam vnico verbo ostendit complures esse bilis species apud medicos celebres, & eas nouisse, eas vero vnius verbi indicio præteriens se præbuit Historicum, qui cancellos suscepti muneris non egrederetur, à proposito illis recensendis diuertens, quòd vero plures sint bilis species, quæ vomitu reijciuntur nemo mediocriter in medica arte versatus ignorat. Galenus in 4. Commen. in 6. Epi. Hipp. cont. 4. vbi facit Hippoc. mentionem in Agesis puella de vomitu bilioso ἐμέσματι χολώδει ἐώκει λεπτῷ, i. vomitui bilioso similis erat tenui, plures cōmemorat species bilis eu omi solitæ, λέλεκται δ' ἤδη πολλάκις ὡς ὅταν ἁπλῶς εἴπῃ χολώδη τὴν ὠχρὰν τε καὶ ξανθὴν ὀνομαζομένην σημαίνει χολὴν, ἧ πλέον τῶν ἄλλων χολῶν τὴν χρόαν προσγράφει, καὶ γὰρ ἰώδης ἐμεῖται χολὴ, καὶ ὑπέρυθρος, καὶ μέλαινα, καὶ ὀρφνώδης idest, dictū est iam sæpius, quòd cum simpliciter dixerit biliosam, pallidam, & flauam uocatam significat, qua excepta aliarum biliū colorem adscribit, etenim æruginosa vomitur bilis, & subrubra, & nigra, & obscura: quo in loco animaduertendum, quòd fallitur mea sententia interpres latinus Iunius Crassus, vt sæpe solet, nam vertit illa verba, ἧ πλέον τῶν ἄλλων χολῶν τὴν χρόαν προσγράφει, quoniam plus quam alia bilis genera colore suo inficiat, nam hoc etiam experientiæ repugnat, ad literā melius vertisset, cui magis quam alijs bilibus colorem adscribit, verum non ita se habet veritas, & uidebat repugnare sententiæ ipsius Galeni, & explicationi, sed ita uertendum ut nos dicimus nempe ἧ πλέον, qua excepta, uel preter quam, locus alius ostendit ipsius Gal. in 5. in 6. Epidem. cont. 14. vbi quia plures etiam ponit species bilis, & earum generationē attingit, & uidetur ponere discrimen inter flauam, & pallidam, quas idem esse hic dixit, uidetur totus locus recitandus de bile enim pallida locutus ait, ταύτην γὰρ ἁπλῶς ὀνομάζουσιν οὐκ ὥσπερ τὰς ἄλλας μετὰ προσθήκης ἤτοι μέλαιναν, ἢ ἰώδη καλοῦν-

τις, ἢ ἐρυθρὰν, ἢ ξανθὴν, ἢ λεκυθώδη, ἐγγυτάτω μὲν οὖν ἐστὶ, καὶ τοῦ αὐτοῦ σχεδόν τι γένους ἡ ξανθὴ χολὴ τῇ ὠχρᾷ, λέγουσιν δὲ τοῦ πίπαν ἄνευ τοῦ προσθεῖναι τὴν ὠχρὰν ἁπλῶς οὕτως τὴν χολὴν ἐμεμηκέναι τὸν ἄνθρωπον. ἐπὶ δὲ τῆς ξανθῆς σπανίως ἐστὶν εὑρεῖν ἁπλῶς τινα λέγοντα, προστιθέασιν γὰρ εὐθέως αὐτῇ τὸ τοῦ χρώματος ὄνομα ξανθὴν χολὴν ἐμεμηκέναι τὸν δέ τινα λέγοντες, ἢ ἄκρατον χολήν. ἰώδη δὲ καὶ μέλαιναν χολὴν, οὔτ᾽ ἰατρός τις, οὔτ᾽ ἰδιώτης ὀνόμαζεν ἄνευ προσθήκης, ὥσπερ οὔτ᾽ ἰσατώδη, καὶ πρασοειδῆ, καὶ λεκυθώδη, καὶ γὰρ ταῦτα χολῶν ὀνόματα εἰσὶν ὑπό τινων ἰατρῶν εἰρημένα παρωνύμως ταῖς χρόαις, ἃς ἔχουσιν, οὕτως δὲ καὶ τὴν ἐρυθρὰν χολὴν ὀνομάζουσιν αἵματος οὖσαν ὀῤῥὸν, ἡ δὲ λεκυθώδης τῆς ξανθῆς παχυνθείσης γίνεται χολῆς, καθάπερ ἡ ὠχρὰ προσλαβούσης ὑδατώδη τινα οὐσίαν. idest, Hanc enim pallidam simpliciter appellant, non quemadmodum alias cum adiunctione, vel nigram, uel æruginosam uocantes, uel rubram, uel flauam, uel uitellinam: proxima est & sub eodem fere genere flaua bilis cum pallida, dicunt autem omnino, nequaquam addendo pallidam, simpliciter sic bilem uomuisse aliquẽ hominẽ, de flaua uero perrarum est reperire aliquem simpliciter loquentem, addunt enim subito illi coloris nomen flauam bilem uomuisse aliquem dicentes, uel puram bilem, æruginosam uero, & nigram, neq; medicus quispiam neque idiota nominauit, sine adiectione, quemadmodum neque isatidem, & porraceam, & uitellinam, etenim hæc sunt bilium nomina à quibusdam medicis appellata denominatiue à coloribus, quos habent, sic & rubram bilem uocant, quæ est sanguinis serum, uitellina uero fit flaua densata, quemadmodum pallida assumpta humida quadam substantia. Ex quibus colligitur plures esse species pallidam, flauam, rubram, nigram æruginosam, uitellinam, isatidem, quę dicitur etiam glastea, porraceam, quæ sunt octo: in finitionibus medicis sex tantum recensentur elemẽtaria, uitellina, glastea, porracea, æruginosa, pallida. Auicennas meminit etiam bilis zinarię, quam nonnulli æruginosam interpretãtur, quam tamen da ri negat Valesius 1. contr. 19. quod uero bilium uariarum uomitus in peste contingat, ut omittam ueteres ostendit Philippus Ingrassias c. 13. primę partis, ubi ait *Similmente il uomito non solamente suole essere di flegma, & più di diuerse sorti di cholere verdi chiamate da i medici prassine, eruginose, vitelline, rosse, ghialle, citrine,*

Plures species bilis.

trine, & miste, & quel che è peggio spesse volte puzzolenti, & alle volte mescolate con vermi viui, & più delle volte morti. Quoniam vero vsus est hoc loco Thucydides vocabulo ἀποκαθάρσεις, idest, expurgationes, quod, & per vomitum, & per aluum inferiorem factam deiectionem significat, quod dedit multis errãdi occasionem (vt dictum est) possumus etiam illis aliqua ex parte gratificari, & non negare potuisse etiam cum vomitu per superiora purgante coniungi per inferiora deiectionẽ bilium, qui motus licet sint contrarij inter se, tamen in peste nihil prohibet fieri potuisse, cum uideamus in morbo à græcis dicto χολέρα, vulgo cholirica passione, id frequentissime euenire, imo fere semper: ex quo factum puto, ut, cum sit morbus non solum ad aluum inferiorem, sed etiam ad os vẽtriculi, & stomachum pertinens, Rhasis in 9. ad Almansorẽ primum illi locum dederit inter morbos alui inferioris, cũ fuerit ab alijs inter extremos collocatus, cuius rei indagans rationem Massarias in sua praxi dicebat factum ea de causa, quòd in syncopem ægroti incidant, & ideò vt affinem morbis thoracis primo loco collocasse, sed nostra melior ratio, ni fallor.

Duodecimũ symptoma pestis cruciatus intestinorum.

ταλαιπωρίας. Cruciatu.] Non possum hoc loco ob antedictas à me causas probare explicationem scholiastæ græci, qui interpretatur δυσεντερίας δηλονότι, idest, dysenteriæ scilicet; neque mirandũ si interdum mihi non probatur, cum enim sint collecta hæc scholia, (vt præclare etiam annotauit Henr. Steph.) ex varijs auctoribus, quædam in illis sunt præclara, quædam aliena, quæ sententiam etiam Thucydidiam tantum abest, vt illustrent, vt potius obscurent, & euertant, & ita à Thucydidis mente aberrant (vt inquit Henricus,) vt aliud plane, quam quod à Thucydide dicitur, nobis dicant, in hoc genere & numero hanc merito collocandam putamus: nam hoc loco significat, ταλαιπωρία, idem quod κακοπάθεια, i. mala passio. Suidas. n. deductum dicit vocabulũ ταλαίπωρον παρὰ τὸ τάλας καὶ τὸν πῶρον, ὅ ἐστι πάθος, quòd multis mox probat exemplis, eandem etymi rationem fere uidetur afferre etymologici magni auctor, qui deductum dicit in verbo ἀταλαίπωρος, a τλᾶν, quod est sustinere & πῶρον, quod est luctus, vel πῶρα, quod est πάθος, vbi etiam illud addit, quòd ueteres nominabant ταλαιπώρους τοὺς νεφρικούς, idest,

renum

renum dolore affectos, ex magnitudine doloris fortasse, ex quo et quis possit suspicari Thucydidem quid tale innuere, quòd scilicet in vomitu illo reluctantibus annexis partibus ingens etiam lumborum, & renum dolor accederet, nam hoc quoq; pestis symptoma medici testantur, vt Ingrassias, qui inter signa duodecimū & tertiumdecimum enumerat tensione *di fianchi detti hypochondrij, & dolor di lombi, & di reni*, vnum tantum est significare generatim dolorem ingentē, & cruciatum, nam fit præter cætera καρδιωγμός, vt dictum est, qui est ingens stomachi dolor, ex quo etiam fit labij concussio, quæ indicat (vt ait Galenus in Comm. in 1. prorrhet. cont. 30.) tunicam eam, quæ ab ore in ventrem extenditur tum morderi, tum uellicari, tum concuti, & in aph. 6. aph. 59. dicit solere in μεγάλοις ἀλγήμασι, καὶ λύπαις ἰσχυραῖς, idest, magnis doloribus, & molestijs uehementibus confluere bilem in uentriculum, & gignere uomitum, ut per ταλαιπωρίαν, huiusmodi dolores, & molestiæ intelligantur, quod supra per πόνον significauit, vel fortasse illud uoluit significare quod Hipp. uehemens esse malum dixit in prorrhe. 2. cont. 28. ἐμέσματα ἄκρητα ἀσώδεα πονηρά, idest, uomitus sinceri implacidi mali, ut per ταλαιπωρίαν, intelligat, τὴν ἄσαν, idest, inquietem illam, nam esse symptoma pestilentiæ supra etiam est demonstratū, & Philippus Ingrassias in quarto loco enumerat dicens, *ansietà, inquietudine, diciamo volgarmente vna gran basca*, & mox signo 31. enumerat, *freddezza di estremi, & gran bollore & basca dentro*, & ipse Galenus in eodem lib. Comment. 1. cont. 17. ubi meminit ἐμέτου ἀσώδεος, idest, uomitus implacidi, feri, fastidiosi, dicit esse commune symptoma phreniticorum, & febrium malignarum, ὁ δὲ ἀσώδης ἔμετος κοινὸν μὲν σύμπτωμα τοῖς τοιούτοις φρενιτικοῖς ἐστὶ πρός τινας τῶν κακοήθων πυρετῶν, ὥσπερ καὶ ἡ κλαγγώδης φωνή. γίνεται δὲ ὁ μὲν ἀσώδης ἔμετος ἐπί τε χολώδει, καὶ δακνώδει χυμῷ, idest, fastidiosus uomitus commune accidens est huiusmodi phreniticis, cū quibusdam malignis febribus, ut etiam uox clangosa; fit autem fastidiosus uomitus ex biliofo, & mordaci succo, &c. & ita uidetur etiam interpretatus Lucretius, qui dixit.

Intolerabilibusq; malis erat anxius angor
Assidue comes, & gemitu commixta querela,

Vbi Lambinus vir doctissimus ait. Videtur pluribus uerbis

expressisse, quod dixit Thucydides breuius, καὶ αὖται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης, nostram vero uersionem Porti quoque defendit auctoritas, qui & ipse vertit cruciatu, quod uero hic Thucydides pluribus uerbis, solet Hippocrates unico aduerbio in historijs ægrotorum significare, nempe ἐπιπόνως, idest laboriose. 2. Epid. in muliere decumbente ad forum mendacij, ait δίψος ἐπιπόνως, idest, sitis laboriose, & supra in chærione ægroto dixerat πέμπτῃ ἐπιπόνως, in quinta se habuit laboriose. Possumus etiam interpretari hunc cruciatum de colico dolore, nam constat primum colicum dolorem posse, & solere induci ab aere pestilenti, & esse symptoma pestis, quod uel locus declarat Pauli Aeginetæ medici inter grecos præstantissimi, qui libro 3. capitu. 43. facit mentionem colicæ affectionis pestilentis, quæ grassata est suo tempore, cum quadam etiam contagione, sic enim ego interpretor verbum μετάδοσις, quòd non animaduertit Andernacus Interpres, quod uerbũ si grece legisset doctissimus Mercurialis, & considerasset; profecto in sua praxi, ubi agit de colico, & cõcludit hunc colicũ Epidemicum nõ fuisse contagiosũ, secus sensisset, uerba Aeginetæ hæc sunt, οἶμαι δὲ καὶ τὴν νῦν ἐπικρατήσασαν κωλικὴν διάθεσιν, ἐπὶ τοιούτοις γενέσθαι χυμοῖς, ἀρξαμένου μὲν τοῦ πάθους ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν ἰταλίαν χωρίων καὶ ἐν ἄλλοις δὲ πολλοῖς τῆς τῶν ῥωμαίων πολιτείας φοιτήσαντος τόποις κατὰ λοιμικήν τινα μετάδοσιν, idest, arbitror uero & regnantẽ nunc colicam affectionem ex his genitam humoribus, cum enim inceperit affectio ab Italiæ regionibus, & in multa alia Romanæ reip. loca inuaserit cum pestilenti quadam cõtagione: nam supra demonstrauimus, τὸ μεταδοτικὸν, esse corpus, quod afficit contagione, μεταληπτικὸν, quòd suscipit, & per consequens μετάδοσις, erit ipsa communicatio pestilentis contagionis, quam rem manifestis uerbis Auicenna significat, qui libro 3. fen. 16. tr. 3. cap. 6. ita testatur, & quandoque accidunt colica, & ileos secundum semitam accidẽtis ægritudinum pestilentialium aduenientium, & perueniunt de regione ad regionem, & de homine ad hominem: & iam retulit illud quidam medicus de antiquis, ubi significat Paulũ, q̃ uerba in contextu hebræo Rabbi Moysis Aegyptij, qui extat apud Moysen Alatinũ medicũ Hebræũ, illũ ex hebræo in latinũ idioma eleganter nunc uertentẽ ita sonãt.

Colica pestilens & cõtagiosa

וגם יקרה הקולנג והאילאוס על דרך מקרה החוליים הדבריים המתדבקים שיעתק מעיר לעיר ומאדם לאדם. Latine uero ex illius uersione ita, adhæc accidit colica, & ileos secundum quod accidunt pestilentes morbi contagiosi progredientes de ciuitate in Ciuitatem, & de homine ad hominem. Et hoc auctore, Auicēna inquā, possumus tam de colico, quam de ileo interpretari, apud ueteres enim non erant ista distincta genera dolorum, sed omnia sub ilei nomine comprehendebant, ut postea etiam sub nomine colici omnes dolores intestinorum teste Galeno: Celsi enim temporibus nominari ceptus est colicus, & Plinius testatur Tiberium Imperatorem primum sensisse hunc morbum lib. 26. capit. 1. & ciuitatem legisse nomen incognitum; neque uero abest a ratione: nā symptoma colicus dolor est uomitus biliosi, & nauseæ, & è contra, ut testatur eodem loco Paulus his uerbis, σφυγμὸς ἐνοχλεῖ κατὰ τὴν γαστέρα, δίψα τε καὶ καῦμα, καὶ τούτοις ἐνοχλεῖ καὶ ναυτίαι, καὶ χολῆς μᾶλλον ἔμετοι μηδὲν ἐπικουφίζοντες, idest, pulsus molestus in regione uentriculi, sitisque, & æstus, his erant molestæ nauseæ, & bilis potius uomitiones nihil leuantes malum, & supra etiam dixerat, καὶ ἔμετοι παντοίων, & uomitus omnium humorum. sic Auicennas, & frequens fit uomitus cholericus, & phlegmaticus. Neque rationi dissentaneum est, cum maximus sit consensus ipsi stomacho cum intestinis omnibus, ut innuit etiam Auicēnas, cum omnia ex eadem tunica consistant modo crassiori, modo tenuiori, ut constat in anatome exercitatis, & hæc fortasse omnium erit explicatio melior, cum præsertim cætera signa etiam cōueniant, quæ subsecuta narrat Thucydides, nempe singultus, & spasmus, quę duo signa lætalia in colica teste Auicenna, qui ait, & quando peruenit ad singultum, quorum unus sequitur alium, & ad turbationem rationis, & spasmum; & retentionem eius quod egreditur, & non egreditur saltem cum ingenio, est mortalis. Neque debet ab hac opinione deterrere, quòd hic agit de medij uentris affectibus, nam non ut affectum thoracis sed vt symptoma proponit consequens ipsum uomitū, & ipsum etiam nomen conuenit, appellatum enim à ueteribus est tormentum, quòd scilicet omnes dolores uincat, quod idē de ileo dicendum, quod idē fere est, differunt enim solum loco, quod in tenui intestino fiat ileos, in crasso co-

licus, & ileos permutatur in colicum, & colicus transit in ileum, quod esse dicit frequens Auicennas, fit etiam ileos ex aere pestilentioso teste Auicenna, ut colicus, & est contagiosus interdum eodem teste lib. 5. fen. 16. tr. 4. capitu. 29. qui etiam tunc læthalis, cum coniunctus est cum dictis à Thucydide symptomatis, uomitu, singultu, spasmo, teste Hippo. 7. aph. 10. ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη κακόν. idest in ileo uomitus, uel singultus, uel spasmus, uel delirium malum, quem locum citat etiam Auicen. loco dicto. Quare recte de alterutro, uel de utroque intelligi hoc loco potest, & eo magis, quòd utrumque consequi solet ueneno externo infectos, ergo etiam interno laborantes consentaneum est rationi consequi, qđ uero colicus, & ileos sint symptomata pestis, & contagiosa, habemus recentiorum historias declarantes, & id Mantuæ euenisse 1560. testantur plerique: sed omissis alijs audite, quæ ad me nuper scripsit Medicus Hebræus Moyses Alatinus uir grauis, & fide dignus, cũ contextũ paulo ante memoratũ hebraicũ ad me misit Auicen.

Ileos pestilens & contagiosus.

Colicam, Iliacamq; huius generis, contagiosas passiones, quas hoc in loco refert Auicenna, memini me olim vidisse in ciuitate Mantuæ anno 1560. mensibus nimirum Augusti, & Septembris, quia publice tunc temporis eiusmodi passiones contagiosæ per vniuersam ciuitatem grassabantur, cũ fæuis symptomatibus, assiduo nempe, ac vrgente vomitu bilis porraceæ in magna copia, necnon etiam æruginosæ, lipothymia, assidua febre malignitatis non experte, & siti immensa, ac in eadem familia plurimi eo morbo oppressi inueniebantur, cumq; in vno, vel altero ægrotante vidissent lumbricũ aliquem per vomitum reiectum, inualuit per ciuitatem rumor, veneficum quendã lumbricum prope cor latitantem, huius affectionis causam esse, quare qui ad lumbricorum necem medicamentum propinabant, non lumbricos, sed miseros ægrotos statim iugulabant: iuuabantur autem nonnulli à bezoarticis, atque in vniuersum ab omni medicamento, quod qualitati, ac malignitati humoris resistendi vim habebat, pauci euadebant, quorum affectus nõ esset diuturnus, vt plurimum verò lethales: extant, arbitror, in ea ciuitate hodie, & Medici, & Aromatarij, qui harum passionum memoriam retinent, &c.

λύγξ, Singultus.] Singultum inter pestis symptomata recenset etiam Lucretius, qui dixit locum hunc Thucydidis carminibus exprimere conatus:

Tertium decimum symptoma pestis singultus inanis.

Singultusq; frequens noctem perſæpe, diemq;
Corripere assidue neruos, & membra coactans
Dissoluebat eos defessos ante fatigans.

Hippocrates etiã inter praua signa sæpe collocat, & præsertim post vomitũ, vt hoc loco euenisse dicit Thucydides; ait enim Aphor. 3. sect. 7. ἐπὶ ἐμέτῳ λύγξ, καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ κακόν, idest, à vomitu singultus, & oculi rubri malum, & Aph. 10. post ileum malum dicit: & in 1. prorrhet. contex. 23. Αἱ μετὰ λυγμὸς ἀφωνίαι κάκιστον, idest, cum singultu vocis priuationes pessimæ. & in 5. Aphor. Aphor. 3. αἵματος πολλοῦ ῥυέντος σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος κακὸν, ideſt, sanguine multo fluente spasmus, vel singultus superueniens malum. & Aph. 4. ὑπερκαθάρσει σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος κακὸν, ideſt, in superpurgatione spasmus, aut singultus superueniens malum. Quod etiam confirmat Aphor. 7. Aphor. 41. vbi ait: ἢν ὑπερκαθαιρομένων πρεσβυτέρων λύγξ ἐπιγένηται οὐκ ἀγαθόν, ideſt, si senibus superpurgatis superuenit singultus, non bonum. Idẽ eodem lib. Aphor. 17. ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ κακόν, ideſt, post inflammationem hepatis singultus malũ. Et in Coacis lib. 3. sect. Aphor. 15. ex diuisione Hollerij ἐπὶ ἀκρήτοις ἐμέτοις λυγμὸς κακὸν, κακὸν δὲ καὶ σπασμὸς, ideſt, in vomitibus sinceris singultus malum, malum quoque & conuulsio. Et in lib. 2. de fract. contex. 47. tanquam mali signi meminit febris singultuosæ, quæ superuenit his, quibus vel femoris, vel brachij os ἐξέσχεν, ideſt, excessit, inquit enim, πυρετοὶ ὀξέες, καὶ ἐπίχολοι, καὶ λυγγώδεες, καὶ ἐπιμελαίνονται, ideſt, superueniunt febres acutæ, & biliosæ, & singultuosæ, & nigrescunt, & supra contex. 35. tanquam mali signi meminerat, eiusdem febris mentionem facit in lib. de dieta acut. Commen. 4. contex. 69. vbi docet eam curare, πυρετῷ λυγγώδει ὀπὸν σιλφίου, ideſt, febri singultuosæ succus silphij. Antonius quoque Portus in libro de Peste, inter pestis signa collocauit, citato Lucretij testimonio supradicto. Quid vero sit singultus, & quòd potissimum sit oris ventriculi, vt hic innuit Thucydides, declarat Galenus multis in locis, quæ inter se sunt concilianda: nam videtur interdum à semetipso dissentire, nam in 2. de sympt.

causis, cap. 1. dicit opus esse naturalis facultatis, vt tussis, sternutatio, &c. & id planius explicans mox cap. 6. expultricis facultatis esse validos, & violentos motus dicit, τῆς ἐκκριτικῆς δυνάμεως ἰσχυρὰς, καὶ βιαίους κινήσεις, & fieri in ventriculo, & stomacho: κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ τὸν στόμαχον: vbi interpres Latinus Thomas Linacer reddit ventriculum, & gulam, ac reprehēditur in marginali annotatione à Costæo, quòd verterit Gulā, cum nunquā in gula fieri dicat singultū, quemadmodum & Aphor. 7. Aphor. 3. vult stomachum reddi, & intelligi pro ore ventriculi, in quo tamen illi assentiri non possum: nam aperte Galenus oris ventriculi facit mentionē, & stomachi, qui pro gula est ibi interpretandus, sed locus integer afferatur: οἷον τὸ πάθος τοῖς μυσὶν ὁ σπασμὸς ἐστὶν, τοιοῦτον ἐν τῷ στομάχῳ γίνεται ἡ λύγξ, ὑγροῖς ἀνιῶσι ἐπιγινομένη ποτὲ μὲν ὅλην κοιλίαν, ὡς τὰ πολλὰ δὲ τὸ στόμα, καὶ τὸν στόμαχον αὐτῆς, ἃ καὶ ἐν τοῖς ἐμέτοις ἀπορρίψασα παραχρῆμα παύεται τῆς λυγμός. i. qualis affectus est musculis conuulsio, talis fit singultus in stomacho humoribus superueniens infestantibus interdum totū ventriculum, interdum & vt plurimū os ipsius, & gulam, quos & in vomitibus reijciens repente à singultu vindicatur. Nā ibi dicit Galenus vt plurimum fieri in ore ventriculi, non in gula, vt dicit Costæus, qui melius potuisset tueri suā sententiā, si dixisset esse synonyma στόμα, & στόμαχον, quod ego quoque sentio, & ita nō dissentient, hi duo loci, nec in gula fieri singultum dicet Galenus, quod si tamē quis velit mordicus defendere vt Altimarus, dicendū per συμπάθειαν affici affinē, & coniunctā ori ventriculi gulā, cuius vicinitatis gratia etiā eodē ab antiquis medicis nomine est insignita, nempe stomachi. Eandem rem confirmat multis in locis, vt in 4. de dieta, contex. 60. supra citato, vbi de singultu ait: τὰς λύγγας εἰώθασι, καὶ λυγγοὺς ὀνομάζειν, εἰσὶ δὲ κινήσεις τινὲς τοῦ στομάχου σπασμώδεις, idest, Singultus & masculino, & fœmineo vocabulo consueuerunt nominare. Sunt vero motus quidam oris ventriculi conuulsiui: & Apho. 5. Aph. 4. supracitato ait: λυγμὸς σπασμὸς ἐστὶ στομάχου κατὰ τὸν Ἱπποκράτην, idest, Singultus est cōuulsio stomachi secundum Hippocratem. Quod multis alijs in locis repetit, neque tamen vere, & ἀκριβῶς esse conuulsionē stomachi dicendum est; sed per quandam similitudinem, quia conuulsio est passio tantum musculorum: ventriculi

An in Gula fiat singultus.

autem

autem os non est musculus, neque musculosus: de qua re seipsum corrigit Galenus, & interpretatur de sympt. causis, lib 3. cap. 2. vbi ait confirmans singultus exemplo suam sententiam: Νυνὶ δὲ τοῦτο προσθετέον, ὡς ἐπιμίγνυται τά τε νοσήματα, καὶ τὰ συμπτώματα τῆς καθεκτικῆς, καὶ ἐκκριτικῆς δυνάμεως, αὐτίκα ἡ οἷον σπασμώδης κίνησις τῆς γαστρὸς ἥπερ ἐν τῷ λύζειν συμπίπτει, σπασμὸς μὲν ἀκριβῶς οὐκ ἔστιν, ὅς γε μόνοις γίνεται τοῖς μυσὶν ἡ δὲ γαστὴρ οὔτ᾽ αὐτὴ μῦς οὔτε ὁ στόμαχος αὐτῆς, οἷον σπασμὸς δέ τις ἀμφοτέρων κοινόν τι σύμπτωμα τῶν δυνάμεων τῆς μὲν καθεκτικῆς ὅτι μοχθηρῶς τε, καὶ οὐ κατὰ φύσιν ἡ γαστὴρ λύζουσα περιστέλλεται τοῖς σιτίοις, τῆς δὲ ἐκκριτικῆς, διότι πρώτως ἐκείνης αὐτῆς ἐστὶν ἡ κίνησις, ἡ πλημμελὴς ἀποτρίψασθαι τι τῶν λυπούντων ἐφιεμένης ἐστὶ δὲ οὐχ ἡ αὐτὴ κίνησις, ὅτι μηδὲ ἡ αὐτὴ διάθεσις ἐμοῦσι, καὶ λύζουσιν, ἐν μὲν γὰρ τοῖς ἐμέτοις τὰ κατὰ τὴν εὐρυχωρίαν ἐκκρίνουσι, ἐν δὲ τῷ λύζειν κατ᾽ αὐτὸ τῆς γαστρὸς τὸ σῶμα παραπλησίας τῆς τε διαθέσεως, καὶ τῆς κινήσεως γινομένης, idest, Nunc vero illud addendū, quòd miscentur morbi, & symptomata contentricis, & expultricis facultatis, vt exempli causa motus is, qui quasi conuulsiuus est, qui solis fit musculis: ventriculus autem, neque ipse musculus est, neque os eius, tanquam verò spasmus quidam vtriusque commune quoddam symptoma facultatis, contentricis quidem, quia praue, & non secundum naturā ventriculus singultiēs complectitur cibos, expultricis vero, quia primo illius ipsius est motus deprauatus, cupientis aliquid eorum, quæ infestant, extrudere: est autem non idem motus, quia neque eadem affectio vomentibus, & singultientibus: in vomitibus enim excernuntur ea, quæ sunt in cauitate, & spatio, in singultiendo ea, quæ inhærēt ipsi corpori ventriculi, simili, & affectione, & motu existente. Idem eisdem pene verbis dicitur etiam in Aphor. 6. Aphor. 39. ex quo prima quædam verba recitabo, vbi de spasmo & singultu agit: Λυγμὸς δὲ συγχωρείσθω μὲν ὀνομάζεσθαι στομάχου πάθος, ὅταν ἕτερόν τι προσκείμενον ᾖ κατὰ λόγον. ὅταν δὲ αὐτὸ μόνον τοῦτο ὑπάρχῃ σπούδασμα, τὸ γνῶναι τὴν οὐσίαν τοῦ παθήματος ἄμεινον ἴσως ἐστὶν οὐ σπασμὸν ὀνομάζειν αὐτό, ἀλλὰ κίνησιν τινα. ἐν μὲν γὰρ τῷ αὐτῷ, γίνεται κατὰ τοὺς ἐμέτους, ἐπιτεταμένην δὲ καὶ σφοδροτέραν ἐκείνης, idest, Singultus vero, quòd stomachi affectus dicatur concedamus, cum aliud quid fuerit in oratione propositum: cum verò hoc vnum adest studium, vt intelligatur affectus essen-

tia,

tia, melius fortasse est non spasmum nominare ipsum, sed motum quendam, in eodem enim est genere, quo vomitus, sed intensior illo, ac vehementior, quòd si reperiatur alijs de causis apud auctores factus singultus, aut affectus alterius partis dicatur esse, semper intelligendũ esse per consensum, quemadmodum in inflãmatione hepatis aph. sup. citato & alibi, vbi Galenus in Commentario dicit fieri in magna inflammatione tantum, ὑφ' ἧς εἰς συμπάθειαν ὁ στόμαχος ἔρχεται, per quam venit in consensum stomachus, idque tribus de causis, primo ob cõmunionem neruorum, secundo ob bilis copiam & ardorem, quæ confluens in principium intestinorum, inde regurgitat in ventriculũ ex quo & cõmordet stomachum, & singultum excitat, tertio quod nõ tamquã suã recitat, sed aliorum opinionem, quòd inflammationis magnitudo premit ventriculum, & efficit singultum, exitum non habente spiritu. Cum vero fecerit Thucydides in hoc contextu mentionem triplicis affectus oris ventriculi, nempe nauseæ, vomitus, & singultus, uidetur quærendum, quomodo in eodem indiuiduo potuerint hæc omnia accidere, & fieri, vt innuere videtur Thucydides dicens pestilentem materiam, siue virus a capite delapsum, & præcipitatum in pectus hæc genuisse symptomata, cum videãtur inter se contraria? & vtrum eodem tempore, & simul fieri potuerint? cui dubitationi, ita arbitror posse satisfieri, vt dicamus oẽs hos motus esse quidem vitiosos, cum fiant à natura irritata, & præter illius institutum, quod fuit, vt stomachus (idẽ per stomachum, & os ventriculi, & ventriculum superiorem intelligite) cibos reciperet mox concoquendos, sed tamen interdum vsu euenire, vt abutatur natura instrumento ad euacuandum, quod sibi molestum est, ob facilitatem, & vicinitatem: est vero triplex hic motus, uel enim tentat insurgere ad expellendum, sed non potest, & ita fit nausea, vel insurgit, & expellit, & fit vomitus, vel insurgit, sed non potest expellere, & fit singultus; nihilque prohibet quin in eodem homine, eodemq; etiam tempore, & simul fieri potuerint, diuersa tamen ratione, nam fiebat nausea ex materia acri & mordaci in summis oris partibus, & tunicarum rugis penitus impacta, ad quam expellendam volebat insurgere, sed non poterat natura, vomitus uero ex materia acri quidem

& mordaci, at non ita hærente, sed in inſtertitio, & ὠρυχωρίᾳ fluctuante, quam aggrediebatur natura, & expellebat, ſingultum demum ex materia eiuſdem quidem naturæ, ſed tamen altius in corpore, & tunicis inſidente, quam aggrediebatur, ſed non poterat expellere, vt etiam ratione quodammodo loci differrent, & nauſea eſſet in ſummo ore, vomitus in ſpatio, & latitudine, ſingultus in corpore ipſo, quæ ex ſuperioribus Galeni locis maxime colliguntur. Verum emergit hic alia dubitatio, non minimi momẽti: nam ſupra dixit inter mala capitis adfuiſſe ſternutationem, ſed conſtat ſternutationem eſſe medicinam ſingultus; quod primũ Hippocrates docuit, qui aphor. 6. aphor. 13. dicit, ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγινόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν, ideſt, à ſingultu correpto ſternutationes ſuperuenientes ſoluunt ſingultũ, mox oſtendit Ariſtoteles in problem. ſect. 33. problem. primo, vbi quærit διὰ τί ὁ πταρμὸς λυγμὸν μὲν παύει, ἐρυγμὸν δὲ οὐ παύει; ideſt, propter quid ſternutatio ſingultum quidem ceſſare facit, eructationem vero non facit? quamque mouet rurſum in eadem ſect. prob. quinto & 17. vbi quærit διὰ τί τοὺς λυγμοὺς οἱ πταρμοὶ παύονται, ideſt, propter quid ſternutationes ſingultus ceſſare faciunt? ergo non debuit adueniſſe ſingultus, ſi præceſſit ſternutatio, quæ eſt remedium, eadem enim ad præcuſtodiam, & προφυλακὴν faciunt, quæ ad curationem, & τὴν ἴασιν, vt ſexcẽtis in locis docet Galenus, cui poſſumus hoc pacto reſpondere, vt hoc referamus acceptum morbi ſæuitiæ, quæ tanta erat, vt etiam quæ prodeſſe ſolent in alijs morbis ſalutaribus, nihil proficerent, quod eſt ſignum maxime pernitioſum, cum ea quæ debent, & ſolent prodeſſe, non proſunt, vel dicendum, ſternutationem illã fuiſſe ſymptomaticam, non criticam, & non vincẽtis naturę, ſed debellatæ argumentum, ſolere autem prodeſſe eam, quæ fit à natura non irritata ab humorum prauitate, ſed excitata à facultate, vel ſponte, uel medici opera, ad ſternutationem prouocandam apta adhibentis medicamenta, vel dicendum ſternutationem ſuperuenientem ſanare, non præcedẽtem, vt docet Hippocrates in memorato paulo ante aphoriſmo, hic præceſſiſſe, & ideo victam à cõtraria cauſa receſſiſſe medicinam, & malum vires adeptum permanſiſſe, vel poſtremo cum Galeno in Commentario ſupra memorati apho-

An ſternutatio ſanet ſingultũ.

rismi interpretandum aphorismum, & etiam Aristotelem, vt de solo singultu ex repletione facto intelligatur, nam τοὺς ἐπὶ κενώσει λυγμοὺς σπανίως ἐπιγενομένους οὐκ ἰῆται πταρμός, idest, singultus ex euacuatione, qui raro accidunt, non sanat sternutatio: hic vero singultus fuit ex inanitione, præcessit enim vomitus, & ideo non est sanatus à sternutatione, quoniam alibi etiam dictum singultum in superpurgatione malum, & lætale, ac insanabile, sed rursum emergit ex solutione, quam affert Aristoteles problematis, alia difficilis, & magna quæstio, nam videtur sentire Aristoteles fieri singultum in pulmone, & esse affectũ pulmonis nõ ventriculi, & eius oris, ait enim soluens quęstionem, διότι οὐ τοῦ αὐτοῦ τόπου τὸ πάθος ἑκάτερον, ἀλλὰ ὁ μὲν ἐρυγμὸς κοιλίας, ὁ δὲ λυγμὸς τοῦ περὶ τὸν πνεύμονα κατάψυξις καὶ ἀπεψία πνεύματος, καὶ ὑγροῦ. quia non eiusdem loci affectus vterque, sed eructuatio est ventriculi, sternutatio uero in pulmone refrigeratio, & incõcoctio spiritus, & humoris, cui possumus, (si nolumus negaret esse Aristotelis illa problemata, quod facit Massarias, vel singultum Aristotelis esse hunc morbosum cum Aponensi, & Mercuriali) affectum dicere proprie esse uẽtriculi, & eius oris, fieri uero interdũ (vt diximus supra ẽt de Gula) per consensum in pulmone, ut dicit Aristoteles, sed de his duabus quæstionibus legendi vobis Mercurialis: qui eruditissime disputat in sua praxi de priori, & non fieri omnino in gula probat singultũ, & Massarias, qui in p̃lectionib. Academicis breuibus agit de altera, sed ita vt neget omnino esse Aristotelis illa problemata, Mercurialis uero ipse quoque idem attingit, sed, ut dixi, tuetur Aristotilẽ, dicens loqui de alio singultu, nempe de eo, qui fit ob spiritum retentum in pulmonibus, qualis accidit etiam pueris, qui post fletum singultiunt, qui quidem non est morbosus, & facile cessat.

An singultus fiat in pulmone vt vult Aristot.

Κενή. Inanis.] Hoc loco non grammaticum, sed medicum se præstitit Thucydidis scholiastes, qui ait, ἔστι γὰρ καὶ ἡ λύγξ πλήρης, ὡς καὶ Ἱπποκράτης διδάσκει, idest, est enim & singultus plenus, ut etiam Hippocr. docet, multis uero in locis docet Hipp. duplicem singultum esse, ut aph. 6. apho. 39. ubi ait, σπασμὸς γίνεται ἀπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος, οὕτω δὲ καὶ λυγμός, idest cõuulsio fit ex plenitudine, uel inanitione, sic & singultus. Galenus uero frequentissime, ut in Comment. aphor. 6. aph. 13.

Singultus duplex.

aph. 13. ubi citat hūc à nobis dictum aph. καθάπερ αὐτὸς εἶπεν ὑπὸ πληρώσιός τε καὶ κενώσιος γίνεσθαι τὸν σπασμὸν, οὕτω καὶ τὸν λυγμὸν, idest, quemadmodum ipse dixit à plenitudine, & uacuatione fieri spasmum, sic & singultum, & ubique longe magis periculosum, imò ferè insanabilem dicit esse singultum ex inanitione, aph. 5. aphor. 4. πολὺ χείρων ἐστὶν ὁ ἐπὶ κενώσει σπασμὸς τοῦ διὰ πλήρωσιν, i. deterior est conuulsio ex inanitione ea quæ fit ob plenitudinem, nam ibi etiam intelligit de singultu, de quo coniunctim loquitur Hippo. sed clarissime in 4. Commen de dieta in acutis, cont. 69. vbi definito singultu, ut supra dictum est, mox addit, γίνεσθαι δὲ φασι δι' ἄμετρον κένωσιν, ἢ πλήρωσιν, οἱ μὲν οὖν διὰ κένωσιν γινόμενοι σχεδὸν ἀνίατοι τυγχάνουσι ὄντες, οἱ δὲ διὰ πλήρωσιν ὑπὸ τῶν τεμνόντων, καὶ ῥυπτόντων τὰ ἐμπεπλασμένα βοηθημάτων θεραπεύονται, idest, fieri uero dicunt ob nimiam inanitionē uel repletionem, qui autem ob inanitionem fiunt, fere insanabiles sunt, qui uero ex repletione ab incidentibus & abstergentibus infarcta medicamē tis curantur. idem confirmat lib. 3. de med. facile parab. ubi præterea addit tertiam causam, vnde oriatur, nempe humores acres stomachum mordentes, in octauo autem de compositione medicamentorum uidetur in dubium reuocare an fiat singultus ex inanitione, ubi citato aphorismo Hippo. superius à nobis proposito innuit in quibusdam non reperiri illa verba οὕτω δὲ καὶ ὁ λυγμὸς, sic & singultus; & nullā quidem aliam causam tertiam inueniri conuulsionis dicit, sed singultus plures, nempe ob humores acres, uel ἰχώρων φαρμακωδῶν, idest, ichores pharmacis imbutos mordentes stomachum, ubi latinus interpres habet serosos. ob cibos corruptos, & in mordacem qualitatem uersos, ob rigorem oris ventriculi, ob refrigerationem, τῇ ψύξει, vt accidit pueris, addit postremo, εἰ δὲ δι' ὑπερκένωσιν γένηται λυγμὸς ὥσπερ καὶ σπασμὸς ἄξιον σκέψεως ἐστὶν, idest, an uero ex nimia euacuatione fiat singultus, ut conuulsio, digna res consideratione, quæ cum ita se habeant, mirari satis non possum Dionysij Lambini viri alioqui eruditissimi iudicium, qui in alienam messem immissa falce locum hunc emendare voluerit in Thucydide, & pro κενὴ reponere πυκνὴ, idest, frequens, adductus auctoritate Lucretij, qui dixit, singultusq; frequēs: nam in suo Commentario cum Thucydidis locum hunc attulisset, &

Singult' plures cau sæ.

Lābinus reprehen sus de ma le emendato Thucydide.

cũ Lucretiana uersione conferret mox ita se uenditat, verũ vt ne soli Lucretio, sed etiam Thucydidi ipsi medeamur, & consulamus, legẽdum uidetur apud Thucydidem nõ κενὴ, sed πυκνὴ, idque ex verbis Lucretij, singultusq; frequens.

Quartum decimum sympto- ma pestis cõuulsio.

Σπασμὸν ἰσχυρὸν, Conuulsionem vehementem.] Merito ex singultu sequi conuulsionem dicit: declaratum enim supra est esse commune genus conuulsionem ipsius singultus, qui dicitur conuulsio oris uentriculi, ut trismus conuulsio musculorum mandibulę in comcussione dentium strabismus, & epillosis eorum, qui sunt in oculo, epilepsia totius corporis, gonorrhæa penis: declaratum est etiam fieri ex duplici causa, nempe repletione, & inanitione, quod multis in locis Galenus ostendit, in quo etiam in hoc notanda est contradictio: nam 8. de comp. med. supra citato loco dicit tertiam nullam inueniri prorsus causam præter illas duas, alibi tamen, & innumerabilibus in locis facit mentionem tertię spetiei, nempe conuulsionis ex siccitate, quam utique malam, & lætalem dicit. Meminit huius in 7. Aphor. 18. ubi dicitur ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη κακὸν, idest, in uigilijs conuulsio, uel desipientia malum. Vbi in Commentario Galenus ita disputat: ὁ μὲν γὰρ σπασμὸς ἐῤῥέθη, καὶ πρὸς αὐτοῦ τοῦ Ἱπποκράτους ὥσπερ ὑπὸ πληρώσιος, οὕτω καὶ κενώσις γίνεσθαι, κενωτικώτατόν τι δὲ καὶ ξηρατικώτατον ἐστὶν ἡ ἀγρυπνία, καὶ διὰ τοῦτο τόν τε κατὰ ξηρότητα φέρει σπασμὸν, καὶ τὴν παραφροσύνην αὐτῷ τῷ λόγῳ τῆς ἀμέτρου ξηρότητος, idest, Conuulsio quidem dicta etiam est ab ipso Hippocrate, fieri quemadmodũ à repletione, ita & ab inanitione. Inanissimum vero quid, & exsiccantissimum est vigilia, & propterea inducit spasmum ex siccitate, & desipientiã ipsius ratione immoderatæ siccitatis. Quo etiam in loco habemus contradictionis solutionẽ, quia scilicet siccitas est symptoma inanitionis, & eam consequitur, & cum ea coniuncta peiorem efficit morbum. imò idem cum illa esse videtur sentire Trallianus lib. 7. c. 15. vbi de singultu agens ait: Σπανίως δὲ καὶ ἐπὶ κενώσεως ἑπομένη αὐτῇ δηλονότι ὑπὸ ξηρότητος. Raro autẽ ex inanitione sequens ipsa videlicet à siccitate, vbi obiter notetis errorem in Latina versione, quæ habet, Non raro: quod falsum est, nam etiã Galenus, vt supra dictum, testatur raro fieri singultus ex inanitione. Solui etiam potest hoc pacto contradictio, quòd scilicet

licet causæ continentes, verę & immediatæ spasmi sunt duæ tantum, repletio, & inanitio: cæteræ omnes causæ remotiores, quod probatur exemplo chordarum, quę duabus tantum causis contrahuntur, & franguntur, nempe vel humiditate repletæ, vt tempore frigido, & humido, vel nimis exsiccatæ, vt tēpore calido, & sicco. Et ideo possunt omnes aliæ causæ ad illas duas deduci, quod etiam fit in singultu, cuius cum longe plures afferantur; docti tamen viri ad has tantum duas omnes deducunt. Probat vero esse ἀνίατον, idest, insanabilem ferè in 2. Apho. 26. vbi dicitur esse fatius superuenire febri spasmum, quàm spasmo febrem, quod etiā confirmatur Aphor. 4. Aph. 57. vbi dicit esse ὀλεθρίους, idest, perniciosos, & in 12. meth. & alibi sæpius. Dictum etiam supra est quæ sit affectio, nempe musculorum, vel potius neruosarū partium, quæ motu voluntario mouentur ad suum principium inuoluntaria, & præter naturā contractio. In quo etiā videtur oriri alia in Galeno contradictio: nam lib. 3. cap. 2. quod supra recitauimus, negat proprie dici singultum conuulsionem, quia scilicet non fit stomachus, siue os ventriculi musculus, cum solum musculorum sit morbus cōuulsio: vbique vero dicit, & prædicat esse morbum præcipuum neruorum, cuius contradictionis solutionem esse facilem reor si dicamus esse neruosarum partium, quæ sunt in musculis. Fiebat vero hęc conuulsio vel à nimia exsiccatione propter æstum, & cauma febris, siccato inęqualiter neruoso genere; vel à reliquijs non proportionatæ (vt medici vocant) materiæ, nempe ob bilem os ventriculi mordentem, quæ non copia solum, cum iam esset per vomitus euacuata, sed acrimonia, & vitio, tum proprio, tum ex venenata contagiosi seminarij qualitate accepta exagitabat, & mouebat affectum: & quamuis pauca admodū erat, tamen veneno tanto erat imbuta, atque praua qualitate, quippe quæ superfuerat ex illis vomitibus, & stomachi turbationibus, tunicis scilicet illius penitus impacta, atque defixa, vt vehementissime turbaret, atque concuteret, vel fiebat ex immoderata euacuatione deficiente humida substantia, & neruis perfrigeratis, quod videtur consentaneū dictis Thucydidis, cum præcessisset euacuatio vomitus, & singultus subsequutus esset inanis. Fieri etiam alia ratione potest conuulsio, vt supra dictum est, nem

Quib. causis fiat cōuulsio.

pe

pe in repletione, suppressa materia morbifica, quę vel copia, & crassitie neruos imbecillos distēdit, vel acrimonia, & qualitate, vel manifesta, uel occulta eosdem uellicat, quod hoc tempore nō factū puto in his ægrotis. Fit etiam κατὰ συμπάθειαν, idest, consensum aliarū partium male affectarum, ut ex uteri morbis in hystericis, ut ventriculo uellicato acrimonia uehementis pharmaci, ut in vulneribus, vlceribus, fracturis, luxationibus, & similibus; in quibus tamen minus periculosæ: sed de his speciebus non intelligit Thucydides.

μετὰ ταῦτα, Statim, vel protinus.] Et extemplo, aut continenter: Græcus Scholiastes αὐτίκα.

λωφήσαντα, Quiescentem.] Duo hic sese produnt non contemnendę difficultates, quibus videtur parum principijs medicæ artis conuenire, & pugnantia dicere Thucydides: nam si erat ἰσχυρὸς σπασμὸς, idest, vehemens conuulsio, quomodo statim cessabat, & è contra, si statim cessabat, quomodo vehemens, & fortis? cui possumus hoc responso occurrere, quòd erat quidem fortis quoad effectum, quia maxime distēdebat, & afficiebat partes neruosas: sed quia erat adhuc, ἐν τῷ γίνεσθαι, in fieri (vt vocant Medici) ideo statim cessabat his, qui naturæ robore erant præditi; alius enim est morbus, & spasmus in fieri: alius ἐν τῷ γεγονέναι, idest, facto esse, qui est confirmatus ex ipso morbo. Altera difficultas ex eo oritur, ꝙ Hippocrates de locis in homnie, & in Coacis testatur spasmum in febre superuenientem, & cessantem eadem die bonum esse, & finire febrim. Σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος, καὶ παυόμενος αὐθήμερον ἀγαθόν. σπασμὸς ἐν πυρετῷ γινόμενος παύει τὸν πυρετὸν αὐθήμερον, ἢ τῇ ὑστεραίῃ, ἢ τῇ τρίτῃ. Hic verò dicitur obijsse nono, aut septimo die. cui sic respondendum locutum Hipp. de alijs febrium generibus, non de pestilenti, vel etiam id consuetudini ascribendū pestis, in qua omnia signa etiam bona in alijs morbis, lætalia. Sic de hoc habemus exemplum in Epidemicis in Philini vxore, quæ octauo, & nono conuulsione laborauit, vigesima obijt. Sic in Erasino frequentes conuulsiones, σπασμοὶ πολλοί, lætales quinto obijt. Sic in Dromeadis vxore, in qua σπασμοὶ ἀπὸ κεφαλῆς ἤρξαντο, idest, cōuulsiones à capite inchoarūt. & sexto interijt. Sic in tertio phreniticus, qui quarto obijt, spasmo correptus, licet hic nō meminerit cessationis Hippocratis.

λωφή-

λωφήσαντα, Quiescentem.] Hoc vocabulo in pestis descriptione vsus est Dionysius Halycarnassæus lib. 10. ἦντε οὐχ ἐλάχιστον τῶν κακῶν τῇ πόλει, καὶ τοῦ μὴ ταχέως λωφῆσαι τὴν νόσον αἴτιον, idest, Non minimum malorum ciuitati fuit & causa, ne cessaret morbus. Mox, ἡ δὲ νόσος εἰς τέλος ἐλώφησε, idest, Morbus tandem cessauit.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα οὐκ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρόν, ἀλλ' ὑπέρυθρον πελιδνόν, φλυκταίναις μικραῖς, καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός, τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο ὥστε, καὶ μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων, καὶ σινδόνων ἐπιβολάς, μήτ' ἄλλό τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν, καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων ἀνθρώπων, καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι, καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό τε πλέον, καὶ ἔλασσον ποτόν:~

THVCYDIDES.

ET corpus quidem exterius attingenti non admodum calidum erat, neque pallidum, ſed ſubrubrum, liuidum, puſtulis exiguis, & vlcuſculis efflorescens. Interiora vero ita flagrabant, vt neque tenuiſſimorum veſtimentorum, aut linteorum iniectiones ſuſtinerent, neque aliud quidpiam præter nuditatem: iucundiſſime vero in aquam gelidam ſeipſos abijcerent, & multi hoc etiam fecerũt ex his hominibus, qui neglecti, & ſine cuſtodia iacebant in puteos ſe demittentes, inexhauſta ſiti perpetuo laborantes, & in pari periculo verſabatur nimius, & parcus potus.

FABII

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

DELABENTIS in pectus, siue thoracē morbi vim, & impressionem, ac furias aggressus est explicare, qui sex primum mala, & symptomata præcipitans inuexit, tussim scilicet, stomachi subuersionem, ac nauseam, uomitum biliosum, cum ingenti simul cruciatu, atque tormēto: postremo singultum, & spasmū, qui omnes ferè affectus in ipso, ubi primū hæserat, ore uentriculi, & stomacho euenerunt, nunc illius adhuc latentiores progressus in abditas thoracis, ac principes partes persequit, & exponit, nempe febrim maxime malignā, ac pestilentem, quæ cordis corpus, & contenta depascens miram edebat stragē, omniaq; signa, atque symptomata illius declarat (dissimulato tamen & silentio præterito febris nomine, ne se ut medicum uenditaret Historicus) primum externa, deinde interiora, ac penitiora: externa fuere calor exiguus, color liuidus, exanthematum eruptio, & ulcuscula: interiora æstus, & incendium ingens, ac inflammatio: quæ tum internis, tum externis quoque signis sese prodebat, intus ex perustis uisceribus sitim excitans insedabilem, cuius extinguendæ desiderio nihil relinquebant intentatum, adeo ut etiam in frigidam fontium sese proijcerent, & aquarum cupiditate in puteos quoque, nulla habita salutis ratione, sese dimitterent, ac præcipitarent: exterius uero nullis ferendis, aut sustinēdis integumētis, ac omni caloris refrigerio perquirēdo.

Quintum decimum sympto- ma pestis febricula cũ exiguo foris calo re.

οὐκ ἄγαν θερμόν. Non admodum calidum.] Signum à febris natura, & essentia propria deprom ptum, quæ non habet suam substantiam in motu arteriarum, vt plerique multi putabant Erasistratum, & Chrysippum secuti, sed in caloris qualitate, vt ostendit Galenus in Commentario in 1. Epidemic. contex. 28. quæ eiusmodi fuit in illa peste, ut maxime lateret exterius attingentes, huius signi meminit Lucretius, qui ita describit.

Nec nimio cuiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam feruiscere partem,
Sed potius, tepidum manibus proponere tactum.

De hoc porrò febris genere interius exurente, & foris calorem non prodente mentionem facit manifestam Galenus loco ante citato nempe contextu 28. 1. Commen. in. 1. Epid. vbi ex tactu differentias febrium persequitur Hippocrates, quas dicit depromptas, κατὰ τὴν οἰκείαν τῶν πυρετῶν οὐσίαν, idest, secundum propriam febrium essentiam, quam non solum ex Hippocratica doctrina, sed omnium fere hominum consensu dicit esse, τὴν παρὰ φύσιν θερμασίαν, idest, præternaturalem caliditatem, quæ vel ex æquo vniuersum corpus occupauerit, vel solum præcipua viscera, τὰ κυριώτατα, cuius rei rationem mox reddens, ait, καὶ πολλάκις γε τὸ μὲν ἅπαν δέρμα θερμασίαν οὐδεμίαν σαφῆ ἔχειν φαίνεται παρὰ φύσιν, οὔθ' ἡμῖν τοῖς ἔξωθεν ἁπτομένοις, οὔτε τοῖς κάμνουσι, αἰσθάνονται δὲ αὐτῆς οἱ νοσοῦντες ἐν τῷ βάθει, καὶ φασι διακαίεσθαι τὰ σπλάγχνα καὶ πρὸς τούτῳ γε ἔνιοι, καὶ ἀσώδεις εἰσίν, καὶ διψώδεις, καὶ ἄγρυπνοι, idest, & sæpius quidem tota cutis nullam caliditatem euidentem videtur habere præter naturam, neque nobis exterius attingentibus, neque ipsis ægrotis, sentiunt tamen ipsam ægri in profundo, & autumant sibi vri viscera, & præterea quidam etiam fastidium patiuntur, siticulosi sunt, & peruigiles. Hippocra. etiam in 3. Epid. 3. cont. 34. dicit in morbo pestilenti illo, febrium ardentium, quæ vigebāt, eam fuisse naturam, ut non essent acutæ, πυρετὸς οὐκ ὀξύς, quo in loco dicit Galenus, cum varie legatur, etiam sine negatiua particula suspicatur scriptum fuisse ab initio, πυρετὸς οὐ λίην ὀξύς, idest, febris non admodum acuta, sed librariorum mox vitio lectionem corruptam, nā videtur parum consentaneum imò pugnās sibi inuicem, dicere esse ardentem febrem, & non esse acu-

tam,

tam, sic etiam in 9. de simpl. med. facult. cap. de terra samia, sub finem, vbi dicit datam in potu bolum armenã profuisse pestilentia correptis vino albo diluto propinatam, si febris esset exigua, vt esse solet in pestilentia, ait οὐ μὴν οὐδὲ σφοδροὶ κατὰ τὴν θερμασίαν εἰσὶν οἱ λοιμώδεις πυρετοί, idest, neque enim vehementes in calore sunt pestilentes febres: illam vero pestem, quam ibi describit maxime similẽ fuisse dicit Thucydidiæ: inquit enim, μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ, idest, in magna hac pestilentia, quæ similis forma fuit illi, quæ tempore Thucydidis euenit: neque tamen propterea dicendum pugnare Galeni dictum cum Paulo, Oribasio, Aetio, & alijs, qui dixerũt in peste omnia esse horrendissima, & sæuissima, πάντα τὰ δεινότατα, nam ista caloris lenitas, non paruitatem febris, sed maiorẽ arguit malignitatem, eodem teste Galeno, qui de Crisibus 3. cap. 4. ait, βληχροὶ γοῦν ἐνίοτε καὶ μικροὶ πυρετοὶ κακοήθεις εἰσὶν σφόδρα, idest, imbecilles igitur interdum, & paruæ febres malignæ sunt valde: causa vero ea est in peste præsertim, quia putrefactio est profunda, & sordida, in qua minime percipitur latens in imo acrimonia, & vapores elati obtunduntur à multo humido, ne percipiantur: quare Galenus loco ante citato Epid. 6. com. 1. cont. 28. de febre pestilenti dicit habere σηπεδονῶδες θερμόν, idest, putredinosum calorem, quod etiã paulo post apertius dicit, citato etiam loco hoc Thucydidis, quem sæpius in eo Commentario adducit, & rationem huius facti, & symptomatis etiam reddit, προστεθέντος δὲ κατὰ λέξιν τὸ πεμφιγῶδες τοῦ δεινοί, ὁ λοιμώδης μόνος ἐστὶ δηλούμενος, οὗ τὸ πρὸς ἄλλους διαφέρον ἐστὶ τὸ σηπεδονῶδες εἶναι τὸ θερμὸν οἷόνπερ καὶ τῷ νῦν γινομένῳ πολυχρονιωτάτῳ λοιμῷ, διὰ τοῦτο οὖν οὐδὲ θερμοί, καὶ διακαεῖς ἐμφαίνοντο τοῖς ἁπτομένοις οἱ λοιμώττοντες, καίτοι γε ἔνδον ἰσχυρῶς διακαιόμενοι, καθάπερ καὶ ὁ Θουκυδίδης ἔφη, καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν, &c. idest, cum vero additum fuerit dictioni pemphigodes, vox terribiles, sola pestilẽs febris significat, cuius ab alijs calor differt, quòd sit putredinosus, ut in ea, quę nunc grassata est pestilentia quamlongissima accidit, propterea; neque calidi, neque perincensi uidebantur tangentibus pestilentia correpti, quamuis interiora vehementer perurerẽtur, vt ẽt Thucydides inquit, & exterius, &c. Petrus Parisus hoc quoq; signum pestis agnoscit, & citat locũ hunc

Thucydidis, & Laurentius Ioubertus de peste cap.8. ita inquit, omni pestilentis febris speciei commune, & fere præcipuum est calorem non valde acrem sentiri exterius, cum interiora vrantur, uel teste Galeno, idque seruata cum cæteris febribus analogia, mox addit ex ea nota argui pestilētes omnes de lipyrijs esse, non secus ac quæcumque ex interna inflāmatione plurimum dolorifica proueniunt, & Hollerius in libello de peste inter signa pestilentiæ proponit febriculam: febricula (inquit) ferè leuis est, vt stent, nec decumbant ægri, Auicennas, etiam hoc annotauit, qui dixit hanc febrem esse quietam exterius conturbantem interius, sed in fine capitis declarat apertius, his verbis. Et quandoque est de his febribus pestilentialibus, in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus, aliqua magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens velociter, & hęsitant Medici in esse eius: idem confirmat Rasis cont. 30. tr. 13. c. 1. & Auenzoar lib. 3. tr. 3. cap. 1. recitans Hippoc. testim. de peste, quę eadem fuit cum hac Thucydidia, ita ait enim de febribus, & dixit in illo libro, quòd febres, quæ tunc temporis ueniebant, non erant fortes, neque uiolentę, sed erant lentæ, & quietæ in tantum, quòd quasi occultæ esse reperiebantur, & mox ex sua sententia inferius, ait, ex his autem quæ pluries, & pro maiori parte uidi accidere in Epidemia, sunt febres putridæ, quæ lentæ in tantum esse videntur, quòd uix percipiuntur nisi à medico, & moriuntur subito cum eis, & Marsilius Ficinus in libello de peste capit. 4. apparebit modica febris eo, quòd non erit calido in humore uenenum, neque propterea non diffundit ad extra, sic statim morietur patiens, & quæ sequuntur multa. Rasis in tract. 10. ad Almansorem cap. 16. febribus, quę ex aeris corruptione generantur, non uidetur in principio multa inesse acuitas, neque caliditas, cum tangitur æger, sunt tamen in occultis corporis partibus, & in ipsius profundo magni nocumenti, & sunt deceptoriæ, & vehementis operationis, & sunt febres lentę, & tepidæ, sed conclusæ. Costæus in suis annotationibus in Auic. locum explicans Auic. supra citatum dicit intelligi eo in loco de hectica pestilenti, nempe (dicens) sicuti in hecticis, quę pestilentes non sunt, calor neque à medico ferè, neque ab ægroto persentitur, æqualis enim ea in-

tempe-

temperies est ita in pestilentibus euenire uerisimile est, & idipsum testatur Galenus 3. de presf. ex pulsibus & 9. de simp. medicamentorum facult.

Θερμόν. Calidum.] Nullus est alius locus in Thucydide, ex quo argui possit pestem illam fuisse cum febre nisi hic unus: nam in superioribus etiam demonstratum est esse posse sine febre pestilentiam, & multas huiusmodi extitisse copertum est. Hic uero quærendum uidetur de natura, & essentia pestilentis febris, & quomodo differat ab alijs, & quot sint illius species, siue differentiæ, magnæ enim hic se se nobis offerunt difficultates, nam primum inter omnes qui de peste aliquid literis mandarunt, uidetur constare dari tres illas cōmunes speties nempe diariam, putridam, siue humorosam, & hecticā. cōtra tamen multi pugnant, & non dari alij ephemeram, ut Concil. diff. 94. Valesius lib. 5. controu. medi. capi. 21. Eustachius Rudius de feb. cap. 30. alij non dari hecticam contendunt, nix præsertim auctoritate Galeni, qui de differētijs feb. 4. inter putridas uidetur collocare pestilentem febrē, & originem ducere autumat ab humorum putredine insigni: quare nonnulli ut effugiant hunc scopulum asserunt, cum Galeno omnem febrem pestilētem esse putridam, sed illius tamē tres esse species diariam, hecticam, & humoralē, duasque priores ita appellatas, ob quandam cum illis similitudinem, & affinitatem, diariam, quòd vigintiquatuor horarum spatio, aut paulo plus interimat, & spiritus etiam cum humoribus occupet, eosq; habeat pro subiecto, ut uera ephemera, non tamen circa calefactos tantum, ut illa uersari, sed circa putridos, & corruptos: hecticā, quòd fixa sit in cordis substātia, & solida cordis vna cum humorib. sint primo infecta. Differt uero à cæteris putridis: primum gradū insigni putredinis, nā in pestilentibus putredo nōn est vulgaris, aut consueta, sed larga, profunda, sordida, conclusa, ad minima elaborata, & lenta, à qua seminaria contagionis tamq̃ à proprio fonte defluunt. Secundo differt etiam loci dignitate, qā cordis contenta, nempe uel spiritus, uel humores in finibus cordis sitos, uel uisceris ipsū corpus, & solida, uel quod circundat ipsum de humiditate occupat, differt etiam sæuitia symptomatum, quia in peste, ut dicebat Aetius omnia horrendissima: differt præterea: quia putridę aliæ semper oriun-

Differentiæ febris pestilentis ab alijs febribus putridis.

tur ex causa interna videlicet plenitudine, cacochymia, obstructione, prohibita transpiratione; pestilens vero, vt plurimum extrinsecus à seminarijs contagij oritur. differt etiam, quòd in alijs putridis soli quatuor humores putrescunt, in his simul, & spiritus, & solidæ et partes; differt etiam, quòd sola pestilēs est cum contagio, aliæ nequaquā: nisi qui forte dicat malignam febrem cum peticulis Hispanice dictis Tabardilo, esse contagiosam; differt etiam, quòd humores, qui putrescunt in febribus cæteris terminantur in cinerem ex Galeno 3. de præsag. ex puls. cap. 7. & 11. meth. cap. 9. in febre pestilenti dum putrescunt corrumpuntur, & terminantur ad venenum, differt etiam quia (vt nonnulli testantur) in alijs febribus continetur sola putredo, in pestilenti præter putredinem adest etiam corruptio substantiæ.

Καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα. Et corpus quidem exterius attingenti.] Legitur etiam Henrico Stephano teste in quibusdam, ἁπτόμενον, quæ lectio non negligenda, ut sit passiuum, dum tangeretur, quod vero velit ille mutari, τὸ μὲν, in τῷ μὲν: vt nempe articulus referatur ad tangentem, siue medicum, siue alium, subintelligendum enim ἰατρῷ, vel alteri, non probo: nam refertur ad ἔξωθεν, vt scilicet, sit τὸ σῶμα τὸ ἔξωθεν, idest, corporis exterior pars, vt scilicet, opponatur inferius dicendis, τὰ δ᾽ ἐντός, interiora vero corporis.

Sextūdecimum symptoma pestis corp⁹ humidū.

πελιδνόν, Liuidum.] Præclare Scholiastes, πελιδνόν ἐστι τὸ μετέχον ὠχρότητος, καὶ μελανίας οἱονεὶ μολυβδοειδές, idest, Liuidū est particeps palloris, & nigredinis, quasi plumbeiforme. Hippocrates enim ipse quoque videtur hanc explicationem probasse, cum in prognosticorum 1. contex. 8. utrumque coniunxit πελιόν, ἢ μολυβδῶδες, idest, liuidum, uel plumbeum. Neque uero quisquam mirari debet, remerèue factū existimare, quòd à caloris ui ad coloris spetiem transit, nam in hoc uidetur Hipp. imitatus, qui in 1. Commen. in 6. Epid. contex. 29. differentias febrium persequens à calore desumptas, mox statim subdit ex colore nuncupatas. Et tres potissimum febrium differentias proponit coloratas, easdem, quas his ponit Thucydides. οἱ δὲ ἐξέρυθροι, οἱ δὲ ἔξωχροι, οἱ δὲ πελιοί, idest, aliæ ualde rubræ, aliæ ualde pallidæ, aliæ liuidæ. Thucydides uerò ponit χλωρόν, ὑπέρυθρον, πελιδνόν, quę sunt eadem. Nam licet χλωρόν uiride, ut herbas, significet, per metaphorā

tamen

tamen ab herbis arescentibus desumptam pro pallido usurpatur, & idem est, quod ὠχρὸν: nam ubi Hipp. in prognost. contex. supra citato inquit: καὶ τὸ μὲν χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου χλωρόντε, ἢ καὶ μέλαν ἐόν, idest, color uniuersę faciei uiride, & nigrum. ibi Galenus in Comment. exponens, ait: εἰώθασι δὲ οὕτως ὀνομάζειν οἱ παλαιοὶ ποτὲ μὲν τὸ ὠχρὸν, idest, consueuerunt quidem ita nominare antiqui interdum pallidũ. Quod alibi sępius repetit vt lib. 2. c. 6. & Corn. Celsus uertens ad uerbum illum contextum de facie Hippocratica reddit, color aut niger, aut perpallidus. Docet uero ibi Galenus, quę sint ualde pallidæ febres ἔξωχροι, nempe in quibus flaua & pallida bilis exuperat, quæ ad marasmum inducunt, nisi prius cum rigore, & sudore iudicentur; ualde uero rubras ἐξερύθρους dicit habere materiam, sanguinem, & calorem uehementissimum, ac esse ex genere synocharum, & ideo phlebotomia curari: de liuida uerò febre ita ad uerbum scribit: οἱ δὲ πελιοὶ τῶν πυρετῶν ἀπὸ τῆς χρόας καὶ οὗτοι δηλονότι τὴν ἐπωνυμίαν εἰληφότες, ἐλλείπειν σημαίνουσι τὸν αἱματικὸν χυμὸν, καὶ δηλονότι σὺν αὐτῷ καὶ τὸ ἔμφυτον θερμὸν, καὶ διὰ τοῦτο εἰσὶν ὀλέθριοι, idest, Liuidæ uero febres à calore, & ipsæ profectò nuncupatione accepta deficere significant sanguineum succũ, & nimirum ipsum etiam calidum innatũ, & propterea sunt pernitiosę, multaq; addit ibi de febre liuida, citato Euriphontis testimonio, & alijs. Meminit etiam morbi liuidi, cuius fecit mentionem Thessalus Hippocratis filius in libro de morbis, secundum Dioscoridem. Cuius etiam uerba quamplurima recitat, quibus morbi liuidi quãplurima persequitũ, & grauissima symptomata, ut sunt febris sicca, horror, capitis dolor, uiscerum dolor, uomitus biliosus, uisus grauitas, uẽtris siccitas, color liuidus corporis, labiorum, & albi oculorum suffocatio, & similia. Reijcit etiam ibi quorundam explicationem, qui febrem liuidam interpretabãtur, in qua excrementa erant liuida, & eam quasi ridiculam exagitat.

Morbus seu febris liuida quę

ἐξανθηκός, Efflorescens] Metaphorico, sed tamen medico vocabulo rem declarauit: consueuerũt enim medici pręsertim Græci hunc papularum prouentum appellare generali vocabulo per metaphoram ἐξανθήματα, quasi dicas efflorescentias, & germinationes, sic menti vlcera, & asperitates sponte venientes appellat Gal. li. 5. de comp. pharm. c. 6. Hoc

Septimũ decimum symptoma pestis exanthematũ eruptio.

uero

vero genus esse symptoma pestilentis febris declarat etiam Hippocrates 1. Epid. Commen. 2. cont. 38. ἐξανθήματα μικρὰ, καὶ οὐκ ἀξίως τῆς ἐκκρίσεως τῶν νοσημάτων, καὶ ταχὺ πάλιν ἀφανιζόμενα, ἢ παρὰ τὰ ὦτα οἰδήματα μελαινόμενα, καὶ οὐδὲν ἀποσημαίνοντα, idest, papulæ exiguæ, & non aptæ excernendis morbis, & subito rursus euanescentes, vel secundum aures tumores nigricantes, & nihil indicantes. Vbi Galenus causam ita reddit, vt cruditatẽ accuset. Κεφάλαιον ἁπάντων τῶν γενομένων παθημάτων ἡ τῶν χυμῶν ἦν ἀπεψία: εἰ δὲ καὶ βιασαμένη τινὰς αὐτῶν ἡ φύσις ἐκκρίνειν ἐπεχείρησεν, οὐδὲν ἤνυσεν, ἀλλ' ἡττηθεῖσα πρὸς αὐτῶν, ἢ ἐπέτρεψεν αὐτίκα παλινδρομῆσαι πρὸς τὸ βάθος, ἢ δι' ὀλιγότητα τῶν γενομένων ἐκκρίσεων εἰς ἀπόστασιν ὥρμησεν, idest, Caput omniũ quę inciderunt malorum fuit humorũ inconcoctio, si vero coacta natura ex eis aliquos aggressa est excernere nihil profecit, sed ab ipsis euicta, aut permisit subito recurrere ad ima, vel propter paucitatem factarum excretionum abscessum molita est. Hippocrates in 3. Epid. 3. vbi hanc Thucydidiam pestem describit, atque persequitur, contex. 22. ait: πολλοῖσι μὲν τὸ ἐρυσίπελας μετὰ προφάσιος ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι, καὶ πάνυ ἐπὶ μικροῖς τρωματίοισιν ἐφ' ὅλῳ τῷ σώματι, μάλιστα δὲ τοῖς περὶ ἑξήκοντα ἔτεα περὶ κεφαλὴν, idest, multis quidem erysipelas cum occasione, ex quibusuis, & plane exiguis vlnusculis in toto corpore accidebat: præcipue uero sexagenarijs in capite, ubi multa Galenus asserens ex copia factum flauæ bilis collectæ in corporibus ob nimium calorem prȩter naturam. Grassatum verò mox dicit contex. 27. huiusmodi papularum prouentum cum magna pernitie, περὶ τὴν ἥβην καὶ τὰ αἰδοῖα, idest circa pubem, & pudenda, & contex. 51. & 52. ἐκθύματά τε μεγάλα ἕρπητες πολλοῖς μεγάλοι, idest, papulæ magnæ, & herpetes multis magni. Vbi Galenus in Comment. & nominis rationem, docet, & rei causam. πρόδηλον μὲν ὅτι παρὰ τὸ ἐκθύειν ὅπερ ἐστὶν ἐξορμᾶν ἡ προσηγορία τοῖς ἐκθύμασι γέγονεν ἐπὶ τῶν αὐτομάτως ἐξανθούντων κατὰ τὸ δέρμα. γένεσις δὲ αὐτοῖς ἐκ τῶν περιττῶν δηλονότι χυμῶν, ἀλλὰ καὶ τῇ ποιότητι προσηκόντως ἕπεται τῶν μὲν χυμῶν λεπτῶν ἑλκώδεις ἐργαζομένων μᾶλλον ἢ ὄγκους, τῶν δὲ παχέων εἰς ὄγκον ἐξαιρόντων τὸ δέρμα, idest, Exploratum quidem, quòd ab ecthyin, quod est erumpere deriuatum est ecthymata, idest, papulæ in his, quæ sponte efflorescunt in cute. Generatio uero ipsis est ex superuacaneis nimirum succis,

uerum & qualitatem etiam conſentaneo, & merito conſequuntur, cum humores tenues ulcerationes potius efficiãt, quàm tumores: craſſi uerò in tumorem cutim attollant. In libro autem de atra bile, cap. 4. videtur harum papularum prouentum referre acceptũ melancholico ſucco: dicit em̃ in illa longa peſtilẽtia, quæ longa illa perdurauit æſtate, multis accidiſſe, qui ſeruati ſunt, quòd διὰ τῆς κάτω γαστρὸς ἐγίγνετο ἔκκρισις τῶν καλουμένων μελάνων, nempe per inferiorem uentrem fieret excretio excrementorum uocatorum nigrorũ, die uel nona, uel ſeptima, uel undecima, mox addit, ὅσοις δὲ τῶν νοσούντων ἡ διὰ τῆς κάτω γαστρὸς ἔκκρισις οὐκ ἐγένετο τοιαύτη, τὸ σῶμα πᾶν περιεξήνθησε μέλασιν ἐξανθήμασιν ὁμοίοις, ἐνίοτε δὲ καὶ οἷον λεπὶς ἀπέπιπτε ξηραινομένων, καὶ διαφορουμένων αὐτῶν, κατὰ βραχὺ δὲ ἐπὶ πλείοσιν ἡμέραις μετὰ τὴν κρίσιν, ideſt, Quibuſcumque uerò ægrotantibus per inferiorem uentrem excretio non contigit huiuſmodi, uniuerſum corpus effloruit nigris quibuſdam quaſi papulis. Interdum uero & quaſi ſquamma decidebat exiccatis, & euaneſcentibus ipſis. Sed paulatim tamen & pluribus diebus poſt iudicationem. In 5. methodi, cap. 12. meminit cuiuſdam adoleſcentis, qui nona die puſtulis totum corpus effloruit, & ſanatus eſt in illa magna peſtilentia graſſante, dum ipſe ſcriberet: ἐνναταῖος ἐξήνθησεν ἕλκεσιν ὅλον τὸ σῶμα καθάπερ, καὶ οἱ ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες οἱ σωθέντες, ideſt, nona die effloruit ulceribus per uniuerſum corpus, uelut & alij ferè omnes, qui ſanati ſunt. Et mox ſub finem capitis recitans hiſtoriam alterius adoleſcentis ſanati, ut ſupra in uniuerſum ita pronunciat de illis, qui in peſte illa euadebant puſtularum beneficio nona die per totum corpus erumpentium: οἱ δὲ ἐκ τοῦ λοιμοῦ ῥαδίως ὑγιάζεσθαί μοι δοκοῦσι τῷ προεξηράνθαι τε καὶ προεκκαθάρθαι σύμπαν τὸ σῶμα, καὶ γὰρ ἔμετος τισὶν αὐτῶν ἐγένετο, καὶ ἡ γαστὴρ ἅπασιν ἐταράχθη, καὶ οὕτως ἤδη κεκενωμένης τοῖς σώζεσθαι μέλλουσιν, ἐξανθήματα μέλανα διαπαντὸς τοῦ σώματος ἀθρόως ἐπιφαίνετο, τοῖς πλείστοις μὲν ἑλκώδη, πᾶσι δὲ ξηρά. καὶ ἦν ἔνδηλον εἰδόντι τοῦ σεσηπότος ἐν τοῖς πυρετοῖς αἵματος εἶναι τοῦτο λείψανον, οἷον τέφραν τινὰ τῆς φύσεως ὠθούσης ἐπὶ τὸ δέρμα καθάπερ ἄλλα πολλὰ τῶν περιττῶν, ideſt, Hi uero ex peſte conualuiſse mihi uidentur eo quòd ante fuerit præexiccatum, & prępurgatum vniuerſum corpus, etenim vomitus nonnullis ipſorum adfuerat, & aluus omnibus eſt turbata,

& sic iam euacuata, his qui seruandi erant exanthemata nigra per vniuersum corpus affatim apparebant, multis quidē vlcerosa: omnibus autem sicca, & erat perspectum aspicienti putrefacti in febribus sanguinis esse hoc reliquias, quasi cinerem quendam propellente ad cutim natura, quemadmodum alia multa superuacanea: cuius quidem loci auctoritati maxime nixus Manardus lib. 7 epist. medic. epist. 2. venit in eam sententiam, vt putaret sub hoc vocabulo exanthematū à Galeno, & antiquis Græcorum medicis intellectas, atque comprehensas variolas, ac morbillos, quē secutus Fuchsius, & in compendio, & de med. morbis, mordicus tuetur exanthemata esse eadem apud Græcos, quæ Variolæ, & morbilli apud Barbaram (vt ipse inquit) sectantes medicinam, contra quos disputat Montisianus quæst. 22. & alij complures. in Epid. 5. Comment. 1. contex. 29. dicit appellari febrim πεμφιγώδεα, hanc, quæ cum exanthematis, & papulis accidit, vtiturq; eisdem, quibus hic Thucydides, vocabulis, & totum recitat locum, ἐπεὶ δὲ ἡ μετὰ φλυκταινῶν ἀπὸ συμπτώματος ὀνομάζονται, πιθανῶς ἂν ἀκούωμεν, ἀπὸ συμβεβηκότος οὕτως αὐτὸν ὀνομάζειν, τοὺς λοιμώδεις πυρετούς, ἔστι γὰρ ἀμέλει, καὶ τοῦτο ἕν τι πυρετῶν εἶδος ὅτι δ' ἐν αὐτῷ φλυκταῖναι γίνονται, καὶ ὁ Θουκυδίδης μαρτυρεῖ γράφων οὕτως καὶ τὸ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα οὔτε ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρόν, ἀλλ' ὑπέρυθρον, πελιδνόν, φλυκταίναις μικραῖς, καὶ ἕλκεσι ἐξηνθηκός, idest, quoniam vero febres cum papulis à symptomate denominantur, non sine ratione intelligemus ab accidenti ita ipsum appellare pestilentes febres: est enim profecto, & hoc vnum quoddam febriū genus, quòd vero in eo papulæ fiant, testatur etiam Thucydides in hunc modum scribens, & exterius quidē tangenti corpus, neque admodum calidum, neque pallidum, sed subrubrum, liuidū papulis exiguis, & vlceribus scatens, & sæpe etiam id repetit rursus citato Thucydidis testimonio: nam plures significationes adducit illius vocabuli Pemphix, ex poetarum, & aliorum libris, pro flatu, pro radio, pro nebula, pro stillis, quæ per imbres cadunt, & non satis probata etiam explicatione illa pro duabus febribus compositis, nempe flatuosis, & igneis, tandem hanc vnā videtur probare pestilentis nempe cum papulis, præsertim quia sit additum in contextu ἰδεῖν δεινοί, idest, aspectu terribiles, quod solis videtur conuenire

pesti-

pestilentibus, probabilemq; interpretationem reddit ex vocabuli notione, quod probat Euryphōtis testimonio in Gnidijs sententijs significare idem qnod φλύκταινα, idest, bulla. quę nihil aliud est (vt ait auctor Etymol.) quam αἱ συνιστάμεναι φῦσαι ἐν τῷ ὕδατι τοῦ ὑετοῦ, idest, consurgentes bullæ in aqua pluuia, vel illius partem: ita enim scribit εἴρηται γε μὴν ἡ πέμφιγξ κἂν ταῖς γνιδίαις γνώμαις ἃς εἰς εὐρυφῶντα τὸν ἰατρὸν ἀναφέρουσι, τήνδε τὴν λέξιν. οὐρεῖ ὀλίγον ἑκάστοτε καὶ καίει, καὶ ἐφίσταται πέμφιξ οἷον ἐλαίου χλωροῦ, ὥσπερ ἀράχνιον. ἐοίκασιν οὖν οὗτοι πέμφιγγα καλεῖν οὐχ ὅλην τὴν φλύκταιναν, ἀλλὰ μόνον τὸ περιγράφον αὐτὴν ἔξωθεν ἀραχνίῳ παραπλήσιον, idest, dicta vero est pemphinx in Gnydijs sentētijs, quas Euryphonti medico tribuūt his verbis: Mingit parū, frequenter, & vrit, & excitatur pemphinx, quasi oleæ viridis, vt aranea. Videntur igitur isti vocare pemphiga non totam bullam, sed solum id, quod circūdat ipsam exterius simile araneæ. Non dissimilis ab hac videtur esse illa febris, quam recentiores purpuram appellant, quam Augenius enumerat octauam in pestilentiū affectuū syndrome, quos vndecim enumerat his verbis lib. 4. 2. tomi: Pestilentes vero affectus sunt solida cordis substantia putrefacta; secundo, humores intimi cordis corrupti, Galeni testimonio 4. de præsag. ex pul. tertio, spirituum cordis corruptela, ex Auicēnę testimonio lib. 4. de arte med. c. de pest. feb. quarto, carbunculus pestilens, de quo Galenus differit 14. meth. quinto, Bubones ex inguinibus sub alis, penes aures; sexto, Variolæ; septimo, Morbilli, qui duo affectus vocantur nomine pestis. Rasis lib. de pestilentia. octauo, febris purpura antiquis non incognita, in qua scilicet apparent maculæ quædam in totum corpus purpurascentes; nono, febres cū sacro igne, aut herpete exedēti ex lib. 3. Epid. decimo, ardētes febres, ac phrenitides, uel exquisitę, uel nothę; undecimo, erysipelata mala, & ea cacoethe in abscessus malos, & alij id genus morbi. Lucretius etiā fecit huius symptomatis mentionem, ita scribens:

Et simul vlceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, vt est, per membra sacer cum diditur ignis.

Ex quo loco colligitur Hippocratis erysipelata, quæ maxime grassata dicit, hæc fuisse. Galenus in libello de bonitate, & prauitate succorum, in principio, ubi narrat ea, quæ eue-

nerunt in illa pestilentia ingentem famem subsecuta, ob prauorum ciborum usum inter agrestes, omnes exanthematũ speties dicit accidisse. παρῆν οὖν ὁρᾶν ἐνίους μὲν αὐτῶν ἐν τοῖς ἐσχάτοις τοῦ ἦρος, ἅπαντας δ' ὀλίγου δεῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ θέρους ἁλισκομένους ἕλκεσι παμπόλλοις κατὰ τὸ δέρμα συνισαμένοις, οὐ τὴν αὐτὴν ἰδέαν ἅπασιν ἴσχουσι, τὰ μὲν γὰρ αὐτῶν ἦν ἐρυσιπελατώδη, τὰ δὲ φλεγμονώδη, τὰ δὲ ἑρπυσικὰ, τὰ δὲ λειχηνώδη, καὶ λεπρώδη. ταῦτα μὲν ὅσα πραότατα διὰ τοῦ δέρματος ἐξανθήσαντα τὴν κακοχυμίαν ἐκ τῶν σπλάγχνων τε καὶ τοῦ βάθους ἐκένωσεν, ἐνίοις δὲ τισι ἀνθρακώδη τε καὶ φαγεδαινικὰ γενόμενα μετὰ τῶν πυρετῶν ἀπέκτεινε πολλούς, ἐν χρόνῳ μακρῷ μόγις ὀλιγίστων σωθέντων, idest, Erat igitur videre nõnullos quidem ex ipsis extremo uere, plerosque omnes uere propemodum initio ęstatis corripi ulceribus quamplurimis in cute consurgentibus, non eandem tamen omnibus spetiem retinentibus, nam ex his quędam erant erysipelari similia, quædam phlegmone, quædã herpeti, quædam impetigini, & scabiei, & leprę. Hęc quidem placidissime per cutim efflorescẽtia prauos succos ex uisceribus, & profundo euacuarunt: nonnullis uerò in carbunculi, & phagedænæ spetiem abeuntia cũ febribus multos interfecerunt, in diuturno tempore uix paucissimis seruatis. Hippocrates in Coacis lib. 7. sect. 2. Comment. 1. Hollerij Aphor. 1. ponit inter signa pestis. οἷς τὰ ἄρθρα φλυκταινούμενοι ἐξερύθροισιν ἐπιπολαίοις, ἐπιῤῥιγώσαντες οὗτοι κοιλίας, καὶ βουβῶνας διαφοινίσσονται, οἷα πληγῇσιν ἐπωδύνοισι, καὶ ἀποθνήσκουσιν, idest, Quibus articuli in superficiẽ rubentibus pustulis consperguntur, ubi riguerant, hi uentre, & inguinibus erubescunt, quasi plagis affecti dolentibus, & moriuntur, ubi Iacotius in Commentario præcipua, & maxime necessaria ad mortis pręsagiũ, & διάγνωσιν complexus est hoc Aphorismo, primum phlyctęnas in extremis partibus etiam in articulis. In Sileno octauo die apparuerunt, & in undecimo mortuus est. ἐξανθήματα μεθ' ἱδρῶτος ἐρυθρὰ, στρογγύλα, μικρὰ, οἷον ἴονθοι παρέμενον, οὐκ ἀφίσαντο, idest, exanthemata cum sudore, rubra, rotunda, parua, quasi uari permanebant, non recedebant, quamuis hoc loco quis dicere possit Silenum laborasse uariolis, quæ etiam symptoma pestis. In Critone uisa φλυκταινίδια μέλανα, idest, pustulæ nigræ, prima die, morte correptus δευτεραῖος, idest, postridie. Diodorus etiam Siculus lib. 14. de Peste Carthag. inter symptomata pestis, & acces-

accessiones numerat, eodē usus uocabulo, εἶτ' ἐπεγίνοντο δυσεντερίαι, καὶ φλύκταιναι περὶ τὴν ἐπιφάνειαν ὅλου τοῦ σώματος, idest, deinde suboriebantur dysenteriæ, & papulæ in superficie totius corporis. Huius in hac peste symptomatis, & huius loci meminit Philippus Ingrassias par. 1. c. 9. ubi disputat an mittendus sit sanguis, & adhibenda purgatio in pestilentia, & quatuor ponit conclusa: obiterq; hunc declarat locum. *Nella vera peste, si come fù quella, la quale narra Thucidide, & l'altra, della qual dice Galeno essere stata simile à quella, & l'altra, che fù a' tempi d'Hippocrate, alle quali molti pessimi accidenti sopraueneuano, de' quali niuno è stato di questi, che corrono hoggi, ne buboni, ne anthraci, nè petecchie, ne anco papole (benche il Tradutture di Thucidide habbia tradotto esser abondate le papole, doue in Greco dice ἕλκωσιν, che vuol dire vlcere; ma questo poco importa, che si può ridurre al medesimo, poiche già queste incominciano con vna certa bolla, ò vogliam dire vesichetta; la quale poi si rompe, & resta vna certa vlceretta, prima bianca, ò rossa, la qual pian piano, & qualche volta di repente si fà nera, maligna, la qual soglion chiamare papola, & non vna, ò due, ò poche erano, come hoggi in questo nostro contagio succede, ma molte per lo corpo esteriormente appareuano) in cotal peste diciamo, &c. à gli huomini appestati cauar sangue, ò dar medicina purgatiua, non è altro, che amazzarli.* Quidam locū de uocatis vulgo *Petecchie* intelligunt, de quo magna quęstio, & legendi Ingrassias, & Parisus, qui de hoc disputāt in suis libris de peste.

Phlyctenæ quid sint & alia huiusmodi.

φλυκταίναις μικραῖς. Pustulis exiguis.] Varijs, vt vidimus vsus vocabulis Hipp. ad hoc symptoma significandum: nam præter voces illas genericas, ἐξανθήματα, ἐκθύματα, φύματα, sirματα, quod ita legant nonnulli in 3. Epid. vbi legitur, ἐκθύματα, teste Iacotio in Coacis: varie hoc ipso inflexo vocabulo vsus est: nam sæpe in Coacis, prognost. & Epid. vsus hoc ipso vocabulo, φλύκταινας, vocans, interdum diminutiuo vocabulo vsus appellauit, φλυκταινίδια, vt in Coacis lib. 5. sect. 2. Commentario 1. Holl. aph. 49. vbi de tabidis verba facit, περί τε τοὺς πόδας ἐπάρματα ἴσχουσι, καὶ κατὰ τὸ σῶμα φλυκταινίδια, i. circaq; pedes tumores excitantur, & in corpore pustulæ, sic in Critone ægroto septimo in 1. Epid. qui postridie ex quo cæpit ægrotare mortuus est, μετὰ ξυντάσιος φλυκταινίδια μέλανα, idest, cum intensione pustulæ nigræ. in Coacis Comment. 1. lib. 4. aphoris. 1. vocat φλυζάκια οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύει, quibus in febribus cōtinuis

pustulæ

pustulæ toto corpore, vbi Hollerius, videtur hoc loco, φλυζάκια, appellare, quæ in prognostico φλυκταῖνα, ab Hippo. in Critone φλυκταινίδια, quod vocabulum in linguis interpretatur Galenus, ψυδράκια, quo etiam vocabulo significantur hæc pustularum genera, Galenus in 4. Comment. περὶ διαίτης τῶν ὀξέων, contextu 63. testatur idem esse quod φλύκταινα, nã vbi dicit Hippo. φλυζάκια ἐπὶ τὴν ὄφρυν, καὶ ἐρυθήματα ἴσχει, idest, pustulas in supercilio, & rubores habet, ita ipse, φλυκταίνας ἔχοντα κατὰ τὴν ὄφρυν, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὰ φλυζάκια, idest, pustulas habentem in supercilio, hoc enim significat verbũ phlyzacia, idem Hippocrates appellauit, ὁλοφλυκτίδας, quod Galenus in linguis interpretatur hoc ipso vocabulo, φλυκταίναι, quo tamen vocabulo quidam, πτερινυκτίδας, quidam δοθιῆνας, alij ἐξανθήματα τοῖς ζωοφίοις ὅμοια, bestiolis paruis similes pustulas intellexerunt, in Coacis lib. 3. sect. 2. cõt. 1. Holl. apho. 49. videtur vocasse, φωΐδας, vel φῶδας, vbi dicit, καὶ φωΐδες ἐν ῥίγει, per metaphoram, nam proprie illæ sunt voce Dorica pustulæ, seu maculæ rubentes in cruribus ex ignis propinquitate nimia exortæ, quæ alia voce dicuntur, φαύσιγγες, Pollux libro 7. φλῶδες αἱ ἀπὸ τῆς φλογὸς φλύκταιναι, καὶ φλυκτίδες. Erotianus de dictionibus Hipp. καλοῦσι δὲ φῶδας τὰ ἐκ τοῦ πυρὸς γενόμενα, μάλιστα δὲ ὅταν ἐκ ψύχους ἐν τῷ πυρὶ καθίσουσι στρογγύλα ἐπιφλογίσματα, ἐσχημάτισται δὲ ἀπὸ τοῦ φωτὸς, καὶ ἐρεύθος ὡς Διοκλῆς ὁ καρύστιος φησιν, i. vocant vero phodas factas ex igne presertim præ frigore igni assidentibus rotundę exustiones, formatũ vero est vocabulũ ab igne, & rubore, vt Diocles Carystius ait. Galenus in linguis interpretatur, φαύσιγγες, hoc vero vocabulum, ita explicat, φαύσιγγες κυρίως μὲν οἱ ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐν ταῖς κνήμαις ἐπανιστάμενοι κύκλοι ἐρυθροὶ καταχρηστικῶς δὲ καὶ οἱ λοιποί, i. proprie ab igne ĩ cruribus excitati orbes rubri, abusiue autẽ, & reliqui, quare videtur, φλύκταινα, proprie esse pustula, qualis ab igne ambustis excitatur, vel aqua feruenti, ἀπὸ πυρὸς φύσημα ἀπὸ τοῦ φλύζειν, seu, φλύειν, est etiam morbus oculi, cuius meminit Aegineta lib. 3. cap. 22. ἡ φλύκταινα δὲ, ἐπανάστασις οὖσα τοῦ κερατοειδοῦς τινὸς ὑπὸ δριμέος ἐκδαπανῶντος χυμοῦ? — ἐραντος κτηδόνας αὐτοῦ τῇ τῶν ὑποπύων ὑπάγεται θεραπείᾳ, idest, phlyctena vero cum sit ceratoidis excrescẽtia ex humore quodam excoriante illius fibras, seu filamenta, purulentorum curationi subijcit, & Galenus in definit. med. φλυκτὶς

(οφ-

(ὀφθαλμοῦ) ἐστὶν ἀπόστασις κατὰ τὸ μέλαν περιέχουσα ὑγρασίαν μετὰ φλεγμονῆς, καὶ ῥεύματος, facit huius generis pustularum mētionem Celsus lib. 5. vbi videtur quasi ad Thucydidis mentē loqui, quòd scilicet essent pustulæ vlceratæ, ita enim ait. Nōnunquam plures similes varis oriuntur, nonnunquam maiores pustulæ liuidæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato, subestque his humor, vbi hæ ruptæ sunt, infra quasi exulcerata caro apparet, φλύκταινα, græce nominantur, fiunt uel ex frigore, uel ex igni, uel ex medicamento. φλυζάκιον, autem paulo durior pustula est subalbida, acuta, ex qua ipsa quod exprimitur, humidum est: Actuarius etiam meminit lib. 6. meth. cap. 8. & Oribasius lib. de morb. cur. 3. c. 23. ex cuius descriptione uidentur non esse absimiles variolis, cum iubeat acu perforare: quare couenniunt cum his, quæ apparuerunt in Sileno, quas varis fuisse similes dicit Hippocrates: de his arbitror intelligendum Virgilium lib. 3. Geor. vbi pestem Brutorum describit, vbi dicit homines qui coriis vterentur interemptorum pestilentia, corripi consueuisse etiam ipsos papulis ardentibus, sic enim ait.

Verum etiam inuisos si quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atq; immundus olentia sudor
Membra sequebatur, nec longo deinde moranti,
Tempore contactos artus sacer ignis edebat.

Quo in loco merito reprehendit Seruium doctissimus Mercurialis in libro de decoratione c. 22. quòd per sudorem immundum intelligit morbum pedicularem, τὴν φθειρίασιν, ipse uero arbitratur esse intelligendum de illis tuberculis, quæ græce dicuntur ἱδρῶα, latine sudamina, & de illis potissimum, quæ cutim vlcerant, & dicuntur vlcerosa sudamina, de quibus Theoph. in lib. de sudoribus, vbi dicit ex sudore fieri tumores uaris similes, & ulcerosos: reprehenditque etiā eo in loco Corn. Celsum, qui in vertendo Hippocr. aph. 21. sect. 3. uerbum hoc ἱδρῶα, non bene expresserit, dicens quicquid sudore hominem resoluit, vbi dicit uideri non assecutū ueram uocis significationem, cum hidroa sint vlcuscula cutis facta à sudore detento, sed ego pace tanti viri arbitror Virgilium voluisse (quippe qui Medicus erat eruditissimus & Hipp. studiosus) significare idem qđ in Epidemicis sæpe, Hippoc. euenisse testatur, vt eiusmodi pustulę cum sudore

erum-

erumperent, ut supra in Sileno, ἐξανθήματα μεθ' ἱδρῶτος ἐρυθρά, uel post sudorem, & ex ipsius sudoris acrimonia orirentur, adeo ut omnia illa uerba ardentes papulæ, & immundus sudor idem malum ostendant, nempe τὰ ἵδρωα, siue phlyctenas nostras ex eodem enim genere fuisse, & sub eodem collocata, τῶν ἐξανθημάτων, ex definitione Galeni patet, cuius ista sunt verba in Commentario 21. aphoris. Hippoc. sect. 3. τὰ δὲ ἵδρωα τῶν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν ἐξανθημάτων ἐστὶν ἑλκωδῶς τραχύνοντα τὸ δέρμα, καὶ γίγνεται καθάπερ καὶ αὐτὸ τοὔνομα ἐνδείκνυται διὰ τοὺς πολλοὺς ἱδρῶτας, ὅταν χολωδέστεροι πῶς ἢ ὅλως δακνωδέστεροι τυγχάνουσιν ὄντες, δάκνουσι γὰρ οὗτοι τὸ δέρμα, καὶ κνισμώδες ἐργάζονται, καὶ τραχύνουσιν ἑλκωδῶς, idest, hidroa siue sudamina sunt ex genere exanthematum cutis superficiē occupantium, quæ ulceris in modum exasperant cutim, & fiunt veluti nomen ipsum indicat ob multos sudores, cū biliosiores quodammodo, & omnino mordaces fuerint, hi enim mordent cutim, & efficiunt pruriginosam, & asperāt in modum vlceris, vbi videtur mirifice cum uerbis Thucydidis conuenire φλυκταίναις μικραῖς, καὶ ἕλκεσι. quòd verò sudor sit pestis symptoma, quamuis nullam faciat Thucydides mētionem, declarat facile frequentissima apud medicos in pestilentijs mentio sudoris anglici, vel britannici, ita dicti, ꝙ in ea frequentius regione populus corripiatur eo in peste, & paucis horis intereat, vt plurimum, sed in hac quoque peste Thucydidis contigisse testatur Lucretius.

Sudabant etiam fauces intrinsecus atro
Sanguine, & vlceribus vocis via septa manebat. & mox.
Sudorisq́; madens per collum splendidus humor.

Et Hippo. cont. 66. 3. in tertiū, ἱδρῶτες ἄκαιροι, ψυχροί, πολλοί, διὰ τέλεος, idest, sudores intempestiui, frigidi, multi vsq; in finem, & supra contextu 42. ἄφωνοι ἱδρῶντες πολλοί, idest, muti sudantes multi, scilicet, interibant (ita enim legit Mercurialis) nam communis lectio habet ἐκ πολλοῦ δὲ τινες ἀφ' ὧν οἱ ἱδρῶτες πολλοί, idest, multo post tempore interibant hi à quibus sudores multi exibant. Pollux etiam collocat sub eodē genere, & ait esse, ἐξανθήματα θερινά, idest, æstiua exanthemata, qui etiā legit properispωmenωs, ἱδρῶα non ἵδρωα, ut Galenus, in quo etiam illud non omittendum obiter, quòd nō desunt, qui legāt etiam per υ ὑδρῶα, deducentes ab ὕδωρ, vnde

de etiam inflexum, quidam uolunt ἱδρῶτα, in quo mirari ſatis non poſſum Gorræum uirum alioqui eruditiſſimũ, qui ἱδρῶα, dicat eſſe puſtulas genitalium partium ſummam cutem occupantes, & vlcerantes: cum nomen hoc ſit totius, non partium tantum genitalium morbus, vt patet ex Galeno, ſed deceptus, ex verbis Hipp. quæ male interpunxit, præcedunt enim, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἱδρῶα, ideſt, putredines pudendorum, ac ſudamina, retulit enim hæc verba ad pudenda, cuius auctoritatem ſecuti multi in eundem errorẽ inciderunt. Viſcerus in explicatione illius aphoriſmi definit papulas aquoſas ex ſudore relictas, Italis ferſuras, & coctu-ras appellatas, eſſeq; dicit exanthemata, ſeu puſtulas minutas non dolorificas, nec rubentes, natas ex craſſiore ſudoris parte ſub epidermide retenta, & conculcata, quæ non potuit ſimul cum tenuiore per ſudores erumpere, aut exhalare, alij definiunt puſtulas miliares toto corpore, maximeq; in dorſo ſparſim obortas à ſudorificæ materiæ acrimonia, verum (vt ego quòd ſentiam, dicam libere) de nominibus arbitror apud Medicos diſputari, rem vero propemodum eſſe eandem, & ideo parum intereſſe, quo quis vocabulo vtatur, cum res ſit eadem, vel parum omnino diſcrepans, nihil tamẽ in generationis modo diſcrepans, ex hoc eodẽ genere ſunt illæ puſtulæ apud Aetium lib. 5. ex Herodoto, quas dicit oriri in febribus in vniuerſo corpore cacochymo, quæ mox in peſtilentibus febribus vlcerantur, verba Aetij ſunt, μώλωπες ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασι, ἐν δὲ τοῖς κακοήθεσι, καὶ καὶ λοιμώδεσι πυρετοῖς ἑλκώδη αὐτὰ γίνεται, ideſt, fiunt vibices ſimiles culicum morſibus in malignis, & peſtilentibus febribus exulcerantur, ubi etiam ipſe utitur generali uocabulo exãthematum. Hieronymus quoque Mercurialis in libello de maculis peſtiferis fatetur, ac profitetur eſſe eundẽ generationis modum ipſis maculis, quæ eſt in phlyctænis, quamuis non eaſdem eſſe velit. Hieronymus Fracaſtorius, lib. 2. de morbis contagioſis, capit. vltimo, vbi diſtinctionem facit cutanearum infectionum, conatur quidem ex humorum varietate iſta diſtinguere, ſed tamen multa, quæ eadem eſſe probauimus fruſtra diſgregat, ut phlyctænam à pſydrachio, & hidroum, verba eius non erit alienum adferre, cum veram afferat definitionem, & ab antedictis non abhorren-

tem, sunt & φλύκταιναι, quas Auicenna nomine vesicarum comprehendit, bullæ sunt non dissimiles his, quas excitat aqua feruens, quibus tenuis subest pituita, proxima his sunt ψυδράκια, vocata, Phlyctęnis paulo duriora, quibus cum pituita tenuis subest melancholia; phlyctænæ vero ex simpliciori sunt pituita paululũ inflãmata, vnde & in bullã surgit. Paulo vero ante collocat hidroa sub exanthematis, & ex sanguine gigni testatur. Si igitur non inflammatus quidem sit, calefactus tamen, ut quasi ferueat, tum exanthemata vocata facit, quas Plinius eruptiones papularum vocat, vulgus sufferſuras à feruore, ut arbitror, dictas, pustulæ sunt vix cutim excedentes, rubræ, confertæ inuicem, pueris pręcipue familiares, cum supercalescunt; sunt autem duum generum, quædam ficciores, & rubicundiores, quas Auicenna plantam noctis appellat, quædam vero in rubore albicantes tenui pituita cõmixta sanguini, quæ græci ἵδρωα, vocant, nostri sudamina, Auicenna desudationes, ex quibus etiam colligitur, idem ferè esse (vt supra dictum) hidroum, & phlyctęnam, cum in utroque sit pituita; qua tamen ratione dicat magis adesse in hidroo sanguinem, & in phlyctæna pituitã non uideo, cum contra videatur ratio dictare, vt scilicet potius sit in hydroo pituita.

Decimũ octauum sympto-- ma pestis æstus, & incendiũ internum

Τὰ δὲ ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο. Interna vero viscera ita vrebãtur.] De hoc interno ardore facit ẽt Lucret. mentionẽ, his versib.

Intima pars homini vero flagrabat ad ossa,
Flagrabat stomacho flamma, vt fornacibus intus,
Nil adeo possit quicquam leue tenueve membris.
Vertere in vtilitatem. ————

Et Ouidius elegantissime locum hunc Thucydidis de vestibus etiam reiectis expressit.

Viscera torrentur primo, flammisq; fatiscunt,
Indicium rubor est, & ductus anhelitus igni,
Aspera lingua tumet, tepidisq; arentia ventis
Ora patent, auræque graues captantur hiatu,
Non stratum, non vlla pati velamina possunt,
Dura sed in terra ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore feruet.

Martialis etiam libro 3. uidetur ad hoc incendium pectoris respexisse in pestilentia, cum in Vetustinam scribit.

Cum bruma mense sit tibi per augustum,
Regelare nec te pestilentia possit.

Huius incēdij potissimū in Thorace mentionē fecit Rufus, de peste, vt ex eius doctrina referunt Oribasius, & Aetius, qui inter signa pestis ponunt, καύματα ἐν θώρακι, idest, æstuationes in thorace: nam potissimum cor afficitur, ad cuius tutelam se se confertim conferunt, ac confluunt spiritus omnes, & sanguis qui rursus à seminarijs pestilētiæ inflammati, omnes ad se humores ex toto corpore quasi cucurbitula attrahunt, & sic efferuescunt instrumenta spiritus, quare orta putredine ingenti, & confirmata in corde, anhelitus fœtidus redditur, vt supra dictum est, meminit huius caloris, & incēdij interni etiam Galenus loco supra citato, vbi etiā hunc ipsum Thucydidis locū recitat. Quē, quia variat in lectione in duobus verbis, συνδονίων, non συνδόνων, legens &, ἢ γυμνοί, nō γυμνόν, libet integrū adhuc repetere, προστεθέντος δὲ κατὰ ῥῆσιν τῷ πεμφιγῶδες τοῦ δεινοί, ὁ λοιμώδης μόνος ἐστὶ δηλούμενος, οὗ τὸ πρὸς ἄλλους διαφέρον ἐστὶ τὸ σηπεδονῶδες εἶναι τὸ θερμόν οἷόνπερ καὶ ἐν τῷ νῦν γινομένῳ πολυχρονιωτάτῳ λοιμῷ διὰ τοῦτο οὖν οὐδὲ θερμοί, καὶ διακαεῖς ἐμφαίνοντο τοῖς ἁπτομένοις οἱ λοιμώττοντες, καίτοι τάγ᾽ ἔνδον ἰσχυρῶς διακαιόμενοι, καθάπερ καὶ ὁ θουκυδίδης ἔφη, καὶ τῷ μὲν ἔξωθεν ἁπτομένῳ σῶμα οὔτ᾽ ἄγαν θερμὸν ἦν, οὔτε χλωρὸν ἦν, ἀλλ᾽ ὑπέρυθρον πελιδνόν φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσι ἐξηνθηκός, τὰ δὲ ἔντος οὕτως ἐκαίετο, ὥστε μηδὲ τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων, καὶ συνδονίων τὰς ἐπιβολάς, μήτ᾽ ἄλλο τι ἢ γυμνοὶ ἀνέχεσθαι. i. cum vero additum fuerit ad verbum pemphigodes vox terribiles, pestilens sola febris significatur, cuius hoc est ab alijs discrimen, quod eius est putredinosus calor, vt & in hac, quæ nunc grassatur quamlongissima peste, propterea igitur neque calidi, & perurentes videbantur attingentibus pestilentia correpti, & si tamē interna viscera vehementer urerentur, vt etiam Thucydides ait, & exterius quidem attingēti corpus, neque admodum calidum erat, nec pallidum, sed subrubrum, liuidum, papulis exiguis & vlceribus efflorescens, interna vero ita incendebantur, ut neque tenuissimas uestes, & linteorum iniectiones, neque quicquam aliud, nisi, vt nudi essent, sustinerent. Hoc quoque non omisit diuinus Hippocr. qui in 2. acut. inter mala, & pessima symptomata acute ægrotantium recenset, τῶν ἱματίων ἀποῤ-

ῥίψεις ἀπὸ τοῦ στήθεος, ideſt, veſtimentorum reiectiones à pectore, quas in Commentario Galenus, dicit contingere, διακαιομένων τῶν καμνόντων, quia incenduntur, & peruruntur ægrotantes, & in progn. tamquam mali ſigni meminit nudationis pedum, vbi Galenus in Comme. cauſam reddens ait, ἐν τοῖς γὰρ θερμοτάτοις πυρετοῖς ἅμα τοῖς ἄλλοις μέρεσι καὶ τῶν ποδῶν διακαιομένων ἀναγκάζονται γυμνοῦν αὐτοὺς οἱ κάμνοντες, i. in calidiſſimis febribus vna cum alijs partibus etiam pedibus inflammatis coguntur nudare ipſos ægrotantes, idem attigit Laurentius Ioubertus de peſte, & inter indicia, c. 8. proponit, pleriſque maxima eſt inquietudo ob æſtum, & pectoris, qua premuntur, anguſtiam, noctu vero amplius (quo etiam tempore pulſus eſt vehementior, & magis inæqualis) quòd ſuſcitati vapores minus difflari, ac diſcuti poſſint, magisque incluſus maneat calor, inde fit vt nuſquã conſiſtere valeant, huc atque illuc agitati, & in lecto ſe ſe dimouentes impatiẽter velamenta abijciunt, & Altimarus de febribus peſt. ca. 8. vbi indicia perſequitur, & ſigna febrium peſtilentium, citat hunc ocum Thucydidis, & ſupracitatũ Galeni, & ita inquit, ſunt autem maxima, quæ à calore, pulſu, & vrina ſumuntur, calor ſiquidem harum febrium ab alijs per putredinis excellentiam differt, nam tangentibus nobis eos, qui tali febre laborant, neque calidi, & perurentes uidebuntur, quamuis interius inſigni flagrent incendio, vt liquet ex Galeno 6. de morbis uulgaribus, ita, ut in ea peſte, quam Thucydides deſcripſit, adeo interiora ægris urebantur, ut neque ualde ſubtilium ueſtimẽtorum, neque linteolorum uelamenta, neq; aliud quicquam præter nuditatem ferre poſſent, quamuis tangenti corpus exterius ualde calidum non erat, neque viride, ſed ſubrubrum, liuidũ, puſtulis exiguis, & ulceribus effloreſcens, & ſi manum thoraci exercitatus medicus, in explorando febrili calore imponat, caliditatem maiorem, at acriorem ſentiet, quam in reliquo corpore, & æſtum quoque ſentiunt in thorace maiorem.

τὰ δ' ἐντὸς. Interna autem.] Græcus ſcholiaſtes hic ait, τοῦ στόματος δηλονότι, oris nempe, in quo arbitror eſſe mendum, nam hæc eſt ſuperius explicatio tradita, cum dicebat, τὰ δ' ἐντὸς ἥτε φάρυγξ, καὶ ἡ γλῶσσα: vbi hæc uerba ponuntur, & hic à librario ſunt inepte repetita, quare potius legendum

exi-

existimo, θώρακ@ δηλονότι, & esse librarij lapsum, qui ut supra scripserit, re non animaduersa.

ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι. Præter nuditatē sustineret.] Apud Galenū, vt diximus legitur, γυμνοί, quę lectio est etiam in margine Cod. Stephaniani adscripta, & subintelligendum, ὄντες, ipso etiam id admonente Henrico in suis scholijs, qui etiam legendum putat, τὸ γυμνόν, ita enim loquitur: libenter scriberem, τὸ γυμνὸν ἀνέχεσθαι, quasi scilicet substantiui naturam sapperet, & γυμνότητα, idest, nuditatem significaret, ut uertit valla, sed ego omnino retinendam ueterem lectionem puto, ut referatur, γυμνόν, ad σῶμα, idest, corpus, vt scilicet, dicatur nihil ferre potuisse corpus ægrotantium, nisi ut nudum esset, & ab omni uelamine procul remotum, neq; ita nouam loquendi formam esse video, ut profitetur Henricus, qui hic nouitatem obijcit. Aemylius Portus in Appendice ad commentaria paterna, nostram confirmat sententiam, qui interpretatur, ἢ γυμνὸν τὸ σῶμα, δηλονότι εἶναι, idest, nudum, scilicet, corpus esse. Pater etiam supplet, εἶναι: & addit uel præter nuditatem, adeo ut ambas probet sententias, dicit porrò rē istam habere admirationem, & seruire amplificationi, non flagrare enim summa cute & tamen ferre nō posse nè subtilissimum quidem linteum iniectum, hoc uero habet admirationem.

ἐς ὕδωρ ψυχρόν. In aquam frigidam.] Sic Lucretius.

——— Ad ventos ad frigora semper,
In fluuios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in vndas,
Multi præcipites limphis putealibus alte
Inciderunt ipso venientes ore patente
Insedabiliter sitis arida corpora mersans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.

Diodor. Siculus li. 12 hist. biblio. huius meminit casus, & uidetur causam referre in Etesias uentos, qui de more non spirarint ea ęstate, & ideo nō perfrigerato aere, caloris fuerit nimius excessus, qui æstuosos pepererit morbos, τρίτην δὲ αἰτίαν συνέβη γενέσθαι τῆς νόσου τὸ μὴ πνεῦσαι τοὺς ἐτησίας δι' ὧν ἀεὶ κατὰ τὸ θέρ@ ψύχεται τὸ πολὺ τοῦ καύματ@ τῆς δὲ θερμασίας ἐπίτασιν λαβούσης καὶ τοῦ ἀέρ@ ἐμπύρου γενομένου τὰ σώματα τῶν ἀνθρώπων μηδεμιᾶς ψύξεως γενομένης λυμαίνεσθαι συνέβαινε,

διὸ

διὸ καὶ τὰ νοσήματα τότε πάντα καυματώδη συνέβαινεν εἶναι, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θερμασίας, διὰ δὲ ταύτην αἰτίαν οἱ πλεῖστοι τῶν νοσούντων ἔρριπτον ἑαυτοὺς εἰς τὰ φρέατα καὶ τὰς κρήνας ἐπιθυμοῦντες αὐτῶν καταψύξαι τὰ σώματα, ideſt, tertiam uero cauſam morbi eſſe contigit, quòd eteſiæ non perflarint, quibus ſemper refrigeratur magna pars æſtus, calore autem increſcente, & aere reddito inflammato, contigit humana corpora nulla refrigeratione inuenta peſtilentia corripi, quare etiam omnes eo tempore morbi fuere æſtuoſi propter exceſſum caloris, & propter hanc cauſam plurimi ęgrotantes proijciebant ſe ipſos in puteos, & fontes cupientes ipſorum corpora refrigerare: Huius ſymptomatis meminit Petrus Pariſus in tractatu de peſte, ubi narrat id in Drepanenſi illa peſtilentia contigiſſe, eius hæc ſunt uerba. *Tra gli accidenti della peste, fu la sete intolerabile, che molti nella campagna non hauendo gouerno si gettarono ne' laghi d'aqua, non altrimente, che narra Thucidide de' suoi, i quali si buttorono ne' pozzi sforzati dalla sete, che mai cessaua, & tanto era loro il troppo, come il poco bere.* Hoc etiam annotauit Laurentius Ioubertus lib. de peſte cap. 8. ubi accuratiſſime perſecutus eſt omnia peſtis indicia, & ſymptomata, & ſexcenta fere recenſet, ita enim inquit, uiſi ſunt nonnulli, qui cuſtode abſente nudi in puteos, aut propinqua flumina ſe præcipitarunt, ſic etiam Seneca in Oedipo.

Quos liberior domus elato
Custode sinit, petit is fontes,
Aliturque sitis latice ingesto.

Alij non ad ſitim, ſed ad animi perturbationem, & inſaniã referunt hanc ſe ſe pręcipitandi mentem, ſic in Mediolanẽſi peſtilentia contigiſſe teſtatur lib. 27. hiſt. ſui temporis Natalis de Comitibus, ubi ait, Erat ſane acerrima uis morbi, quoniam illo correpti primum inſania mentis, & quaſi furore quodam corripiebantur, inuadebat dolor capitis intolerabilis, atque nonnulli antequam diſtineri poſſent, ſe præcipites è feneſtris nulla habita ratione altitudinis deijciebãt, ſic Diodorus ſiculus, de Carthaginenſi peſte commemorat libro 14. mente emotos, & inſanos factos pulſaſſe obuios, & lib. 15. ubi aliã deſcribit Carthaginẽſem peſtẽ, q̃ incidit circa Olymp. c. dicit multos arreptis armis quaſi in hoſtes irrupturos, in ſe ipſos ferrũ ſtringẽtes, mutuis uulneribus cõcidiſſe.

Neque

Neque vero abeſt à veriſimili hæc coniectura; nam præter ea, quæ dicta ſunt ſuperius de phrenitide ex cerebri,& mem branarum inflammatione orta, quam ſignificatam à Thucydide diximus in verbo φλόγωσις, ideſt, inflammatio, & in caloribus illis capitis ingentibus, hic quoque non leuis oritur ſuſpicio de phrenitide regnante. Cum enim dicat in thorace ingentem æſtum ægrotantes perſenſiſſe, præter cordis incendium, & oris ventriculi inflammationem, ex quibus per conſenſum oriri etiam poteſt, & ſolet phrenitis, credibile eſt inflammatum fuiſſe in tanto viſcerum, & thoracis incendio, diaphragma, ſeu ſeptum tranſuerſum, ex cuius inflammatione oriri phrenitidem tam eſt exploratum in arte medica, vt nihil ſit minus dubium, & incertum: imò inde antiquitus nomen inuenit φρένας, ideſt, mentes, quòd crederetur eo læſo potiſſimum lædi mētem, & gigni phrenitidem, ac inſaniam, non ſolum per conſenſum, ſed (vt aiunt) per eſſentiam: κατὰ οὐσίαν, vel κατὰ ἰδιοπάθειαν, & πρωτοπάθειαν, ideſt, proprio & primario affectu, quod nunc in ſolo fieri capite medici, auctore Galeno, putant: nam preter Ariſtotelem, qui 3. de partib. animaliũ, c. 10 videtur id ſignificare, dicens: ὅταν διὰ τὴν γειτνίασιν ἑλκύσωσιν ὑγρότητα θερμὴν, καὶ περιττωματικὴν εὐθὺς ἐπιδήλως ταράττει τὴν διάνοιαν, καὶ τὴν αἴσθησιν, διὸ καὶ καλοῦνται φρένες ὡς μετέχουσαί τι τοῦ φρονεῖν, αἱ δὲ μετέχουσι μὲν οὔ, ἐγγὺς δὲ οὖσαι τῶν μετεχόντων ἐπίδηλον ποιοῦσι τὴν μεταβολὴν τῆς διανοίας, i. Cum ob vicinitatē attraxerint humorē calidum, & ſuperuacaneum, ſtatim manifeſte perturbant mentem, & ſenſum: quare etiam vocantur phrenes, quaſi participes aliquo modo prudentiæ: ipſæ vero non participes quidem ſunt, ſed cum participibus vicinæ ſint, permutationem mentis produnt, & indicant (in quo notetis obiter immerito accuſari a Mercuriali in ſua Praxi, Ariſtotelem quaſi ipſe ſentiat eſſe paſſionem diaphragmatis phrenitidem, nam aperte dicit eſſe indicem cordis patientis, & nihil conferre ad prudentiam) Galenus etiam ſignificat in Iſagogico, ſi modo eius eſt his verbis de phrenitide loquens: Συνίσαται δὲ περὶ ἐγκέφαλον, ἢ μήνιγγας, ἢ, ὥς τινες λέγουσιν, περὶ φρένας ὃ διάφραγμα καλεῖται, i. cōſurgit in cerebro, vel mēbranis, & ĩ phrenibus, (vt qdā aiunt) q̄ diaphragma vocantur. Et de locis aff. lib. 5. c. 4. Τὸν δὲ κάτω τοῦ θώρακος ὅρον, οἱ μὲν παλαιοὶ πάντες

Ex diaphragmate inflammata orta phrenitis.

ὠνόμαζον φρένας εἴθ' ἁπλῶς ἐπελθὸν αὐτοῖς, εἴθ' ὥς τινες οἴονται διότι φλεγμαίνοντος αὐτοῦ βλάπτονται τὴν φρόνησιν οἱ κάμνοντες. ἀπὸ Πλάτωνος δ' ἤρξατο καλεῖσθαι διάφραγμα, idest, inferiorem thoracis terminum, quem antiqui omnes nominabant phrenas, siue simpliciter id illis in mentem venerit vocabulum, siue, vt quidã putant, ex eo, quòd ipso inflãmato læduntur mentem ægrotãtes. A Platone cœptũ est appellari diaphragma. In quam sententiam non sine causa venerunt antiqui: nam nulla est pars, vnde magis similis veræ phrenitidi oriatur, vt etiam difficile sit distinguere, quod testatur idem Galenus eodem in loco paulo post: κατὰ βραχὺ γὰρ οὕτως ἐπ' ἐγκεφάλῳ πάσχοντι φρενιτίζουσιν. ἐπ' ἄλλῳ δ' οὐδενὶ μορίῳ τὸ διηνεκὲς ἐστὶ τῆς παραφροσύνης, ὅτι μὴ διαφράγματι μόνῳ, πλησίον γὰρ πῶς ἥκει τοῦ διηνεκοῦς, ὡς δι' αὐτὸ τοῦτο δοξασθῆναι τοῖς παλαιοῖς ἐπὶ τῷ μορίῳ τούτῳ φλεγμαίνοντι γίγνεσθαι φρενιτικούς, ὀνομάσαι τε φρένας αὐτὸ διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόνοιαν ὡς καὶ τῷ φρονοῦντι μορίῳ συμβαλλόμενόν τι, idest, Paulatim enim hoc modo in cerebro affecto fiunt phrenitici, ab alia vero nulla parte fit delirium perpetuum, nisi à solo diaphragmate: propius enim abest à perpetuo, vt propter hoc ipsum opinati sint antiqui in parte hac inflammata fieri vere phreniticos, & nominandam ipsam phrenas ob eandem suspicionẽ, tanquam sapienti parti aliquid conferat. Quo in loco multis docet distinguere inter hanc phrenitidem, & veram ex cerebri membranis inflammatis ortam. A quo etiã accepit omnia ferè Andræas Laurẽtius lib. 3. quæst. 6 vbi de phrenitide diaphragmatis demõstrationem facit anatomicam. Cur autem diaphragmatis musculo inflammato phrenitis excitetur referenda causa est in insignem, & maxime admirabilem illius cum cerebro, & membranis societatem, ac coniunctionem, societatis ratio, & causa duplex neruorum insignium cõmunio, & propagatio humoris, aut vaporis morbifici à perenni motu diaphragmatis, quæ duo statuit eriam Laurentius huiusce affinitatis causas.

ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρόν.] In syntaxi horum verborum maxime laborant Interpretes. Græcus Scholiastes quendam præscribit ordinem, & œconomiam horum verborũ; eum tamen refutat Henricus Stephanus in suis annotationibus, cuius hic verba lubet vobis recitare. Male Scholiastes

nos

nos iubet hunc locum proinde intelligere, ac si verba ita collocata essent: ἤδισα τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥιπτεῖν τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ συνεχόμενοι, ἠνείχοντο, tanquam reliqua μεταξὺ posita sint, quod alibi dicere potius solet διὰ μέσου, idest, per parenthesim. Nam post ῥιπτεῖν finitur periodus, & hæc verba, καὶ πολλοὶ, &c. sunt alius initium, quæ tamen alioqui ex ea pendet. In hac autem voces istæ ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ συνεχόμενοι ad verbum ἔδρασαν ferantur, necesse est, non minus quàm πολλοὶ, quod precedit, & simul omnes sint eius nominatiuus, vt mos est Grāmaticis loqui. Sed verbo ἔδρασαν, quid faciemus? an cum his vocibus ἐς φρέατα iungemus, imò cum his subaudiri ἀπὸ κοινοῦ puto ῥιπτοῦντες. Non secus enim intelligendum hunc locum existimo, quam si dictum esset, καὶ πολλοὶ ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ἔρριψαν ἐς φρέατα διὰ τὸ ἄλλον ὕδωρ οὐχ εὑρίσκειν, ῥιπτοῦντες. Hæc ad uerbum Henricus Stephanus.

ἀπαύστῳ δίψῃ, Insedabili siti.] Huius sitis meminit, ut supra dictum est, Lucretius, sed etiam Ouidius elegantissime:

Decimū nonum symptoma pestis sitis insedabilis.

———— Passim, positoq; pudore,
Fontibus, & fluuijs, puteisq; capacibus hærent,
Nec sitis est extincta prius, quàm vita bibendo,
Inde graues morbo nequeunt consurgere, & ipsis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.

Vergilius etiam meminit in peste illa sitis, ubi ait:

Nec via mortis erat simplex, sed vbi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros abduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaq; in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.

Sitis uero rabiem præclare describit Lucanus in nono, ubi à Dipsade morsum Aulum narrat: quę quia est ualdè elegās descriptio, libet integram recitare:

Signiferum iuuenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retro Dipsas calcata momordit,
Vix dolor, aut sensus dentis fuit, ipsaq; leti
Frons caret inuidia, nec quicquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, solidaq; incendit viscera tabe,
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, & in sicco linguam torrere palato

Rr *Cæpit,*

Cœpit, defessos iret qui sudor in artus
Non fuit, atque oculis lachrymarum vena refugit,
Non decus imperij, non mœsti iura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisq; furens exquireret agris,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum,
Ille vel in Tanaim missus, Rhodanumque, Padumq;
Arderet, Nilumq; bibens per rura vagantem,
Accessit morti Lybie, fatiq; minorem
Famam Dipsas habet terris adiuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenæ,
Nunc redit ad Syrtes, & fluctus accipit ore,
Aequoreusq; placet, sed non sibi sufficit humor,
Nec sentit, fatiq; genus, mortemq; veneni,
Sed putat esse sitim, ferroq; aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore.

Quæ omnia libentius adscripsi, quia eadem penè ratio veneni pestilentis, & ferini, quare æquiparatur ferè, & draconi, ac serpentibus pestilentia. Meminit huius etiã symptomatis in 3. Epid. Cõm. 3. cont. 14. & 19. Hipp. dicẽs in ea peste quosdã fuisse sitibundos, quosdam minime, διψώδεες οἱ μὲν, οἱ δὲ οὔ, quod etiam, ut dixi, repetit cont. 59. eisdem uerbis, & Galenus in dicto Comment. dicit: διψώδεις εἶναι συῤῥεούσης εἰς τὴν γαστέρα τῆς κακοχυμίας, μηδέπω τὸ στόμα αὐτῆς βεβλαφείας ἄχρι τοσούτου ὡς διεφθάρθαι τὴν ὀρεκτικὴν τῶν πομάτων δύναμιν; idest, Siticulosos esse confluente in uentriculũ malorum succorum copia, & nondum ita læso ipsius ore, ut corrupta sit appetitiua poculorum facultas. Et in 59. Comment. ita reddit causam πάχος τε γὰρ χυμῶν καὶ λεπτότης ὑδατώδης ἠθροίσθη ψυχρὰ μὲν ἄμφω κατὰ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, ἐπίκτητον δὲ θερμασίαν ἐκ σηπεδόνος λαμβάνοντα καὶ τοίνυν ἐφ᾽ ὧν μὲν ἤδη τὸ σηπεδονῶδες θερμὸν ἐπεκράτει διψώδεις ἦσαν. ἐφ᾽ ὧν δ᾽ οὐδέπω, καὶ οὗτοι πάλιν εὐλόγως ἦσαν ἄδιψοι, idest, Crassities enim & tenuitas succorum aquosa collecta est, frigidæ quidem ambo sua natura; sed quæ aduentitium calorem ex putredine acceperunt: & si quidem in quibus iam putredinosus calor superabat, sitibundi erant. In quibus uero non adhuc, hi rursus non sine ratione erant à siti immunes. Cum uero triplicis sitis habeatur apud ueteres medicos, præsertim Hipp. mentio, uidetur du-

dubitandum, de qua potissimum hic loquatur Thucydides. Prima est leuis, quę dicitur ἐπιπόλαιος δίψα, idest, sitis superficiaria, quæ fit faucibus, & œsophago, per quæ humida in uentrem deferuntur, tum arescētibus, tum incalescentibus, quę facile sedatur, & sine periculo reuertitur, si ante somnū fiat, sedatur somno, recurrente intus sanguine, & madefactis interioribus. Si post, uigilia: nam quæ cibi uaporibus incaluerunt, dum fit concoctio, refrigerantur, & exhalant per uigilias: siue quouis modo alio fiat, facile quiescit. Et de hac nō loquitur hic Thucydides, cum aperte dicat, sitim insedabilem, ut ab hac distingueret. Alia est uniuersalis, & à toto corpore proficiscens, cum scilicet uenulæ arescentes calidas, & acres ad se trahunt humiditates, quæ sitim mouent, ut fit in febre ardente, & de hac fortasse etiam potest intelligi locus. Tertia est, quæ fit uitio partium quarundam, ut oris uentriculi, pulmonis, ac cordis, necnon ieiuni intestini, quas docet distinguere, & agnoscere in arte medica. Galenus cap. 64. & de hac potissimum intelligendum hoc loco uerba fieri, eaq; specie, quæ maxime ex uitio uentriculi oritur, quę maxime difficilis, & uere dici potest ἄπαυστος: oritur enim non solum humidi inopia, sed etiam caloris copia; qui calor immodicus interdum cum siccitate coniunctus ob æstum, & labores, ut in caussis, interdum cū humore quodam, qui uel est bilis multa, & acris, uel salsa pituita: & hanc sitim uidetur Hippocrates in Coacis appellare δίψαν νυδιούσαν; quo in loco sitim inexhaustam interpretantur Hollerius, & Iacotius, cuius non semel meminit Hippocrates. Hoc uero symptoma cum sit pathognomonicū, & inseparabile in febre ardenti, quæ dicitur Græce καῦσος, quemadmodum etiam calor ille perurens, de quo supra facta mentio Commen. eū Galenus contex. 34. tertij, in 3. Epid. tanquam ἀχώριστον, idest, inseparabile quid ab ardente febri dicit esse τότε ἄπαυστον τῆς δίψους καὶ τὸ τῆς θερμασίας διακαές, idest, insedabilem sitim, & caloris æstum: uidetur Thucydides significare Hippocraticos causos, quos maxime grassatos dicit in illa pestilenti constitutione sub finem Hiemis, ineunte Vere, cum scilicet frigidę hiemis rigor in profundo depulsam, & contrusam, ἐς τὸ βάθος ὠθεῖσαν, humorum putredinem, antea cohibuisset, contex. 11. καῦσοι, φρενιτικοί, idest, febres ardentes, phrenitici,

Triplex sitis apud medicos.

& contex. 33. ἤρξαντο μὲν οὖν καὶ οἱ καῦσοι, καὶ τὰ φρενιτικὰ πρὸ τοῦ ἦρος, ideſt, Cœperunt febres ardentes, & phrenitides ante Ver. Quas febres genitas fuiſſe docet ex eodem bilioſo humore; qui ante eryſipelata in cute, & exanthemata feciſſet, decumbente ſcilicet in hepar, & os ventriculi.

ὁμοίῳ καθεστήκει, In pari periculo verſabatur.] Eſt Atticiſmus omiſſo ſubſtantiuo vocabulo: ſubintelligendum enim vel κινδύνῳ, vel κακῷ, vel πόνῳ. Senſum verò horum verborum eleganter Græcus Scholiaſtes explicat: καὶ γὰρ ὁ πίνων ὀλίγον, καὶ πολὺ, ἀπέθνησκον, ideſt, Etenim & qui parce, & qui multum bibebant, moriebantur. Dicitur vero τὸ ποτὸν, neutro genere, accentu in vltima, maſculino vero retracto in antepenultimam accentu ὁ πότος. Valla, & Sabellicus vertunt proinde erat minus aut parce bibere. Videtur vero hæc ſententia non diſſimilis ab ea, quam inferius protulit, ſed apertius, dum ait: ἔθνησκον δὲ οἱ μὲν ἀμελείᾳ, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι, ideſt, Moriebantur quidem pariter, & qui negligebãtur, & qui exquiſite curabantur. Lucretius vero expreſſit hanc ſententiã duobus verſibus ſupra recitatis, quos hic licet rurſum afferre, vt alterius lumine alter illuſtretur locus.

Inſedabiliter ſitis arida corpora merſans
Aequabat multum paruis humoribus imbrem.

Idem vero eſt hic apud Thucydidẽ, ἐν ὁμοίῳ, quod apud Dionyſium lib. 7. ἐν τῷ ἴσῳ, quę duo vocabula infra coniungit ſimul ipſe Thucydides, κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ, καὶ σέβειν, καὶ μὴ, ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν, καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διαπαντός. καὶ τὸ σῶμα ὅσονπερ χρόνον καὶ ἡ νόσος ἀκμάζοι οὐκ ἐμαραίνετο, ἀλλ' ἀντεῖχε παρὰ δόξαν τῇ ταλαιπωρίᾳ ὥστε ἢ διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐνναταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος ἔτι ἔχοντές τι δυνάμεως, ἢ εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαρροίας ἅμα ἀκράτου ἐπιπιπτούσης καὶ πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο:~

THVCYDIDES.

ET requietis penuria, ac vigiliæ perpetuo vrgebant. Et corpus quoad morbus quoque vigeret, non extenuabatur, ſed reſiſtebat præter opinionem malo, adeo vt vel morerentur plurimi nona, & ſeptima die ex interno æſtu adhuc habentes aliquid roboris, vel ſi effugerent, deſcendente morbo in ventriculum, & exulceratione vehementi in ipſo excitata, profluuioq; ſimul ſincero incidente, & multi poſtea ex imbecillitate interibant.

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

Reliqua sæuientis in thorace pestis mala persequitur, quibus ægra corpora diuexabātur mirum in modum,& ita,vt nullam requietis partem, nec diurnæ, nec nocturnæ caperent: aderat enim quædā inquies,& fastidium, quod nulla in parte conquiescere, aut vllo tempore consistere sinebat ægrotantes, & cum hoc quasi soboles ipsius,& germana soror, coniungebantur, vigiliæ perennes, & insomnietas (si hoc vti Latine vocabulo ad Græcorum imitationem, licet) quod symptoma, etsi sedem videatur habere in ipso capite,in quo fit somnus: quia tamen ex bile in thorace collecta efficiebatur (vt suo loco docebimus) inter symptomata thoracis enumerat, tanquā adiunctum quid, & effectum ab ipsa inquiete. Quibus duobus quasi satellitibus, quamuis acerbissime torquerentur, vis tamen ipsa morbi, quamdiu illius vigor, & ἀκμὴ permanebat,non conficiebat,neque extenuabat ipsa corpora; sed præter omnem rationem,& omnem etiam expectationem, hominumq; opinionem reluctabantur,& resistebant malo, ferebantq; illa incommoda,& mala intolerabilia propemodum, difficulter quidem, sed nullo dato in ipsis corporibus tanti cruciatus,quo affligebantur,indicio,ac argumento,cū nihil ipsa pati viderentur, nihil immutata ex affectu, ex quo fiebat,vt vel ab interno illo incendio,& flamma æstuante in statu morbi, nempe intra decimam morerentur, septima,

vel

vel nona adhuc validis viribus, & corporis robore non fracto penitus, ac dissipato, sed incēdij, & æstuantis intus Aetnæ quasi fluctibus obruto, ac suffocato. Vel si statū illum morbi, & illud tempus, quo maxime vigebat, ac sæuiebat in thorace furens, forte fortuna effugissent, permutato iam morbo ex peracuto, in simpliciter acutum, vel etiam ex acuto in acutum ex decidentia, vt medici vocant, ἐκ μεταπτώσεως in ventris inferioris, ac alui morbos inciderēt, eo sese proripiente, & delabente morbifica materia, quæ potissimum fuere difficultas intestinorum græce dicta dysenteria, & profluuium alui, quibus mirifice corpus cōtabescebat, & extenuabatur, tandemq; diuturno malo, & quasi tabe conflictatū, extenuatum, & confectum, ac victum, manus dabat præ imbecillitate, & interibat sensim dissolutum, atque corruptū, siue potius colliquatum, ac liquefactum.

ἀπορίῃ τοῦ μὴ ἡσυχάζειν. Penuria requietis.] Non recte quidem exprimi græcum uerbum potest, nam melius uel per carentiam, uel per impotentiam, si latine hoc dici posuisset, esset explicatum, græcus enim scholiastes interpretatur, ἡ ἀδυναμία, quare Lambinus in Commen. in Lucretium explicat quietis adempta facultas, est uero etiam, πλεονασμὸς, atticus in particula illa μὴ, quod etiam animaduertit Portus qui dicit abūdare μὴ, notat enim Corinthus in dialectis οὐ, negatiuam particulam, παρέλκειν, abundare sæpenumero apud Atticos, & non solum apud auctores, sed etiam in uulgus, & in communi, uulgarique sermone dicit usurpari, sic apud Aeschinem ἕτερος δ' ἀπαγορεύει νόμος ἀρχὴν ὑπεύθυνον μὴ στεφανοῦν, & τούτους ἀπαγορεύει μὴ δημηγορεῖν, sic etiam Demosthenes, κωλῦσαι τοὺς ὀνηλάτας μὴ ἐξάγειν, & alia multa exempla, quæ in dialectis ab Henrico referūtur, licet ipse uideatur uelle referri id in naturam uerborum, quæ postulet negatiuam particulam, quamuis altera sit in ipsis inclusa, imò etiam apud græcos duæ negatiuæ, uel iunguntur, uel duplicantur pro vna simplici & magis negant, ut apud Homerus,

Μὴ νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον.

Et tres ēt negatiuæ particulæ cum his uerbis quæ unam habent inclusam sua notione negationem; ut ἀπαγορεύω κωλύω, ἀρνοῦμαι. Quorū in numero collocari etiam potest, ἀπορέω, unde deductum, ἀπορία, cū his inquam uerbis collocantur.

tur. Lucretius, οὐκ ἂν ἐξαρνοῖο γένοιο μὴ οὐκ ἐμὸς υἱὸς εἶναι. Latini etiam interdum cum huiusmodi uerbis negatiuis negatiuam particulam ponunt abundantem sed rarius: Virgilius.

Ipse diem, noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in vnda.

Cicero in primo Academicarum quæstionum dixit negat nec suspicari, quod bonum quale sit, negat omnino Epicurus sine uoluptatibus sensum mouentibus nec suspicari: licet in his adsit nescio quid diuersum à Græcis: sic in eodem libro superius, nullam deniq; esse artem, nec dicēdi, nec disserendi putant, ubi uidentur duæ negatiuæ particulæ abundare, & nihil negare. Meminit vero huius inquietis etiam Lucretius, & uigiliæ etiam coniunctim, ut hic Thucyd.

Vigesimũ symptoma pestis inquies.

Nec requies erat vlla mali, defessa iacebant
Corpora, mussabat tacito medicina timore,
Quippe patentia cum totas ardentia noctes,
Lumina uersarent oculorum expertia somno.

Lambinus in suo Commentario confert hæc carmina cum uerbis Thucydidis, & idem ambos dicere contendit, quamuis non uideantur: ait enim omnino non uidentur hic idē dicere Thucydides, & Lucretius primo aspectu, sed si attente considerabis, nihil inter se discrepare reperientur, quid enim est aliud non esse requiem mali, quam non dari conquiescendi facultatem. Macrobius uero lib. 6. sat. cap. 2. idem uoluisse dicere innuit Vergilium, in his uersibus.

Præterea nec iam mutari pabula refert.
Quæsitæq; nocent artes, cessere magistri.

Quos confert cum duobus primis Lucretianis nuper recitatis; optime uero hæc duo symptomata coniunguntur inquies, & uigilia, quia inquietudo maxime solet esse noctu molesta, cum non distrahantur sensus & cogitatio, quare eo tempore omnia uidentur grauiora, & maiora, cum dormiēdi facultas erepta, & cum uapores excitati minus discuti ac difflari possint, sed cum calore intus incluso, & fuliginibus ab ipso excitatis contineantur magis, sequitur uero incendium intestinorum, & æstum hæc inquietudo quasi comes, quod etiam innuit Hippo. de uictu acut. Cōm. 3. cont. 14. ubi agens de biliosis excrementis, οὔτε γὰρ ἐξ ὑποχονδρίων καῦμα σβέννυσιν, ἀλλ' ἑρμᾶ, δυσφορίην τε, καὶ ῥιπτασμὸν τῶν μελέων ποιέει, idest,

dest, neque enim hypochondriorum æstum extinguit, sed excitat, & inquietationem, ac iactationem membrorum faciunt, ubi Galenus in Commentario dicit, ῥιπτάζονται τουτέστιν ἄσην τε, καὶ δυσφορίαν ἔχουσι, idest, iactantur, hoc est implacidi, & inquieti fiunt, ex quibus habemus tribus apud Hippocr. vocabulis significari hanc inquietem, quæ sunt δυσφορία, ῥιπτασμὸς, & ἄσα, de quo etiam supra actum est, & proprie ῥιπτασμὸς, uidetur respondere huic Thucydidio uerbo, quia est quodammodo contrarium, & priuatio quietis, ut ex Galeno colligitur 4. ac. cont. 48. ubi Hipp. iubet ægrotum, ὡς ἥκιστα ῥιπτάζειν, quam minime se iactare, ibi enim Galenus reddēs præcepti rationem inquit, τὸ δὲ πειρᾶσθαι μὴ ῥιπτάζειν ἑαυτὸν, ἀλλ' ἡσυχάζειν ἑκατέρως χρήσιμον τῷ κάμνοντι, καὶ ὡς τῇ πέψει τῆς ὅλης νόσου συντελοῦν, καὶ ὡς διαφυλάττων τὴν δύναμιν, idest conari uero non iactare se ipsum, sed conquiescere, utroque modo utile ægrotanti, & uelut concoctionem totius morbi adiuuans, & tanquam uires, roburq; custodiens, ex quibus à cōtrario duo mala habemus huius inquietis soboles, nempe virium deiectionem, & concoctionis morbi impedimentum, meminit vero etiam huius symptomatis in præcedente context. 47. tamquam mali, quod consequitur febres ἀσώδεις, idest, fastidiosas, & inquietas: inquit enim, καὶ κεκλιμένοι οὐκ ἀνέχονται ἐν τῷ αὐτέῳ, idest, & decūbentes non continere se possunt in eodem loco, vbi Galenus in Comm. τὸ μὲν οὖν μὴ ἀνέχεσθαι κεκλιμένους ἐν τῷ αὐτῷ τῶν ἀσώντων τε καὶ δυσφορούντων ἐστὶ γνώρισμα, idest, non continere se decumbentes in eodem loco est implacidorum, & inquietorum, difficulter ferentium nota. in 2. vero context. 44. recenset inter grauissima acutorum morborum symptomata, & vtitur Thucydidio penè vocabulo appellans, διαπορήματα, quod duobus verbis interpres expressit anxietates, inquietationes, Galenus vero in Commentario vtitur ipsomet vocabulo Thucydidis, ἀπορία, & ex duabus dicit oriri causis inter se contrarijs, καὶ ἡ ἀπορία κοινὸς ἀμφοῖν ἐστὶ σύμπτωμα, καὶ διὰ μακρὰν ἀσιτίαν ἐμπίπλασα ἰχώρων τὴν γαστέρα, καὶ διὰ τροφὴν ἄκαιρον βαρύνουσα, idest, & anxietas, inquietatioque commune vtrisque est symptoma, & ob longam inediā replens ichoribus ventriculum, & propter cibum intempestiuum grauans, & in prognost. 1. contex. 16. vocat ἀλυσμὸν, ἄλυν, vero

in Commen. Galenus alibi, ἄλυξιν, & etiam, ἄλυσιν, & verbū est, ἀλύειν, inquietum esse, ait vero Hippo. τὰ σκέλεα ἀνωμάλως διεῤῥιμένα, καὶ γυμνὰ κακὸν, ἀλυσμὸν γὰρ σημαίνει, idest, & crura inæqualiter proiecta, ac nudata malum, inquietationē enim significat: vbi Galenus in Commentario dicit, τοῦτο δ' αὐτὸ τοὔνομα δηλοῖ τὸ δυσφορεῖν ἅπαντι σχήματι καὶ μεταβάλλειν ἄλλοτε εἰς ἄλλο, idest, hoc vero nomen ipsum indicat affligtari in omni figura, & permutare ex alia in aliam, duasque ob causas dicit euenire vel διὰ τὴν τοῦ στομάχου κάκωσιν ἢ δι' ἀῤῥωστίαν δυνάμεως, idest, vel propter stomachi vitium, vel propter infirmitatem virium: deductum vero hoc vocabulum à verbo, λύω, quod est soluo, & ἀ particula priuatiua, διὰ τὸ μὴ λύσιν εὑρίσκειν τῶν κακῶν, idest, quia nulla solutio aut finis malorum inueniatur, eodem utitur uocabulo ad eandem rem significandam in prorrhet. Comment. 2. cont. 27. vbi recenset inter mala signa, ἀλυσμὸν ἀνιδρῶτα, idest, inquietationem sine sudore, vbi habemus ex Galeno fieri etiam cum sudore hanc inquietem, & esse pernitiosiorem, in eodem prorrhet. cont. 44. dicit esse malum, τοὺς ἀσώδεις ἀνεμέτως, idest, anxios sine vomitu, vbi etiam Galenus in Commentario dicit διττῶς, dupliciter fieri anxios ægrotantes, primo, ὅταν ἡ δύναμις ὑπὸ τοῦ σώματος βαρύνηται, idest, cum robur à corpore grauatur, & nequit, μηδὲν σχῆμα φέρειν ῥαδίως, vllam figuram pati facile, secundo cum os uentriculi à prauis mordetur succis, & primos dicit ἔχειν ὀλεθρίως, idest, esse moribundos, alteros nausea tentari. Dioscorides lib 6. recenset inter symptomata rabidorum, ἀπορίαν, & Gesnerus citans locum ita definit aporian, est autem aporia hoc loco proprie anxietas, & præ dolore, ac spei inopia corporis præter rationem iactatio, in Epidemicis ægrotis uocat Hippocrates, βληστρισμόν, sic ī ægroto adolescentulo πολὺς βληστρισμὸς, idest, multa iactatio 2. Epidemic. & in extrema ægrotante, βληστρισμὸς, in 3. in Larissæo Caluo, πολὺς βληστρισμὸς, & mox in adolescente Melibæensi in octaua, βληστρισμὸς, quo etiam utitur in Epidem. πολὺς βληστρισμὸς, & inde uerbum etiam deriuatum, βληστρίζειν, quo vsus ipse Hippocrates, & idem esse declarauit, quod ἀπορεῖν, & ἀπορία in Epid. eo loco, δηγμὸς ἰσχυρὸς ἐμπίπτει, καὶ ἀπορίη ὥστε οὔτε ἑστάναι, οὔτε καθῆσθαι, οὔτε κατακεῖσθαι οἷός τε ἐστιν, ἀλλ' ὧδε ἀπορέων βληστρίζειν ἑαυτόν. i. morsus uehemēs incidit, & īquies, adeo

adeo ut neque consistere, neque sedere, neque decumbere potis sit, sed ita inquietus iactat seipsum, ex quo loco habetur præclare quid sit ἀπορία, nempe cum ægri nullam formam, aut speciem decubitus ferunt, sed uarie se se iactant, atque proijciunt, modo se se attollentes, modo deijcientes, modo proijcientes in latus alterutrum, modo in uentrem, modo in dorsum se se prouoluentes, nunc nudantes membra, quãuis interdum frigeant extrema, & gelu fere conglacient, modo lectum uolunt commutare, & sine occasione assurgere, quæ tamen si fiant ægri consuetudine, qui inconstans sit, & mollis, & nulli assuetus morbo, ut puerorum, & muliercularum quarundam est natura, quæ nihil ferre, ac pati, nullo stare loco potest, minus formidanda, minus etiã formidãda si fiat ob perturbationem criticam, ob delirium, si ob vim doloris, & cruciatum, quam si fiat ex uirium imbecillitate morbum non ferente, aut æstu hypochondriorũ concitato ex acri humore illuc collecto, aut stomachi uitio vehementi, aut erysipelate, quod medium uiscus exurat, ut hoc loco factum suspicari possumus, in prognosticis idem uolens significare dixit, δυσπετέως φέρειν τὴν νοῦσον, idest, difficulter morbum ferre, frequentissime per uerba δυσφορεῖν, & δυσφορίαν, & δυσφόρως, absolute sine uerbo aut nomine adiuncto, ubi subintelligitur, ἔσχεν, uel simile quid, in Epidem. significat, quod uero omnia ante dicta idem sint; ex Galeno præter ante dictos locos colligi potest, qui in interpretatione linguarum interpretatur, ἀλυσμὸς per ἄλυσιν ἀπορίαν ῥιπτασμόν, ἀλιχὴν, & ἀλύζει interpretatur ἀπορεῖ, ῥιπτάζεται: has uero idẽ esse cũ ἄσῃ, & δυσφορία, supra demonstratum est. Hippocrates in historijs ægrotorum frequentissime his utitur uocabulis in eadem historia pluribus ad uitandam satietatem, ubi sæpius iteranda, & interdum etiam simul iungit ex his plura, ut in ægroto Adolescentulo in 3. Epidemico. Cõm. 2. cont. 5. ubi quatuor ex his iungit, δυσφόρως, ἀσώδης, πολὺς βληστρισμός, ἀπορία, quo in loco, ut neque in ceteris, non uidetur agnoscere discrimen ullum Galenus in Commentario, licet dicat illa uerba καὶ τούτων ἓν ἤρκει, & horum unum satis erat: nam refertur ad aliud ibi positum uerbum διψώδης, idest siticulosus, quibus tamen fortasse uerbis commoti nonnulli nõ male quidem discrimen hoc in-

ter hæc uerba constituerunt, ut dicant δυσφορίαν, referri ad syndromen accidentium, dolores partium, æstum, uigilias, sitim, βλησρισμὸν, ad impatientiam morbi corpus cogentis euibrare, uel ad periculosum illum affectum, qua membra, manusque præcipue suffultant, & celeriter reuelluntur, tendinesque eorum manifeste uibrant, ἀπορίαν, ad passionem animi, quia dubitat æger, ad quam figuram corporis, atque decubitus se se commutet delectari: uero Hippocratem huiusmodi locutione uerborũ idem ferè significãtium simul cõiunctorũ notat Gal. in Cõm. 3. in 3. Epi. cont. 3. ubi cum dicat σκιῶδης ἐπινέφελον, i. vmbrosum nubilũ, & dicat Galenus cõtineri, δυνάμει, idest, facultate in uerbo σκιῶδης, ipsum ἐπινέφελον, addit etiam hoc, Hippocrati peculiare, τοιούτῳ τρόπῳ τῆς ἑρμηνείας χρῆσθαι, idest, tali modo uti elocutionis, esse uero malum & pernitiosum signum ostendit Hippoc. in prorrheticorum aph. 2. αἱ μετὰ καταψύξιος δυσφορίαι κάκισαι, idest cum refrigeratione anxietates pessimæ, est uero non solum ut signum malum, sed etiam ut causa, quia uires frangit, ac exoluit, & coctionem impedit materiæ. à Iacotio duplex in Commentario statuitur critica, quæ fit in perturbatione antecedẽte repentinã mutationẽ, & crisim, & symptomatica, q̃ rursum duplex, aut propter, κάκωσιν oris uentriculi, cum à prauis mordetur humoribus, uel propter intempestiue exhibitum cibum, cuius signũ nausea ἀνεμέτως, aut propter uim, & malitiam febris, ob acrem, & malignam materiam æstu turgentem.

Vigesimum primũ symptoma pestis vigiliæ perpetuæ.

ἡ ἀγρυπνία, Vigiliæ.] Vigilias nimias esse acutorum morborum grauissimum symptoma demonstratum est supra. Pestilentiæ vero, & huius potissimum, præter Lucretij testimonium supra recitatum, accedit Hipp. ipsius in 3. Epid. 3. contex. 39. auctoritas, qui dicit multos laborasse comate nõ somnolento, hoc est, vigili, multos vero etiam vigilijs laboriosis. Verba eius sunt: Κατεῖχε δὲ ἢ τὸ κῶμα συνεχῶς οὐχ ὑπνῶδες, ἢ μετὰ πόνων ἄγρυπνοι; idest, Detinebat vero eos, aut coma non somnolentũ continenter, aut cum laboribus erant vigiles. Quibus vltimis verbis vigiles cum laboribus arbitror significari, quod hoc loco dicit Thucydides, coniunctã cum vigilijs inquietationem. Quid vero sit coma non somnolentum declarat in Commentario, Galenus, ὅταν ἐγρηγορέναι μὲν

μὲν ἀνεῳγόσι τοῖς ὀφθαλμοῖς οἱ κάμνοντες μὴ δύνονται, μύσαντες δὲ αὐτοὺς ἐλπίδι τοῦ κοιμηθῆναι διαμένωσι ἐγρηγορότες, τὸ τοιοῦτον καλοῦμεν οὐχ ὑπνῶδες κῶμα. εἰ δὲ καὶ πόνος τις αὐτοῖς παρείη περισσῶς ἀγρυπνήσουσι μᾶλλον οἱ οὕτως ἔχοντες, ὡς μηδ' εἰς φαντασίαν ὑπνοῦντε ἀφικέσθαι λεπτοῦ. γίνεται γάρ τι καὶ τοιοῦτον τοῖς οὕτω κωματώδεσιν, ὡς ἐν μεθορίῳ καθίσασθαι τῶν τ' ἀκριβῶς ἐγρηγορότων, καὶ τῶν κοιμωμένων, ideſt, Cum uigilare apertis quidē oculis ægrotantes nequeunt: claudentes uero ipſos ſpe dormiendi uigiles permanen ; hoc vocamus non ſomnolentum coma. Si vero adhuc labor aliquis adſit, procul dubio vigilabunt magis ita affecti, adeo vt neque in phantaſiā tenuiſſimi ſomni deueniant. Accidit enim tale quippiam ita comatoſis, vt in confinio cōſiſtant & exquiſite vigilantium, & dormientiū. Cauſam vero reddit 3. de locis affectis, cap. 5. vbi vigilans coma fieri dicit ex mixta materia, nempe pituitoſa, & bilioſa. Vnde autem accidant vigiliæ, oſtendit Hippocrates de ratione vict. in acut. 2. contex. 44. nempe ex bile cruda ex capite, & thorace collecta. ἐνίοτε δὲ καὶ ὠμὰ ἐπισπῶνται ἀπό τε κεφαλῆς, καὶ τοῦ περὶ θώρακος τόπου χολώδεα, ἀγρυπνίαι τε συμπίπτουσιν αὐτέοισι, δι' ἃς οὐ πέσσεται ὁ νοῦσος, ideſt, interdum & cruda attrahuntur tum à capite, tum à thoracis loco bilioſa, vigiliæq; contingunt ipſis, ob quas nō coquitur morbus. Quare Thucydides hoc loco enumerat inter affectus, & ſymptomata thoracis reſpiciens ad cauſam, nempe bilis copiam ex thoracis collectam incendio. Quid vero ſit cruda ὠμὴ bilis oſtendit Galenus in Comment. tribusq; rebus diſtinguit à cocta πεπεμμένη, quòd ſit ξανθὴ ἱκανῶς, ideſt, flaua admodum, δριμεῖα acris, & δυσώδης graueolens. Cocta vero contra ὠχροτέρα, ideſt, pallidior, & ἥκιστα δυσώδης, ideſt, minime graueolens, duabus vero de cauſis accidere ob errores in uictu τὴν κακὴν, καὶ μοχθηρὰν δίαιταν, nempe vel μακρὰν ἀσιτίαν, ideſt, longam inediam, vel τροφὰς ἀκαίρους, ideſt, cibos intempeſtiue propinatos, quod mox vocat ἰσχυρὰν τροφὴν ἐξαίφνης, ideſt, validum cibum ſubito oblatum. His enim duabus de cauſis, & ex capite, & thorace attrahitur cruda bilis, quæ morbum coqui prohibet, vigilijs, quæ ſunt mater cruditatis, vt ſomnus eſt concoctionis. Idem videtur confirmare 2. de locis aff. ſub finem. ubi dicit cauſam poteſtate calidam gignere uigilias, quia ſcilicet eſt auctor motionis, & pro exemplo proponit

uictum tenuem, & uinum meracum, recitata historia illius pueri, quem domi custodem Grammaticus reliquit, & uinũ antiquum potauit largius, quod etiam mox in 3. cap. 5. declarat fieri ex intemperie calida, & ex siccitate, & in calidis, biliosisq; morbis accidere, & ardoris esse sobolem. Sic in 1. prorrhet. Cõm. 1. contex. 5. dicit ex siccitate oriri. Et sequenti contex. meminit ἀγρυπνίας ταραχώδους, idest turbulẽtæ uigiliæ, quam esse pathognomonicum signum, dicit phreniticorum, quæ fit cùm per uisiones uel exiliunt, uel exclamãt. Quare non solum generant à morbis calidis, sed etiam ipsæ generant eosdem: nã biliosum reddunt corpus, ut 6. de morbis uulg. Cõm. 1. contex. 10. ostendit Galenus enumerans uigilias inter ea, quæ biliosum reddunt corpus, quod etiam facit 10. meth. cap. 4. ubi enumerat uigilias inter ea, quæ augẽt mordentes halitus, & succos, qui per sensibilia corpora delati excitant τὰ ῥίγη, idest, rigores, qui nihil sunt aliud, quàm bilis: quare etiam in 7. Aphor. 18. Comment. ait Galenus, χολωδέστερον ἐν ταῖς μακραῖς ἀγρυπνίαις γίνεται τὸ αἷμα, idest, biliosior in longis uigilijs redditur sanguis, ubi etiam dicit uigiliam esse ξηραντικώτατόν τι, idest, quid exiccantissimum, & propterea inducere spasmum ex siccitate: nam foras euacuato innato calido crudos, & incoctos succos efficit, ut contra somnus eodem intra reuocato concoquit. Quare in 1. Epid. Cõment. 2. contex. 75. Hipp. enumerat inter signa ὀλέθρια in febribus ardentibus, ubi Galenus in Commentario dicit non solum in principio, sed in omnibus morbi temporibus esse prauum symptoma uigiliarum. τὸ δὲ ἀγρυπνίας, καὶ ἀδημονίας σύμπτωμα διαπαντός ἐστι μοχθηρὸν οὐ κατὰ μόνην τὴν ἀρχὴν, idest, Vigiliarum, & angoris symptoma semper malum est, non in principio tantum. Et hinc etiam probatur superior nostra coniectura de phreniticis factis ægrotis ex diaphragmatis inflammatione, quia inde etiam uigiliæ hæ oriebantur, nempe attracta bile, & in os uentriculi, & in omnem illã cauitatẽ ex immoderato calore, & æstu, à qua putridi, acresq; uapores in cerebrum, & membranas profecti uigilias simul, & phrenitidem genuere calefaciendo, pungendo, mordendo, uellicando, ob summam connexionem, qua & septum transuersum, & os uentriculi cum ipso cerebro uitia sua mutuo communicant: neruosum enim utrumque, ut diximus.

Quare

Quare Galenus in 1.prognoſt.contex.28.cum dixiſſet: τὸ μὲν διάφραγμα παραφροσύνην ἑτοιμοτάτην φέρει, ideſt, diaphragma delirium, promptiſſimum affert reddens rationem in fine Commentarij addit, αὐτὸς δ' ὁ ἐγκέφαλος ἐπὶ διαφράγματι, καὶ σόματι κοιλίας πάσχει, καθότι κἀπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς νευρώδεσι. ἐξ ἐκείνου γὰρ ἁπάντων τῶν νεύρων πεφυκότων ὅσα μόρια πλείσων αὐτῶν, ἢ μεγίσων μετέχει, ταῦτ' εἰκότως εἰς συμπάθειαν ἄγει τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ideſt, Ipſum uero cerebrum in diaphragmate, & ore uentriculi laborante patitur, quemadmodũ & alijs partibus neruoſis. Ex illo enim cum omnes oriantur nerui, quæcumque partes pluribus ex illis, & maximis participant, hi probabiliter & iure in conſenſum trahunt ipſorum principium.

Quatuor tempora morborũ

ἡ νόσος ἀκμάζοι. Morbus vigeret.] Significat vbique Thucydides ſe non ignoraſſe medicinam cum vocabulis vtitur proprijs medicorum, nam ἀκμὴ eſt vnum ex quatuor morbi in vniuerſum conſiderati tẽporibus, quæ quatuor à Galeno conſtituuntur in 1.de criſibus, quæ ſunt, ἀρχή, ideſt, principium, αὔξησις, ideſt, incrementum, ἀκμή, ideſt, vigor, ſiue ſtatus, & παρακμή, ideſt, declinatio, quæ etiam conſiderãtur in libello de totius morbi temporibus, vbi multa de his dignoſcendis diſputantur, videtur vero conſtituere vigoris tẽpus in hoc morbo, ſeptimam vel nonam diem, cum dicat ęgrotos, uel conſtantibus viribus interijſſe ſeptima, & nona, vel elapſo hoc tempore non morbi ui, ſed fluxionis, & dyſenteriæ malo cõflictatos & extenuatos interijſſe, in quo tamen oritur magna difficultas, nam ſi in ſtatu corpus reluctabatur morbo, & reſiſtebat, ergo mox ſtatum elapſi in declinatione moriebantur, quod tamen fieri poſſe negant medici, dicunt enim nullum in morbi inclinatione interire, de qua re magnæ ſunt inter medicos controuerſiæ: ſed ut paucis nos expediamus, & extricemus dicendum, vel non veram eſſe illam inclinationem morbi, cum ea tantum vera ſit, in qua appareat coctio, vel dicendum permutatum fuiſſe morbum in alium, neque tamen deſijſſe eſſe peſtem, peſtis enim eſt morbi genus plures ſub ſe cõtinens ſpecies, & fit ſæpe tranſitus de vna ad aliam peſtis formam, atque ſpeciem, quare primo dicit caput occupaſſe, mox thoracem, hinc deſcendentem ad ventriculum deueniſſe, & aliam conſtituiſſe

An in morbi inclinatione quiſpiam moriatur

stituisse ideam, quæ erat dysenteria, & ἕλκωσις, & διάῤῥοια.

Vigesimũ & alterũ symptoma pestis corporis nulla extenuatio.

οὐκ ἐμαραίνετο. Non extenuabatur] Vocabulum ex medicinæ quoque fontibus depromptum, vnde deductus, ὁ μαρασμός, idest, marcor, febris illa hectica, quæ solidas partes, ita depascitur, ut corpus ipsum quodammodo colliquet, & tabefaciat, ac extenuet: sic vsus Isocr. in prima oratione ad Dem. τὸ δὲ κάλλ☉ ἢ νόσ☉ ἐμάρανεν, idest, pulchritudinem uel morbus consumpsit, &c. hic vero mirari satis non possum, quòd Lucretius, qui diligentissime omnem hanc Thucydidis pestem elegantissimis uersibus expressit, non solum hunc locum prætermiserit, sed contrarium dixerit, nam horum loco verborum, hæc Lucretius ad verbum ex Hippoc. prognostico accepta de facie dicta à Medicis Hippocratica·

——————Ad supremum deniq; tempus,
Compressæ nares, nasi primoris acumen
Tenue, cauati oculi, caua tempora, frigida pellis,
Duraque inhorrebat rictum, frons tenta, minebat,
Nec nimio rigida post strati morte iacebant.

Neque etiam video quomodo conciliari inter se se possint; nisi quis dicat, locutum Thucydidem de primis diebus, Lucretium de vltimo die, quo erant interituri, cum dicat ad extremum denique tempus, quæ verba non interpretor, ut Lambinus, usque ad diem mortis, sed in ipso die mortis, vel dicendum Thucydidem de viribus locutum, & facultate vitali, τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, quam nihil prohibet esse firmã, & tamen lætalia adesse in facie signa, quod ipsemet videtur significare, dicens interijsse hos, ἔχοντές τι δυνάμεως, adhuc aliquid roboris habentes. Hoc vero symptoma corporis non flaccescentis in tanto morbi labore, & cruciatu inter mala, & lætalia signa collocatur. Hipp. enim aph. 2. apho. 28. ita ait, τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπι πολαιῶς τὸ διαμένειν καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σώματι, καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον μοχθηρόν, τὸ μὲν γὰρ μῆκ☉ νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν, idest, febricitantium non omnino leuiter perstare, & nihil commi nui corpus, vel etiam extenuari magis quam ratio expostulet, malum, illud enim longitudinem morbi arguit, hæ debilitatem, vbi Galenus duas affert huius facti causas, πύκνωσιν τοῦ δέρματος, καὶ πάχ☉ τῶν χυμῶν, idest, cutis densitatem, & humorum crassitiẽ, qui scilicet, glutinosi, & viscidi cũ sint, diffi-

difficillime soluuntur, & ob id dicit significare morbi longitudinem, & Celsus etiam ponit lib. 2. capit. 5. inter signa longæ valetudinis, vbi æger pro spatio parum emacrescit.

τῆ ταλαιπωρίᾳ. Malo.] Non, vt supra, accipitur hoc loco vocabulum nempe pro cruciatu, & dolore, siue tormento, ut symptoma vomitus, aut aliquid aliud particulare, sed pro vniuersa ipsa peste, quam uariandæ orationis causa, modo vocat πόνον, modo λοιμὸν, modo φθόρον, siue φθορὰν, modo νόσον, modo νόσημα, modo κακὸν, ut septem hactenus vocabulis fuerit vsus, & siue ex industria id factum, siue casu, non caret res mysterio, nam in prouerbium quoque cessit septuplum malum, septupla punitio, de quo legendus vobis nostrarum Hebdomadum liber.

ἐνναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι, Nonani, & septimani.] De horum dierum vi in iudicatione morborum legendus Galenus de diebus decret. nam de septimo dixit in 2. cap. 8. omnium decretoriorum esse fortissimū: & in 1. cap. 4. Regi legitime imperanti comparat, vt sextum Tyranno. Multa de huius numeri natura nos attulimus in nostris hebdomadis, ad quas reijcimus lectores: nonus vero dies est septimo affinis, & coincidit cum septimo, teste Galeno, supra citatis locis, plurimosq; dicit iudicare: quare etiam Thucydides eum præposuit septimo, quasi significaret plurimos nono die, non paucos septimo iudicatos. De horum vero duorum numerorū affinitate legendę sunt etiam nostrę hebdomades, in quibus ostendimus plurimum inter se esse coniunctos, & alterum etiam pro altero usurpari. Cum vero asserat Thucydides, septima die pestilentia correptos obijsse, videtur tacite confirmare nostram coniecturā superius positam, quòd isti ęgrotantes essent phrenitici, hi præsertim, qui se in puteos præcipites dabant, nam constat ueram phrenitidem nunquam pertransire septimam, & si apud Hippocratem reperiuntur aliqui ægroti, qui fuerunt phrenitici præter hanc diem, non uere phreniticos dicit fuisse Mercurialis. Lucretius uero pro septimo reposuit octauum, quod non temere factū credendum est, neque tantum metri causa, nam licet septimo metri ratio prohibebat, potuisset tamen dicere septeno, aut alio modo reddere, sed uoluit significare in fine septimi, quod est initio octaui proximum, accidisse ad malum, & in-

Septenarij vis in morbis & affinitas cum nouenario.

teritum morbi crisim, & solutionem; addit enim uerbum fere, dicens:

Octauoq; die ferè candenti lumine Solis,
Aut etiam nona reddebant lampade uitam.

Idest in fine septimi, cum fere inciperet octauus subingredi. Galenus quoque in libello de atra bile, Thucydidem secutus prępofuit nonam septimæ. Ita enim inquit: ἔκκρισις διὰ τῆς κάτω γαστρὸς ἐγίνετο τῶν καλουμένων μελάνων ἐπὶ τῆς ἐννάτης ἡμέρας τουπίπαν, ἢ ἑβδόμης, ἢ ἑνδεκάτης, idest, excretio uero per inferiorem uentrē accidit nigrorū, quæ dicuntur nona omnino die, aut septima, aut undecima: ex quo uerbo omnino cōfirmatur nostra superius exposita explicatio. Liuius Dec. 5.lib.1, simile quid narrat de peste illius temporis, quòd omnes intra septimam moriebantur, qui superauerant, longinquis implicabantur morbis. Ait enim Delectus Consulibus eo difficilior erat, quòd pestilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, eo uerterat in hominum morbos, qui inciderant, haud facile septimum diem superabant, qui superauerant longinquo maximè Quartanæ implicabantur morbo: nam hæc à medicis esse dicitur natura pestis, ut plerumque inter quartum, & nonum interficiat: qui uero nonum euadant, pauci moriantur. Diodorus Siculus lib. 14. Biblioth. de Carthag. peste, ponit quintum, & sextum. πεμπταῖοι γὰρ ἢ τὸ πλεῖστον ἑκταῖοι μετήλλαττον δεινὰς ὑπομένοντες τιμωρίας, idest, quinto, uel ut plurimum sexto die mortem cum uita commutabant, grauibus afflicti calamitatibus. Diodori sententiam sequitur, & probat Brasauola, qui in Comment. Aphor. lib 2. Aphor. 24. ita ait: Nos sexcenties 1528. experientia uidimus in Epidemico morbo omnes ferè sexto die obijsse, & in pestilentibus morbis vt plurimum ægri sexto die intereunt; & multa ibi in hanc sententiam. Quare Galenus quoque, ut diximus, eum uocat Tyrannum. Sic etiam in recentioribus pestilentijs obseruatum est euenisse. Petrus Parisus de Peste; cap. 5. ait: *Dico, che perseuerando i nostri ammorbati con simili accidenti, al settimo per lo più, & al nono si moriuano, & molti inanzi.* Hieronymus Rubeus medicus clarissimus in sua Rauennati historia, lib. 11. uerba faciens de postrema peste, quę Venetias, & Tridentum vexauit. Nonnulli uagari morbi passim cœperunt, qui paucis omnino diebus, secundo, tertio, quarto, ad

summum

summum septimo, plerosque mortales quocumque sexu, ætateq; è medio tulerunt. Paulus Diaconus de gestis Longobard. lib. 2. cap. 4 de Liguriana pestilentia ait, eos, qui triduum exegissent, potuisse sperare de salute. Cœperunt nasci in inguinibus hominum, & alijs delicatioribus glandulæ in modū nucis, seu dactyli, quas mox subsequebatur febriū intolerabilis æstus, ita ut in triduo homo extingueretur: sin uero aliquis triduum transegisset, habebat spem uiuendi, Vt iam pestilentiæ cum ita uarient in numero dierum, aliç alio interficientes, ad Hippocraticam morborum diuisionē deduci possint, ut sint aliæ acutissimæ, quæ uel subito, uel intra quartam occidant, uel peracutæ, quæ intra nouem; nempe 6. 7. 8. 9. uel simpliciter acutę, quę intra 14. diem interficiunt. ἔχοντες τι δυνάμεως. Habentes aliquid virium.] Græcus Scholiastes addit, μερικὴν δύναμιν, idest, particularem virtutem, seu uires, quasi dicat, vitale robur, nō quidem in uniuersum ita firmum, ac validum fuisse, ut posset aduentanti iam morti reluctari, secus enim docuit experientia, quia mortui, sed in membris tamen aderat priuatum robur, ut suas obire functiones, ac munia possent, neque omnino essent fracta, ac debilitata, vt mox accidit ex alui fluxu, & dysenteria tabefactis. Vel fortasse significauit tacite Thucydides phreniticos obijsse, constat enim huiusmodi ægrotos interdum maxime viribus valere corporis, & mori sæpenumero aliquo magni roboris argumento relicto, cum uix possint ab assidentibus multis detineri, cum erumpunt aliquò, exiliūt, uerberant aliquem, & simile quid edunt phreniticum: quare Cassius in lib. probl. medic. 61. dicebat phreniticos esse robustissimos, & longe magis quam in sanitate eorum robur extare, cuius rei causam confert ipse tamquam Methodicus in corpus eo tempore magis adstrictum, Galenus in siccitatem, & caliditatem membrorum, alij fortasse melius in vehementissimos imaginationis motus, quare pereunt fere semper suffocati, quoniam (ut inquit Auicennas) facultas animalis fracta, & corrupta à morbo statim concidit, adeo ut mouere nequeat thoracem, & consequenter ablato thoracis motu, tollitur respirandi facultas, & cum eo simul uita, quod innuit Thucydides hoc loco dicens, quòd διεφθείροντο ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος, idest, ab interno æstu extinguebantur.

bantur. Ex his porrò verbis refutatur mirifice quorudam opinio, qui arbitrantur in omni pestilentia primo, vel altero die virium adesse imbecillitatem, & lapsum: & propterea etiam semper vitandam præcipiunt sanguinis missionem, & euacuationem per medicamenta, & alijs antidotis vtendum, & hac maxime auctoritate, ac fundamento nititur Philippus Ingrassias in par. 4. cap. 9. vbi citato hoc loco, & alijs additis argumentis, ita tandem concludit: *Per questi segni, & accidenti altri, i quali diremo appresso, quando parleremo della purgatione in risposta al terzo argomento, si vede non esser vero quel che alcuni, come cosa vniuersale, dicono subito nelle febri pestilentiali la virtù gittarsi per terra. Perloche non si possa far euacuation di sangue, ne purgatione.*

ἐπικατιόντος τ̃ νοσήματος, Descendente morbo.] Res hoc loco videbatur postulare, vt separato contextu hæc verba, quæ sequuntur à nobis distinguerentur: sed quia miro artificio ipsa coniunxit Thucydides, quod Historicus ipse cōnexuit, non visum est Interpreti separandum: nam dicit vel extinctos fuisse viribus adhuc in parte constantibus, vel si scopulum quasi illum effugissent, descendente malo in ventrem, incidisse in alia symptomata, nempe alui turbationes. Neque vero casu, aut temere id fecisse Thucydidem existimandum, sed vt significaret, se præclare intelligere eos affectus, quos paulo ante sub thoracis malis collocauit, pertinere ad infimum ventrem, cum sint oris ventriculi symptomata, quod est prima pars ipsius ventris: quia tamen affinia sunt, thoracis partibus, & eas secum trahunt in consensum, atque quodammodo afficiunt, vt cardialgia ipsum cor, vomitus œsophagum, & singultus gulam, suisq; mutuo nominibus abutuntur: nam ventriculi os sibi cordis nomē vsurpauit, gula contra stomachi: ideo subiecisse quodāmodo thoraci illos affectus: hic vero denuo coniungere cum infimo ventre: neque debet videri alienum ab artis muneribus, aut in arte peccatum, si ratione vicinitatis, quæ sunt vnius partis affectus, fuerint alteri tributa: nam præter antiquorum, qui varie id præstiterunt, exempla, habemus recentissimum doctissimi viri Hieronymi Mercurialis, qui in sua Praxi morbos oris, quod est in capite manifesto: subiecit tamen morbis thoracis: nam secundo libro, quem inscribit de medij ventris, hoc est, thoracis affectibus, agit primo

mo generatim de oris affectibus, deinde nominatim de dolore dentium, de aphthis, de tonsillis, & vua, quæ omnes alij practici inter morbos capitis recensent. Et si recte perpendamus, multo maior est affinitas, atque coiunctio oris ventriculi cum thorace, quam sit oris ipsius, & palati, ac dentiũ cum eodem: nam pertinet ad septum transuersum ipsum os ventriculi, & continenter cum œsophago coniungitur, quod medium intersecat thoracem, mirificumq; habet cũ ipso corde vicin, & cerebro coniunctionem, ac affinitatem, adeo vt licet sit pars infimi ventris, videatur tamen affinitatis ratione ad medium magis pertinere, & sub eo merito collocatos illius affectus, atque symptomata.

ἐς τὴν κοιλίαν, In ventrem.] Vniuersum hoc est vocabulum, & omnem cauitatem, cuiuscumque generis sit, significat; sed per quandam excellentiam, & κατὰ τὸ ἐξαίρετον, dicitur de aluo, & ventre inferiore, qui dicitur alio vocabulo à Græcis γαστήρ. Apud Hippocratem multa significat, vt præclarè etiam annotauit Andræas Laurentius lib. 1. cap. 15. & primo omnem illam amplitudinem, & interstitium, quod interiectum est inter sternum, & pubem: interdum omnem aliam cauitatem, & capacitatem conspicuam, sic dicimus diuidi corpus in tres κοιλίας, idest, ventres, caput, thoracem, aluum, interdum cauitatem omnem, & spaciũ, quamuis vix sensibile, sic musculorum vacua spacia, & interstitia dicuntur κοιλίαι. Habet tres partes insignes, os, quod dicitur proprio vocabulo, στόμαχος, capacitatem, quæ vocatur aluus, & fundum, qui dr̃ à Latinis, vt vult Mercurialis, Aqualiculus.

ἑλκώσεως ἰσχυρᾶς, Exulceratione vehemẽti.] Græcus scholiastes interpretatur δυσεντερίας, idest, dysenteriæ. nam licet hoc verbum sit appositum in scholijs ad explicandum, νοσήματος, tamen arbitror esse mendum, & affigi debere puto ad hoc vocabulum, ἑλκώσεως, cum sit proprium dysenteriæ exulceratio intestinorum, quæ verba in sua versione omisit Valla, & Sabellicus in suis historijs conuertens hunc locum dixit, vtero vi grassantis morbi acriter conuulso, vel fortasse dici potest voluisse Scholiastem significare dysenteriam fuisse totũ ipsum morbum, nempe exulcerationem, & profluuium, quod si ita intelligatur, optimus erit sensus, fauet explicationi Scholiastes locus Galeni in Cõm. 4.

Tertiũ & vigesimũ sympto- ma pestis dysente- ria.

in lib. de articulis cont.40. testatur per dysenteriam intelligi à medicis, τῶν ἐντέρων ἑλκῶσιν, intestinorum vlcerationem, ait enim, τὴν τῆς δυσεντερίης προσηγορίαν ἔοικεν ὁ ἱπποκράτης οὐ κατὰ τὴν τῶν ἐντέρων ἑλκώσεως ἐπιφέρειν ὡς οἱ πολλοὶ τῶν ἰατρῶν, ἀλλὰ κατὰ τῆς αἱματώδους ἐκκρίσεως διὰ τῶν ἐντέρων γινομένης, idest, dysenteriæ vocabulum videtur Hippocrates non de intestinorum ulceratione proferre, ut plerique omnes medici, sed de sanguinolenta excretione facta per intestina, qui etiam cont.41. quia Hippoc. utitur verbo, ἰσχυρῶς, in significando progressu dysenteriæ dicens, καὶ ὁρμᾶται μὲν λαύρως, καὶ ἰσχυρῶς, idest, & mouetur cum impetu, ac vehementer, quo verbo hic vtitur Thucydides, ne à Thucydide videretur accepisse, dicit eum alio sensu protulisse, ac Thucydidē qui dixit, ἑλκώσεως ἰσχυρᾶς. οὐκ ὡς ἱστορίαν γράφων τῶν συμβαινόντων τοῖς οὕτω κάμνουσιν ὥσπερ ὁ Θουκυδίδης, ἡνίκα διηγεῖται τὸν λοιμὸν, ἀλλ' ἕνεκα διορισμοῦ, &c. idest, non vt historiam scribens eorum quæ contigerunt hoc morbo laborantibus, ut Thucydides, ubi explicat pestem, sed causa distinctionis; de hoc uero symptomate, sic Lucretius.

Quorum si quis (vt est) vitarat funera lethi
Vlceribus tetris, & nigra profluuie alui,
Posterius tamen hunc tabes, letumq; manebat.

Horum duorum symptomatum, quæ læso ventriculo, & intestinis oriebantur, frequentem facit Hipp. in tertio mentionem, in hacq; pestilentia maxime grassatam uim morbi in hac parte significatur: nam primum generatim cont.13. κοιλίαι ταραχώδεες, idest, alui turbatæ, vbi Galenus dicit in Cōmētario defluxisse ex capite prauum humorem, & si in pulmonem diuertisset, tabidos effecisse, τὸ δὲ εἰς κοιλίην ἐνεχθὲν, ὕπιὸν κάτω μετὰ δήξεως ἐκτάραξιν αὐτῆς ἐποιεῖτο, idest, qui vero in ventriculum ferebatur, subiens cum mordicatione exturbationem illius faciebat, quod interpres latinus reddidit profluuium, quem tamen reprehendit Costæus in marginali annotatione, cum dicat turbationem non significare profluuium; sed transitum materiæ cum mordicatione, & dolore, cuius turbationis meminit etiam in cōt.40. tamquam symptomatis ardentes febres consequentis, κοιλίαι ταραχώδεες τοῖσι πλείστοισι τούτων, διαχωρήμασιν ὠμοῖσι, πολλοῖσι, λεπτοῖσι, idest, alui turbatæ multis horum cum deiectionibus cru-

dis

dis, multis, tenuibus, meminit etiam cont. 65. sed clarissime à cont. 53. usq; ad 58. in quibus omnia persequitur symptomata alui; ait enim, τὰ δὲ κατὰ κοιλίην πολλοῖσι πολλὰ, καὶ βλαβερὰ συνέβαινε, idest, in partibus uero uentriculi multis multa mala contigerunt; primum recensetur, τεινεσμοὶ πολλοῖσιν ἐπιπόνως, idest, tenesmi multis cum dolore, potissimum uero pueris, quod symptoma dicit Galenus in Commentario esse ὀδυνηρὸν, idest, dolorificum propter τάσιν, idest, tensionē, ὀχληρὸν, idest, molestam, διὰ τὸ συνεχὲς τῆς ἀναστάσεως, idest, frequentem imò continentem desidendi necessitatem. Secundo enumerantur eodem contextu, λειεντερικοὶ πολλοὶ, idest, lienterici multi, qui morbus teste in Commentario Galeno fiebat, ἀῤῥωστούσης τῆς καθεκτικῆς δυνάμεως, idest, contentrice facultate debilitata, consentaneum enim erat hanc læsam ui morbi quemadmodum, ἡ θρεπτικὴ δύναμις ἐνεκρώθη, idest, nutritiua facultas erat emortua, & fere extincta, quare factos fuisse dicit, ἀποσίτους, idest, cibum fastidientes paulo post. Tertio cont. 14. recensentur, Δυσεντεριώδεες, idest, Dysenterici; uerba uero quæ adduntur, οὐδ' οὗτοι λίην ἐπιπόνως, neque hi valde dolorose, maximum nobis negocium facessunt, nam uidentur aduersari, & pugnare cum his, quæ dicuntur hic à Thucydide, qui dicit, ἑλκώσεως, cum exulceratione uehementi, quæ carere dolore non potest, quare uenio libenter manibus ac pedibus in Galeni sentētiam, quòd λέξις ἡμάρτηται, idest, scriptura uitiata sit, ut multis alijs in locis dicit euenisse, in quibus mendæ à librario primo describente commissæ adhuc permanent, putatq; legendum affirmatiue, οὗτοι δὲ τε λίην ἐπιπόνως, & hi cum multo dolore, nam cæteræ omnes interpretatione, quæ ibi afferuntu, mihi non placent, neque uidentur accommodatæ, quarto loco meminit diarrhoeæ uariæ cont. 55. τὰ χολώδεα, καὶ λιπαρὰ καὶ λεπτὰ, καὶ ὑδατώδεα, idest, biliosa, pinguia, tenuia, aquosa, varietatem uero hanc excretorum refert Galenus in Commentario, ad differentiam, qua inuicem homines seiunguntur, φύσει, ἡλικίαις, διαίταις, idest natura, ætatibus, & ratione uictus, ex quo alius alio succo abundaret, quibus accedens ex καταστάσεως ἡ σῆψις, idest, ex constitutione pestilenti putrefactio uariabat speciem fluxionis, nam natura biliosi, ætate uigentes, curis, & laboribus exerciti biliosa, pinguia

uero

uero quibus, σύντηξις, ideſt, colliquatio, aquoſa, quibus abũdat, λεπτὴ, καὶ ὀῤῥώδης ὑγρότης. ideſt, tenuis, & ſeroſa humiditas. Quinto loco enumerat, eodem cõtextu, ςρόφους καὶ ἀνειλίσιας κακοήθεας, ideſt, tormina, & reuolutiones malignas, tandem cont. 57. ita concludit, ὡδ' ἐν κεφαλαίῳ εἰρῆσθαι, πάντες καὶ οἱ τὰ μακρὰ νοσέοντες, καὶ τὰ ὀξέα ἐκ τῶν κατὰ κοιλίην ἀπεθνησκον μάλισα, πάντας γὰρ κοιλίη συναπήνεγκεν, ideſt, & ut ſummatim dicam, omnes, & qui longis & qui acutis morbis uexabantur uentris uitio interierunt, omnes enim uentriculus abſtulit, ubi Galenus in Commentario, ita præclare rem omnem comprobat, καὶ ὁ καθ' ἡμᾶς γενόμενος οὗτος ὁ μακρότατος λοιμὸς ἐκ τῶν διὰ τῆς κοιλίας κενουμένων σχεδὸν ἅπαντας ἀνεῖλεν, ἦν δὲ σύντηξις τὰ κενούμενα, καὶ τοῦτ' ἔοικε ἀχώριςον εἶναι σύμπτωμα τοῦ καλουμένου λοιμώδους ἰδίως πυρετοῦ καταλαμβάνοντος τοὺς ἀνθρώπους καὶ χωρὶς λοιμοῦ. i. & quæ noſtro tempore accidit, hæc longiſſima peſtis, ex his, quæ per aluum uacuabantur, ferè omnes ſuſtulit, erat uero colliquatio quæ euacuabantur, & hoc uidetur eſse inſeparabile accidens uocatæ peſtilentis ſingilatim febris, quæ homines etiam ſine peſte corripit: meminit huius ſymptomatis etiam in 1. Epide. cont. 25. & 33. κοιλίαι ταραχώδεες, χολώδεες, uentres turbati, bilioſa excernentes & 2. Commen. cont. 7. dicit Thaſios factos æſtate & autumno, λειεντεριώδεας, δυσεντεριώδεας, &c. rationemq́; Galenus in Commen. reddit, ῥυέντων εἰς ἔντερα τῶν περιττῶν, ideſt, ſuperuacaneis recrementis ad inteſtina delatis genitas fuiſse oſtendens; meminit dyſenteriæ cuiuſdam peſtilentis Fernelius lib. de ab. rerum cauſis capitu. 13. anno Chriſti milleſimo quingẽteſimo octauo dyſenteriæ graues uniuerſa Europa tanta ferocitate populabantur, uix ut ciuitas ulla immunis euaſerit, meminit etiam Ioann. Hieronymus Puluerinus in nuper edita praxi. cap. de dyſenteria. Mercurialis ẽt in ſua praxi facit peſtilẽtis dyſenteriæ mentionẽ, quem uos poteſtis legere. Meminit dyſenteriæ Epidemicæ malignæ Io. Schenckius lib. 6. obſeru. med. quæ graſsata eſt anno Domini milleſimo quingẽteſimo octuageſimoquinto, alterius meminit Georgius Turonenſis libro 5. ſuæ hiſtoriæ, quæ ſub Childeberto Gallorum Rege ſæuijt.

Quartum & vigeſimum ſymptoma peſtis profluuium alui.

Διαῤῥοίας ἀκράτου. Diarrhoeæ ſinceræ.] In quibuſdam legitur, ἀκρατοῦς, ideſt, quæ cohiberi, & contineri non poſſit,

quare

quare Valla uertit profluuio assiduo, & ita eum legisse puto, non alio pacto, ut suspicatur in marginali scholio Stephanus, nam fluxus humoris & bilis potissimum sinceræ est ualde periculosus, & lætalis, & maxime proprius in febribus pestilentibus; quare in libro de atra bile dicit eos omnes, qui bilem atram sinceram deiecerunt, interijsse, in illa lõga peste, cuius ibi facit mentionem, ubi dicit pluribus accidisse fluxum uentris, sed qui exquisite nigram deiecerant mortuos esse, ὅσοι δὲ διαχώρησαν ἀκριβῆ τὴν μέλαιναν ἀπέθανον πάντες, & mox reddens causam ait, ἐνδείκνυται γὰρ ἡ τοιαύτη κατοπτῆσθαι τὸ αἷμα, indicat enim hæc exassatum esse sanguinem, & in 8. de comp. med. secundum locos capit. 7. ubi agit de intemperie calida hepatis, & dicit in ea fieri, σύντηξιν, idest colliquationem, & mox addit, καὶ κενοῦται διὰ τῆς γαστρὸς δυσώδης πάνυ χολὴ, παχεῖα, καὶ κατακορὴς τῇ χροίᾳ, καθάπερ ἐν τοῖς λοιμώδεσι πυρετοῖς, idest, & euacuatur per aluum graueolẽs, & ualde crassa bilis, & colore referta, ut accidit in febribus pestilentibus, & in Commentario in 21. aph. sect. 4. ubi dicit Hipp. esse pessimum signum, & lętale, ὑποχωρήματα μέλανα, idest, deiectiones nigras, quod sequentibus tribus aphorismis, etiã ostendit agẽs de nigris his deiectionibus, ait. n. πάμπολλα τοιαῦτα διαχωρήματα κατὰ τὴν λοιμώδη νόσον εἴδομεν ταύτην τὴν μακρὰν, οὐ μᾶλλόν τι τοῖς ὀλεθρίως ἔχουσι ἢ τοῖς σωθησομένοις ἐπιφανέντα, idest, quam plurimas huiusmodi deiectiones cõspeximus in pestilenti hoc longo morbo, quæ non magis his, qui interituri erant, quã qui seruandi, eueniebãt; duasq; etiam causas affert, primã, ut supra, exassatum sanguinem, secundã, quòd extraneam aliquam putredinem sit adeptus, illis, quæ in uentriculo fiunt, cruditatibus proportionalem, quod uero deijciat potissimum uires, uel deiectas potius indicet profluuium hoc, declarat idem Galenus in Commen. aphor. 23. sect. 4. ubi dicitur deijcientes nigram bilem, ut sanguis est niger, postridie morituros, reddens enim rationem, ἀσθενὴς γὰρ ἐπὶ τοιούτων ἡ φύσις, ὡς μήτε πέψαι δύνασθαι, μήτε διακρῖναι, μήτε ἐκκρῖναι τὰ οὕτω μοχθηρὰ, idest, imbecilla enim in his natura est, ut neque possit coquere, neque secernere, neque excernere tam pernitiosa, potissimum si sit cum dysenteria, nam ita lætalis est, ut sequenti aphorismo prædicat Hipp. δυσεντερίη ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον, idest,

dysenteria si à bile nigra inchoauerit, lætalis, consequi uero dysenteriam deiectiones sinceras ipse idem Hippo. testatur aphor. 23. 7. sect. ἐπὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερία, idest, post sinceram deiectionē dysenteria, ubi Galenus in Commentario declarat quid intelligat per deiectiones sinceras, ἀκρήτους ὑποχωρήσεις εἴωθεν ὀνομάζειν ὁ ἱπποκράτης τὰς ἀμίκτους ὑγρότητας ὑδατώδεις αὐτὸν μόνον ἐχούσας εἰλικρινῆ ὑπερεχόμενον κάτω χυμὸν, εἴτε τὸν τῆς ξανθῆς χολῆς, εἴτε τὸν τῆς μελαίνης. θαυμαστὸν οὖν οὐδὲν ἐπὶ ταῖς τοιαύταις ὑποχωρήσεσιν ἀναβρωθῆναί τι τῶν ἐντέρων. idest, sinceras deiectiones, consueuit nominare Hipcrates impermixtas humiditates aquosas, quę solum ipsum habent sincerum humorem, qui infra deijcitur, siue sit flauæ bilis, siue sit atræ, nihil igitur mirum in huiusmodi deiectionibus corrodi aliquod intestinum, quam explicationem attulerat etiam supra vberius aph. 6. vbi dicebat, ἄκρητοι ὑποχωρήσεις, idest, sinceræ deiectiones malum, quam doctrinam sæpissimè inculcat multis in locis in prognost. & in prorrhet. neque solum de deiectionibus verum esse dicit, sed in vomitibus, in screatu, & omnibus denique euacuationibus: nam in progn. de vomitu, ait cont. 38. οἱ γὰρ ἀκρητέστεροι κακίους εἰσίν, idest, sinceriores enim sunt deteriores, vbi Galenus in Commentario duo affert. Primum quia sinceri nimium arguunt vel calorē, vel frigus, nempe hoc pituita, illum bilis, deinde quia sinceri humores crassiores sunt, pituitosi quidem propter frigus quasi concreti, biliosi propter excessum caloris, ἐξικμασμένοι, καὶ οἷον πεφρυγμένοι, id est, euaporati, & quasi exassati, quod in sequentibus sæpius repetit.

ἀκράτου. Sinceræ.] Dici potest etiam esse atticismum omisso substantiuo, ut subintelligatur, τῆς χολῆς, idest, bilis, ut nō sit epithetum diarrheæ, sed sit generandi casus, frequentissimam uero esse hanc figuram apud atticos alias est à nobis demonstratum.

Διαῤῥοίας. Fluxione alui.] Multas species fluxionis esse diximus ex Galeno, sed videndum paucis, vnde omnis oriatur ventris fluxio, & ex quibus causis, hæ vero omnes referuntur ad quinque capita, ad virtutes, τὰς δυνάμεις ipsius ventriculi, ad partes ipsius, ad crasim partium cum illo consentientium, ad materiam, & ad occasionem extrinsecam, τὰν

ἔξω-

ἔξωθεν πρόφασιν, facultates igitur singulorum membrorum, vt ex Galeno sæpe didicimus sunt quatuor, & potissimum, in Ventriculo, in quo primum est ὄρεξις, idest, appetitus, & ὀρεκτικὴ δύναμις, mox ἀλλοιωτικὴ, siue πεπτικὴ, idest, alteratiua, seu concoctiua, tertio, συνεκτικὴ, idest, contentiua, postremo, ἐκκριτικὴ, idest, expulsiua, quæ duæ postremæ immediatæ & per se agentes dicuntur causæ fluxionis, vt superiores mediatæ, & adiuuantes, seu per accidens, si ergo non consentiant mutuo inter sese istæ facultates, variæ oriuntur fluxionis alui species: nam si appetitiua ex æquo non respondeat concoctrici, & hæc illi sit par, ut tantum concoquat, quantum appetatur, sed plus appetatur quam possit confici, fit species quædam fluxus chylosi appellati, in quo excremēta chylo commixta apparent, & inconcocta, si utraq; modum excesserit, & plus quam opus sit appetatur, & conficiatur etiam, fit fluxit, & diarrhæa stercorosa appellata, in qua excrementa quidem sunt concocta, sed peccant quantitate, quia scilicet minor fit ἀνάδοσις, idest, distributio alimenti, quam sit assumptio, si uero aliæ duæ sorores inter se dissentiant contentrix, & expultrix, & plus virium & roboris habeat expultrix, fit alui humiditas maior quam oporteat, si valeat etiam contentiua, sed si hæc fuerit diminuta, aut vitiata, & deprauata, fit alia species fluxionis chylosæ differentis à superiori, quia hic excrementis alui coctis chylus immiscetur, supra incoctis, siue omnino fuerit ablata, & defecerit, viresque constent, & robur expultricis, fit lienteria, in qua excernitur alimentum nihil immutatum, sed ita ut fuit assumptum, quod si contra valida sit contentrix, debilitata expultrix, fiunt rugitus alui, flatus, & tumores, quod si pariter ambæ debilitatæ sint, & imbecilles, neque contentrix suo, neq; expultrix munere fungatur: accidunt stomachi dicti angores, & anxietates, & uentriculi angustiæ lædentes per συμπάθειαν, ipsum etiam cor, & cerebrum, generantur enim deprauati uapores, & præsentia materiæ suffocantis extinguitur, & labefactatur, τὸ σύμφυτον θερμόν, idest, innatus calor. Ratione vero partium ipsius uentriculi, quæ sunt uilli ipsius duplices potissimū obliqui, & transuersi: nam fibræ rectę tantum attrahunt, fit fluxio, si non ex æquo, & quantum naturæ ratio postulet, uel exiccentur, uel humectentur ambo, nā

si præter modum pariter ambo humectantur, cum expultrix humido, contentiua sicco confirmetur, addito robore expultrici, & debilitata contentrice sequitur alui mollities, si pariter vtrique fuerint exiccati licet in principio futura sit aluus sicca propter debilitatem expultricis imbecillis, & robur contentricis, procedente tamen tempore multitudo materiæ humectat uberrime, & suffocato calore relaxat, & emollit utrosque uillos, si uero obliqui qui continent, humectentur, & transuersi, seu rotundi, qui expellunt, potissimum exiccentur, sequitur angustia memorata in contentiua, & expultrice debili, & sic uariant pro ratione utriusque uel debilitatæ uel confirmatæ virtutis ac facultatis in ipsis villis existentis, ratione uel humidi, uel sicci, quo afficiuntur. Ratione vero membrorũ, & particularũ cum ipso ventriculo consentientium, ac coniunctorum, fit sæpe fluxio, & & labor ventriculi, in consensum enim attrahitur, & illis affectis, ac laborantibus, ipse etiam labefactatur, atque conuellitur. Hæ vero partes sunt vel coniunctæ, & proximæ, vel remotæ. Coniunctæ, & contiguæ sunt ferè quatuor, mesenterium, hepar, venæ ad lienem, & lien ipse. Ratione mesenterij obstructi sequitur fluxio, & diarrhæa chylosa tertiæ spetiei, quæ differt à superioribus vitio appetitiuæ validæ, & contentricis debilis, quia in hoc genere maior est chyli quantitas in excrementis, neque grauitas, aut flatus percipitur in uentriculo. Ratione hepatis, uel calida laborantis intemperie, uel frigida quoque fit fluxio. Calida quidẽ existente circa uiscus intemperie fit σύντηξις, idest, colliquatio primorũ humorum, deinde carnis ipsius hepatis, & euacuatur per vẽtrem bilis παχεῖα crassa δυσώδης, idest, graueolens, & κατακορὴς τὴν χροίαν, idest, affatim colorata: frigida uerò laborante, & refrigerato, fit fluxus quoque similis, differt tamen à superiori, tẽpore, quia diutius permanet, copia, quia maior, qualitate, quia non ita graue olet, & excrementa spetiem putrefacti sanguinis, non colliquatæ carnis præbent, teste Galeno. Fit etiam fluxus hepaticus ratione facultatum debilitatarum, & potissimum concoctionis: in quo casu excernitur per aluum sanguinolentus humor talis consistentiẹ, veluti si quis sanguinem cum aqua confudisset, & medici imaginẽ eius sub oculos proponentes, ac depingentes dicunt talem

esse eius compagem, ac si quis mactatæ recens uictimæ carnes aqua lauasset. Ratione uenarum ad lienem, ubi inciderit illis ἐμφραξις, id est, obstructio, fit diarrhæa nigra, id est, materiæ nigræ, & melancholicæ, cū tensione, & grauitate sinistri hypochondrij. Ratione uero lienis tum inflammati, tum refrigerati fit diarrhæa, inflammato quidem illo efficitur perniciosa dysenteria materia melancholica, & adurente intestina excreta; refrigerato autem fit fluxio nigrorum sine exulceratione, & etiam febri, quantum in ipsis est. Remotiores uero partes, ut cerebrum, & artus, siue habitus corporis totius in causa etiam plerumque sunt diarrhææ. Cerebrū quidem catarrhalem uocatā diarrhæam efficit, prout uarijs de causis ad fluxionem, & catarrhum excitatur. Habitus uero totius corporis, cum artubus uel calefactus, uel refrigeratus fluxionem potest efficere, incensus quidem calore simplici facit simplicem diarrhæam, transmissa à particulis ad uentriculum materia: inflammatus uero calore putredinoso, quem σηπεδονώδη uocat Galenus, facit σύντηξιν, id est, colliquationem, & fluxum colliquatiuum, ut in pestilentibus febribus dicitur euenire, quarum signum hoc esse proprium supra dictum est ex Galeno; refrigeratus vero efficit fluxū serosum, & aquosum; ut in tabidis extremè, τοῖς φθινώδεσιν ἐσχάτως, & Hydrope fit perniciosa. Ratione quarto loco materiæ uitiosæ, & peccantis fit fluxio, quoties uel in quantitate superuacanea sit uitium, ex quo accidit fluxus ille chylosus primæ spetiei, quam efficiebat etiam expultrix ualida contentrice debilitata, uel in qualitate, quæ uel est ciborum, qui uel subducunt propria facultate aluum, ut malua, uel lubricant, & humectant, ut fructus horarij, uel abstergunt, & erodunt, vt salsamenta, oliuæ, ficus aridæ, uel pungunt, & stimulant, ut allia, cepæ, quibus omnibus modis potest concitari fluxio, uel est excrementorum partim in uentriculo genitorum, partim ab alijs partibus uenientium, ut hepate, lienis uenis, cerebro, ut supra dictum est. Hæc concitant fluxionē uel abstergendo, uel humectando, ut pituita dulcis, uel lubricando, ut pituita insipida, & abstergendo, & mordicando, ac corrodendo, ut pituita salsa, uel stimulando ut bilis. Ratione demum extrinsecorum accidit diarrhæa, ut ab aere frigido propellente, humido lubricante, & humectante, cali-

do,

do, & humido putrefaciente, calido, & sicco colliquante: cui respondebunt pari ratione res aliç dictæ à medicis non naturales, uigiliæ, somnus, motus, quies, animi perturbationes, & corporis, quibus modum excedentibus fieri potest occasio fluxus. Ab accidente etiam externo fieri potest, ut ab amputatione membri, unde sequuntur excretiones sanguinis, & fluxiones propter sanguinem deferri solitum ad illud membrum, quod postea ad loca intestinorum excernitur, & parit fluxionem, ac diarrhæam. Hæc de alui fluxu ex Galeni doctrina, & Montani etiam explicatione in Aphorismis attulimus, qui sexaginta has dicit alui fluxiones cognitu difficillimas, quia maxime confusæ: omnis uero, quæcumque contingat in pestilẽtijs fluxio uentris, lætalis est, & perniciosa, presertim in principio, uel incremento morborum; nam interdum potest esse salutaris, si accidat post coctionem, quẽ admodum in peste illa 5. meth. cap. 12. in qua ex pestilentia ulceribus asperę arterię laborantes uomitu in primis, & uentris fluxione sanati sunt, quod probabile, imò necessarium dicit Massarias minime in principio, sed post coctionẽ euenisse, quod apertissimis uerbis ipsemet Galenus probat in 4. Aphor. Commen. 21. vbi dicit apparuisse fluxionem in illa diuturna peste tam in morituris, quàm in seruãdis: sed nunquam in principio, uel incremento morborum, in seruandis scilicet, factum esse: nam nullus morbus, ipso testante Galeno de constitutione artis, cap. 18. iudicari potest, ac dissolui sine indicijs, & signis coctionis: licet nonnulli sint in ea hæresi medicinæ, vt dicant pestilentes humores nullam suscipere posse coctionem, quos potius ridendos, quàm refellendos iudicat Massarias. Celsus etiam lib. 1. cap. vlt. in obseruatione de pestilentia iudicauit formidandam esse alui motionem, ac fluxum. Inquit enim, neque mouenda aluus, neque etiam si per se mota est, comprimenda est.

ὕστερον, Postea.] Hoc verbum nobis duo genera morborum proponit, imò tria, nempe acutorum simpliciter, acutorum ex decidentia, & chronicorum: nam primum possumus interpretari illud postea de spacio quatuor dierum, vt in principio diximus apud Thucydidem in non multo tempore significare hoc idem spacium quatuor dierum, quibus acutissimi morbi comprehendebantur, qui vel subito, vel

quatuor

quatuor dierum spatio, intra quartum scilicet, enecabant: vt dicat multos simpliciter acute ægrotantes, postea nempe intra quartumdecimum cōcidisse, vel de termino longissimo acutorum ex decidentia dictorum, nempe intra quadragesimū diem, cuiusmodi multi fuere, vt cōstat ex historijs ægrotorū, vel postremo de chronicis, & diuturnis morbis, quibus multi elapsi maiora pericula tandē conficiebantur ad complures menses vita prorogata. Et ne hæc nostra explicatio nimis videatur longe petita, aut aliena, Hippocratis testimonio, & auctoritate cōfirmatur, qui quod inuolute dixit Thucydides, quasi interpretatus esset hoc verbum ex industria, ita lib. 3. contex 56. primum, deinde 57. supra memorato pronunciauit. Cum enim esset locutus de omnibus symptomatis ex ventris profluuio vario coortis, addit, τῶν δὲ οὕτως ἐχόντων πολλοὶ μὲν ὀξέως ἀπώλλυντο, πολλοῖσι δὲ καὶ μακρότερα διῆγε, ideſt, Ex his vero, qui ita se habebant, multi acute perierunt. Multis vero diutius malum prorogatum est, & statim mox addit, ὡς δὲ ἐν κεφαλαίῳ εἰρῆσθαι, πάντες καὶ οἱ τὰ μακρὰ νοσέοντες, καὶ τὰ ὀξέα ἐκ τῶν κατὰ κοιλίην ἀπέθνησκον μάλιστα, πάντας γὰρ ἡ κοιλίη συναπήνεγκεν, ideſt, vt vero summatim dicam omnes, & qui diuturnis ęgrotabant morbis, & qui acutis, ex ventris malis interiere præcipue: omnes enim venter ipse sustulit, quibus verbis quid fieri potest dilucidius, & ad mētem Thucydidis breuitate verbi obscuratam, explicandā, ac illustrandam accommodatius. Age vero exemplis ægrotorum rem comprobemus: Acute mortuorum exemplum est mulier puerpera, quæ geminas filias pepererat quartadecima inter ægrotos tertij in tertium, quæ τεσσάρες καὶ δεκάτῃ ἀπέθανεν, ideſt, in quartadecima obijt, ex ventris profluuio: ante enim dixerat, κοιλίη πολλοῖσι λεπτοῖσι, ταραχώδεσι, ideſt, aluus multis, tenuibus, turbatis fluxerat. Et altera mulier in secundo in tertium extrema inter ægrotantes eius Commentarij, nempe nona, quæ in quartadecima obijt ex hæmorrhagia, sed præcesserat alui fluxus ab initio in tertia, in sexta, & in fine addit, ταύτῃ διὰ τέλεος κοιλίη ὑγρή, ideſt, huic vsque in finē, ideſt, perpetuo, aluus humida. Acutorum ex decidentia, exemplum Apollonius tertiusdecimus in tertio in tertium Epid. qui obijt περὶ τριακοστὴν τετάρτην, ideſt, circa trigesimamquartam, præcesserat vero κοιλίη ταραχώδης, ideſt, aluus turbata.

Quintus-

Quintusdecimus ægrotus, qui fuit mulier, quæ perijt εἰκοστῇ πρώτῃ, idest, vigesimaprima, præcesserat in decimaseptima ἀπὸ κοιλίης ἐρετισμὸς, ταραχώδεα, idest, ex aluo sollicitatio, & turbatæ deiectiones, in secundo in tertium secundus ęgrotus, qui fuit Hermocrates, qui obijt vigesimatertia, cui in vigesimaquarta, κοιλίη ὑγρὴ λεπτοῖσι, πολλοῖσι, ῥέουσα, idest, aluus humida, tenuibus multis fluens; & tertius, qui fuit Virgo Euryanactis filia, quę mortua decimanona, septem dies post secundum delirium, qui euenit die duodecima, in qua etiam κοιλίη ἐταράχθη, χολώδεσιν, ὀλίγοισιν, ἀκρήτοισι, λεπτοῖσι, δακνώδεσι, πυκνὰ ἀνύσατο, idest, aluus turbata biliosis paucis, sinceris, tenuibus, mordacibus, frequenter desidebat. Longorum vero morborum exemplũ sunt primus ęgrotus tertij in tertium Epid. qui ἐν τῇ ἑκατοστῇ εἰκοστῇ ἡμέρῃ ἀπέθανεν, idest, in centesima, ac vigesima die obijt, de quo statim subiungit, quasi causam mortis in id referens: τουτέῳ κοιλίη συνεχέως ἀπὸ τῆς πρώτης ὑγρὴ, χολώδεσιν, ὑγροῖσι πολλοῖσιν ἦν, idest, huic aluus cõtinuo à prima die humida ex biliosis, humidis, multis fuit. Et secundus, qui fuit mulier puerpera, quę filium pepererat, & obijt ὀγδοηκοστῇ, idest, octuogesima die, cui in sexagesima cœpit aluus reddere χολώδεα, idest, biliosa. Neque vero solum acutorum simpliciter, & supra, sed etiam infra peracutorum, & acutissimorum ex eodem Hippocrate sumi possunt exempla, in quibus ægroti ob alui fluxum interiere: nam peracutorum exempla sunt septima, & octaua ęgrotę in secundo in tertium Epid. quę ambę ex abortus occasione septima occubuere: de quarum prima ait Hippocrates κοιλίη διαπαντὸς ὑγρὴ διαχωρήμασι, πολλοῖσι, λεπτοῖσι, ὠμοῖσι, idest, aluus perpetuo humida cum excrementis multis, tenuibus, crudis. De altera, quę obijt phrenitica, dicit in principio, Δευτέρῃ κοιλίη ἐπεταράχθη ὀλίγοις λεπτοῖσιν ἀκρήτοισι τὸ πρῶτον, idest, Secunda aluus turbata est, fluxit paucis, tenuibus, sinceris primum. In fine, κοιλίη πολλοῖσι ἀκαίροισι διὰ τέλεος, idest, aluus fluxit multis intempestiuis perpetuo. Acutissimi morb. exemplum est sextus ęgrotus secundi in tertium, quę fuit mulier, ᾗ τὰ ἰλεώδεα δυσφόρως ὥρμησαν, idest, cui iliaca symptomata cũ dolore commota sunt. Et ἐν τοῖσι κάτω κατὰ κοιλίην πονοι. i. in inferiore aluo labores, διαχωρήματα ὠμὰ λεπτὰ, idest, deiectiones crudę, tenues, cui diẽ mortis non ad-

scripsit

ſcripſit Hippocrates, ſed Galenus in Commentario arguit fuiſſe vel ſecunda, vel ad ſummum tertia. Ita enim ait: τὴν γὰρ μὴν ἡμέραν καθ᾽ ἣν ἀπέθανεν ἡ ἄῤῥωστος αὕτη, παρέλιπεν εἰπεῖν, ὡς ἂν αὐτῆς τεθνεώσης εὐθέως κατὰ τὴν δευτέραν ἡμέραν, ἢ τὸ πλεῖστον τὴν τρίτην, διὰ τὴν ὀξύτητα τοῦ πάθους. ἣν ἐδήλωσεν αὐτὸς ἐν τῇ διηγήσει, ideſt, diem, qua obijt hęc ægrota, omiſit dicere, tanquam ipſa mortua eſſet ſtatim in ſecunda die, vel ad ſummũ tertia, propter acutiem affectus, quam ſignificauit ipſemet, in narratione, in qua hiſtoria duo confirmantur obiter à nobis in ſuperioribus poſita theoremata. Primum, quòd ileos eſſet ſymptoma peſtis Thucydidiæ. Alterũ, quòd intra quartam mortui, dicerentur ſubito, & ſtatim mortui, εὐθέως.

Διὰ τὴν ἀσθένειαν, Ex imbecillitate.] Qui impetum morbi peſtilentis, & impreſſionem illam acutam euadebant, longinquis mox conficiebantur morbis, & potiſſimũ hac diarrhæa, quæ uires paulatim conficiebat non ſolum corporis, ſed etiã animi interdũ, huiuſmodi peſtis lenta quadam malitia, ac vitio concidiſſe Periclem Plutarchus teſtatur, quippe qui ætate iam ingraueſcente, & fortaſſe etiam temperantia ſcopulum illum effugerat repentinæ, & violentæ peſtilentiæ, quæ ante illi filios omnes legitimos, & complures familiares ademerat: ita enim de illo ſcribit Plutachus in eius vita. Τότε δὲ τοῦ Περικλέους ἔοικεν ὁ λοιμὸς λαβέσθαι λαβὴν οὐκ ὀξεῖαν, ὥσπερ ἄλλων, οὐδὲ σύντονον, ἀλλ᾽ ἀβληχρᾷ τινι νόσῳ, καὶ μῆκος ἐν ποικίλαις ἐχούσῃ μεταβολαῖς διαχρωμένην τὸ σῶμα σχολαίως, καὶ ὑπερείπουσαν τὸ φρόνημα τῆς ψυχῆς, ideſt, Tunc videtur Periclem inuaſiſſe peſtis inuaſione non acuta, vt in alijs, & breui, ſed imbecilli quodam morbo, & longitudinem uarijs permutationibus habente, lente conficiente corpus, & deijciente animi prudentiam.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Καὶ διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν. καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μεγίστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε, κατέσκηπτε γὰρ καὶ ἐς τὰ αἰδοῖα, καὶ ἐς ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας. καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε παραυτίκα ἀναστάντας, τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς, καὶ τοὺς ἐπιτηδείους:~

THVCYDIDES.

PErcurrebat enim vniuerſum corpus a ſupernis partibus inchoans, cui in capite primum ſedes fuerat, malum. Et ſi quis fuiſſet ex maximis periculis ſuperſtes, extremorum prehenſio id ſignificabat. Inuadebat enim verenda, & in ſummas manus, ac pedes, & multi his amiſſis effugerũt. Sunt etiam qui oculos amiſerunt, nonnullos vero obliuio cœpit ſtatim a morbo vendicatos omnium rerum pariter, nec agnoſcebant ſeipſos quoque, aut familiares.

FABII

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

DESCENSVM τὴν κατάβασιν, seu decubitum (vt Medici vocãt) pestilentis luis ab ipso capite ad extremũ vẽtrẽ, qui est aluus ipsa, persecutus est Historicus, & quatuor ac viginti (ne dicã plura) enumerauit sæuissima symptomata, ac mala, quibus miseri ægrotantes fuere confecti, & partim ὀξυτάτως, idest, acutissime intra quartam scilicet debacchante in capite pestilentia interierunt, partim κατοξέως, idest, peracute, delapsa in thoracem labe intra nonum conciderunt, partim ἁπλῶς ὀξέως, idest, acute simpliciter, intra quartũ scilicet, & decimũ, & acute ex decidentia ἐκ μεταπτώσεως ὀξέως intra quadraginta occubuerunt dysenteriæ acerbissimo cruciatu, ac alui profluuio tandem fracti, ac debilitati. Nunc claudit omnem narrationem, & breuem quasi facit ἀνακεφαλαίωσιν, & epilogum vniuersi progressus, & itineris, seu profectionis pestilentiæ, qui continet quodãmodo causam tantæ varietatis symptomatum, quia scilicet à capite exorsum malum per vniuersas corporis cauitates sese insinuans, ac prorumpens, pro ratione & natura partium, quas attigit suo veneno, varia quoque inuexit, & omnia dira, ac intolerabilia incommoda, ac mala. Quæ cum in partes principes, cerebrum, cor, hepar, & ventriculũ suas machinas adhibuissent, ac tormẽta pestilentia, facile vitam hominum expugnarunt, ac deiecerunt. Quod si qui maxima hæc pericula interitus peste correpti effugissent, ex his

malis superstites (vt fit in vrbium direptionibus, ac excidijs, in quibus, qui ferro, & cædi supersunt, captiui in ergastula, & seruitutem incidunt) non sani prorsus de victoria gloriabantur, sed aliqua omnes inusti macula, ac perpetuo sæuitię monumento, ac signo quasi captiui catena collo alligata, insigniti, ac indicati dimittebantur, irrumpente scilicet tandem malo, ac veneno in aliquod extremorum, in quibus cũ vita non sit reposita; & sine his possit illa consistere, his orbati, ac priuati relinquebantur, ac supererant: alij pudendis, alij summis manibus, alij pedibus, alij demum summa cum iactura desideratis ipsis oculis, ac memoria non solum externarum rerum, sed suijpsius, & suorum, quibus nihil fieri potest infelicius, aut miserius.

Καὶ διεξῄει γάρ. Percurrebat enim.] αἰτιολογία, antedictorum, ne quis miraretur, tam multiplicem symptomatum varietatem in omnibus corporis partibus præcipuis, addit eam fuisse illius pestilentiæ naturam, ut nihil relinqueret in corpore intentatum, & non uexatum, adeo ut ubi maiorẽ inueniret membrorum imbecillitatem, ibi radices agens subito conficeret: & hinc colligitur pestem hanc potissimũ in capite grassatam, & ab eo cæpisse, in quo se medicum præstat Thucydides, cum uideatur extremorum mala & destitutiones tribuere origini mali à capite fluẽtis, quasi innuat, quod est medicis exploratissimum, à cerebro ad vsq; extrema, neruos motus & sensus auctores distribui, & ideo malũ cerebri facilè extremis communicatum.

Τῶν μεγίστων. Ex maximis periculis.] Rectè Scholiastes supplet, κινδύνων δηλονότι, periculis nempe, & nos eum secuti libenter ita uertimus, est autẽ atticismus, ut supra dictum, frequentissimus omissi substantiui.

ἀκρωτηρίων ἀντίληψις. Extremorum præhensio.] Quod medici uocant, ἄκρα, idest, extremitates membrorum, & extremos artus, ipse uocat, ἀκρωτήρια. ἀντίληψις, Scholiastes Græcus interpretatur ἐπίσκηψις, quod uerbum uidetur proprie significare inuasionem pestis, ut statim ipse Thucydides subdit, κατέσκηπτε γάρ, & quia etiam de fulminis ictu solet vsurpari hoc uocabulum, significare uoluisse puto simile quidpiam fulminis ictui, ut sphacelationem & sideratio- nem, quod mox res ipsa declarat: nam decumbente ad ali-

quam

quam partem solidam putredine, & putrescente illa, calor naturalis partis extinguitur ab externo, & igneo putredinis, quod dum fit, & putrescit pars, gangrena dicitur, dum facta est. & absoluta putrefactio, græcè σφάκελος, latine sideratio, qualis tactis à fulmine accidit, quod dicit σκηπτόν: sic etiam Galenus in 3. Epid. Comm. 25. ubi de hoc ipso symptomate agit Hippocrates, uidetur putredinem fulmini assimilare vsus bis hoc vocabulo κατασκήπτειν, de illa uerba faciēs; quo vtitur etiam hic Thucydides: nam in principio, ita ait, ἡ σήπεδὼν τῶν ὑγρῶν ἔργον ἔχουσα κοινὸν, ἐκεῖνα τῶν σωμάτων φθείρειν, εἰς ἅπερ ἂν κατασκήψῃ, id est, putredo humorum, munus habens hoc commune, ut illa corpora corrūpat, in quæ irruperit, & in fine, ἐπλανᾶτο γὰρ ὡς αὐτὸς ὠνόμασε δι' ὅλου τοῦ σώματος τὸ ῥεῦμα, τουτέστιν ἀλόγως, καὶ ἀτάκτως, καὶ ὡς ἔτυχεν ἐφέρετο, μηδὲ προγνῶναι τινὸς ἰατροῦ δυναμένου τεχνικῶς, ἐς ὅτι κατασκήψειεν, id est, errabat enim (vt ipse dixit) per totum corpus fluxio, id est, temere, & nullo ordine, & casu ferebatur, cum neque præuidere vllus posset medicus arte, quo esset irruptura.

Vigesimū & quītum symptoma pestis pudēdorū inflāmatio.

ἐς τὰ αἰδοῖα. In pudenda.] Quod hæc pestis potissimum impetum faceret, & inuaderet pudenda, declarauit in 3. Epid. Hipp. qui sæpius huius facit rei mentionem: nam primum cont. 26. vbi de phlegmone egit in præcedenti cont. & erysipelate depascente summas partes, mox addit, ἦν δὲ πάντων χαλεπώτατον τοῦτο, ὅτε περὶ ἥβην, καὶ αἰδοῖα γένοιτο, id est, erat vero hoc omnium grauissimum, cum circa pubem, & pudenda accidebat, vbi Galenus in Commentario nihil mirandum hoc dicit accidisse, quia etiam extra pestilentem statum difficilis est illarum partium curatio, quoties inflammatione, aut sacro igne tentantur: fecerat etiam supra cōt. 12. mentionē, σόματα ἀφθώδεα, αἰδοίοις φύματα, i. ora aphthis affecta, & exulcerata, pudendis tubercula accidebant, & in 47. hæc eadem coniungit, σόματα πολλοῖσιν ἀφθώδεα, ἑλκώδεα, ῥεύματα περὶ αἰδοῖα πολλὰ ἑλκώματα, φύματα, ἔξωθεν, εἴσωθεν τὰ παρὰ βουβῶνας, id est, ora aphthis exulcerata multis, fluxiones circa pudēda, multa vlcera, tubercula extra intus ad inguina. & mox 49. ἐφύετο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ἑλκέων καὶ ἐν αἰδοίοισιν, id est, adnascebantur tū in alijs vlceribus multa, tum potissimum in pudendis, & in 1. Epidem. cont. 13. etiā osten-

ostendit esse pestis symptoma, φλεγμοναὶ μετὰ ὀδύνης ἐς ὄρχιν ἑτερόῤῥοπαι, τοῖσι δ' ἐς ἀμφοτέρους, idest, inflammationes cum dolore in alterutrum testiculum declinantes, quibusdam vero in vtrosque, vbi dicit Galenus, κατὰ τὴν κοινωνίαν τῶν ὀργάνων, idest, propter consensum, & communionem instrumẽtorum pars humoris delati à capite in pulmonem ad testes deferebatur cum magnus sit genitalium partium cum thorace consensus, quodq; irrumpebat in testes dicit fuisse malignius, κακοηθέστερον, tamquã diutius, διασαπῆς, i., putrefactum in pulmonis partibus, & in Coacis etiam prænot. lib. 3. sect. cont. 21. significat Genitaliũ cum thorace sympathiã, dum dicit, quòd thorace dolentes, ὄρχιες ἐπαίρονται, idest, testibus intumescunt, qui quidem consensus partium demõstratur etiam ab Hipp. 2. Epid. sect. 1. non longe à principio, vbi dicit tussi superueniente cessare inflammationem testium, & è contra siccam tussim inflammatis testibus cessare, ex quo colligit partes genitales, & spiritales vehementer inter se consentire, quod confirmatum est à Galeno in Cõmentario eius partis, testatur rabbi Moyses sect. 6 aph. idem etiam comprobatur experientia, quia videmus morbos thoracis interdum expurgari per vrinam, licet dicant Anatomici nullum esse ductum manifestum, per quem id fieri posse credatur, nisi per solam naturæ prouidentiam, & partium συμπάθειαν, hanc porrò sympathiam pluribus ostendit Rudius, lib. 2. c. de læsa penis erectione, vbi probat esse summam communionem cordi cum genitalibus. Lucr. de hoc

Genitalium partium cum thorace cõsensus.

Profluuium porrò qui tetri sanguinis acre,
Exierat, tamen in neruos huic morbus, & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipsas.

Et Franciscus Stabilis potentinus, vir Venetijs in faciẽda medicina clarus opusculum edidit elegans, quo ostendit se in illa Veneta pestilentia, quæ fuit anno 1576. quosdam repente mortuos ex sola testium inflammatione iudicasse pestilẽtiæ ui interemptos, vbi pluribus narratis historijs tandem ita concludit. Ex quibus experimentum, & hoc vniuersale Theorema constitui, quòd quicumque in aliqua pestilenti constitutione pauco tempore moriatur, & inflammatio circa pudenda appareat, ex hoc solo signo peste mortuum esse indubitate asserere possumus, de qua re à medicis sui tem

poris

potis reprehensus, ac derisus, se tuetur Hipp. & Thucydidis auctoritate, nec non testimonio cuiusdam Empirici Græci Nicolai Colochij, qui inter signa cognoscendi cadauera pestilentia defuncta ponebat inflammationem testiculorum tamquam indubitatum, & certissimum signum, quod vero à testibus ueneni signa sumantur deponente thorace uitiū suum in testes declarat, & Hippoc. in Coacis, vbi dicit lib. 3. sect. 3. aph 21. iuxta diuis. Holl. quòd sumpto helleboro, ὄρχιες ἐπαίρονται. idest, testes extumescunt.

ἄκρας χεῖρας, καὶ πόδας, Summas manus, & pedes.] Hippocrates etiam testatur in 3. Epid. 3. omnibus fere extremitatibus accidisse, & id fuisse erysipelas, & sacrum ignem corpora depascentem, & quamcumque partem attigisset, pessime afficientem: de quo contex. 22. vsque ad 25. in cuius fine ait: πολλοῖσιν μὲν γὰρ βραχίων, καὶ πῆχυς ὅλος περιεῤῥύη. οἷσι δὲ καὶ τὰ πλευρὰ τοῦτο ἐκακοῦτο, ἢ τῶν ἔμπροσθεν τι, ἢ τῶν ὄπισθεν. οἷσι δὲ ὅλος μηρὸς, ἢ τὰ περὶ κνήμην ἀπεψιλοῦτο, καὶ πούς ὅλος, idest, Multis quidem brachium, & totus cubitus decidebat, nonnullis vero & latera hæc mala corripiebant, vel anteriorem, aut posteriorem aliquam particulam, multis etiam totum femur, & tibia denudabatur, & pes totus. Pauloq; ante dixerat eodē contex. accidisse μάδυσιν τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ γένυος, καὶ ὀστέων ψιλώματα, καὶ κοπώματα, idest, glabritiem capitis, & menti, ossium denudationes, & abscissiones. Et contex. 23. σαρκῶν τε καὶ ὀστέων καὶ νεύρων ἐκπτώματα μεγάλα, idest, carnium, & ossium, ac neruorum casus magni. Victor Trincauelius in Cōmen. in 1. fen. 4. Can. Auic. cap. 2. vbi agit de signis febrium putredinis recitat pulcherrimam historiam trium, qui in pestilenti febre pedibus priuati sunt, quam integram libet recitare. Hoc fortasse voluit innuere Auicenna, quòd in febribus malignis, & pestilentibus, in quibus putredo propè cor est, si natura potens sit, vt vitiosum humorem inde ad alium membrum longe à corde, & cæteris membris principalibus depellat, poterit quidem liberato corde, aliquod vitium in illo à maligna materia relinqui: nam nō modo contrahi membra interdum vidi, mutata materia mala, ad ea, sed etiā computruisse. Memini enim me vidisse tres, duas quidem mulieres, alteram nobilem, alteram plebeam, & tertium virum ex illis, qui artem conficiendi naues exercent Venetijs in naua

Vigesimū sextū symptoma pestis sideratio extremorum.

li Veneto, in quibus maligna illa materia, ad pedes propulsa, particulæ illius calorem naturalem extinxit, & membrũ id primum gangræna, mox sphacelo correptum in cadauer versum est, vt fuerit necesse totum id, quod emortuum erat secare, auferreque, & vir ille pertulit, vt crus illi abscisum fuerit, paulò supra genu, & sibi deinde crus ligneum pulcherrimum ad imitationem naturalis confecit. Nobilis etiam illa matrona sectionem admisit, & ita sine altero crure; nam huic etiam tota tibia absecta fuit, per multos annos vixere. Plebea vero illa non est ausa crus præbere secandum, unde putredo serpsit, & corripuit, & coxã, & tandem superiores etiam partes, & obijt suum extremum diem ea de causa, cũ alioquin febris eam dimisisset. Lucretius quoque huius rei fecit mentionem, & uidetur sentire, quòd non sponte naturæ (ut ex Hippocrate, & Thucydide dictum est) priuarentur his membris, sed consilio humano, & adhibito ferro, & arte Chirurgica. Ait enim:

Profluuium porrò qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in neruos huic morbus, & artus
Ibat, & in partes genitales corporis ipsas,
Et grauiter partim metuentes limina læthi
Viuebant ferro priuati parte virili,
Et manibus sine nonnulli, pedibusq; manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim,
Vsque adeo mortis metus his incesserat acer.

Petrus Victorius in suis uarijs lectionibus dicit Lucretium non assecutum sententiam Thucydidis, neque rectè interpretatũ: quia, inquit, dicat Lucretius quosdam hoc morbo correptos, cum mortem ualde metuerent, uixisse, & mortẽ effugisse, posteaquam ferro priuati fuissent parte uirili, aut manibus, aut alijs membris, in quæ membra uis illius morbi irrupisset, atque inuasisset, adhibito uidelicet Chirurgo, qui partes illas affectas exsecaret: de qua re tota nullum dicit à Thucydide uerbum fieri. Lambinus uerò Lucretium defendit, & sensum Thucydidis acutissimum cõtendit perspexisse, uerba illa Thucydidis exprimendo, *καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφευγον*, idest, & multi his priuati effugerunt. Inquit enim Lambinus: Ego autem dico horum uerborũ eam ipsam sententiam esse, quam Lucretius expressit, nisi quod

quòd id, quod breuius à Thucydide dictum est, & idcirco fortasse obscurius, Lucretius uberius, & ita planius explicauit. Nam cum dicit Thucydides, multos, dum his membris priuantur, mortem effugisse, nihil aliud significat, quàm eos mortem metuentes, adhibito Chirurgo, qui scalpello partes illas affectas præcideret, periculum effugisse, & uixisse: participium enim στερισκόμενοι hoc ualet, patientes se priuari à Medico, seu Chirurgo. Hæc Lambinus. Hieronymus Mercurialis uar. lect. lib. 3. cap. 12. profitetur se esse huius sententiæ auctorem, & quasi uidetur dolere, quòd Lambinus, nulla facta sui mentione, eam secutus sit, de qua se ad Victorium litteras dedisse scribit, eumq; cum ad hoc non rescripserit, cæteris rebus dato responso perhumaniter, non improbasse suam opinionem arguit: cuius totum caput hic libet recitare: Petrus Victorius, uir ætate nostra cũ ob rarã eruditionem, tum ob incredibilẽ probitatem omnibus admirandus, in ijs, quos postremo Variarum lectionum edidit, libris, cogitandũ proponit, an ea Thucydidis uerba, καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφυγον, à Lucretio exactè sint interpretata his uersibus:

Et grauiter partim metuentes limina lethi
Viuebant, ferro priuati parte virili.

De qua re cum iam diu ipsi sententiam meam per literas Roma significassem, humaniter sanè nonnullis alijs rebus, quæ in ipsis continebantur, responsum dedit, de hac verò nullum quidem verbum fecit: ob quod ratus opinionem meam saltem ab illo improbatam non esse, hic ponere non timebo. Homines enim vitam membris, dum periculum conspiciunt, præponere, nemo est qui neget. Porrò medicos in pestiferis morbis (qui facilè, nisi compescantur, & serpendo sese in viscera propagare, & inde citò iugulare solẽt) ferro atque igne, vt statim virus de corpore tollant, crebrò vti, clarum esse cuique puto. Itaque verisimilius fit, in ea sæuissima peste à Thucydide descripta, homines, ne perirẽt, genitalia lue pestifera iam corrupta sibi amputanda ferro præbuisse, quàm permisisse, vt emortua sponte caderent. Rarum planè est, vt pestis aliquod membrum depascens sponte desinat, nisi medicamentorum opera coerceatur; quod tanto minùs in partibus genitalibus euenire putandũ

 est;

est; nimirùm quæ malè affectæ, ob viciniam & συμπάθειαν ceteris visceribus affectiones suas facilè impertiunt. Quando igitur Thucydides illos genitalibus priuatos euasisse narrat, secundum medicos necessarium propè est intelligere, quòd ferro illa abscinderent, neque finerent morbum intimius penetrare, necareq; : vt euenisset, si partes à peste infectæ atque corruptæ, vt sponte sua deciderent, expectassent, neque statim à sanis eas disiunxissent. Accedit his luculentissimum Gal. testimonium, qui Comm. 3. ad 3. Hipp. Epid. tex. 26. exponens quomodo Hippoc. scribat in ea pestifera constitutione grauissimum malum fuisse, vbi vel inflãmatio, vel sacer ignis pubem & pudenda vrgebant, inquit: Hos morbos etiam citra pestem ita interdum ea membra putrefacere, vt ipsa præcidere cogamur, atque vrere. Ergo Lucretium commendare potiùs debemus, qui breuitati ac obscuritati Thucydidis claritatem afferre, nec non eam pestem diligentiùs describere voluit. Hanc nostram sententiam Lambinus quoque in suis postremò ad Lucretium editis commentarijs, nulla nostri mentione facta secutus est.] Eandem sentẽtiam sequitur Iordanus tract. 2. de pestis phęnom. cap. 6. vbi ait, adeo enim praua malique moris erant vlcera, vt partes occupatas eroderent, neque serpigo cohiberi prꝫterq̃ membri abscissione potuit, vnde genitalibus exsectis, oculis excauatis, pedibus, manibusq; truncatis vitam Thucydidis tempore redimebant ac.

Viuebant ferro priuati parte virili,
Et manibus sine nonnulli, pedibusque manebant,
In vita tamen, & perdebant lumina partim.

Colligi potest ex historia Critonis 3. in Epi. cui pustula nigra in talo apparens mortem biduo accelerauit, quod malignitati potius, quæ siderationem momento peperit, quam loci angustiæ, qui minime capax fuerit recipiendę tãtæ materiæ, eò excussæ, tribuendũ uidetur. ingẽtis itaq; putredinis documentum est, vel hoc, quòd nullam nisi per rescissionem curationem receperint, & cum nullo alio succurri posset remedio, ad mutilationem uentum fuit. Ego vero puto vtrumque posse intelligi, & quod sponte naturæ, ut dicit Hippo. aliquibus illa membra deciderint, & quod aliqui et adhibito medici cõsilio ferro secarint, ut sanas partes seruarent

rent. Galenus etiam in 3. de vsu partium cap. 5. meminit cuiusdam pestis, quæ in summos pedes putrefaciendo grassata est, unde illis destituebantur, & uti baculo cogebantur deprehensi, probans enim pedem esse instrumentum, quo firmatur corpus, ait, πεῖραν δ' ἱκανὴν τοῦ λεγομένου δύο περιστάσεις πραγμάτων ἔναγχος γεγενημένων παρέσχηντο, ὅτε λοιμὸς ὁ πολὺς κατασκήψας εἰς ἄκρους τοὺς πόδας, καὶ ἡ τοῦ περὶ τὸ κορακίσιον τῆς παμφυλίας ὠμότης λῃστοῦ, ὁ μὲν γὰρ λοιμὸς ἀπέσηπεν, ὁ δὲ λῃστὴς ἀπέτεμεν ἄκρους τοὺς πόδας, ὥστε χωρὶς κοντῶν ἀδυνατεῖν βαδίζειν τοὺς οὕτω δυστυχήσαντας, idest, amplum uero testimonium, & fidē eorum, quæ dicuntur duo casus rerum, quæ nuper euenerunt, nobis dederunt, pestis nempe, quæ magna ex parte in summos pedes desæuijt, & latronis cruditas circa Coracisium Pamphyliæ, pestis enim putrefaciebat, prædo secabat summos pedes, ut sine baculis nō possent ambulare, qui in huiusmodi infortunium delati essent: simile quiddā narrat de peste sui temporis Petrus Parisus, qui testatur in hanc sententiam, ita Italico sermone (hoc enim scriptus liber.) *Alla maggior parte de detti infermi nacquero certe macchie grande, liuide, & oscure sotto la giontura dell'vno, & l'altro ginocchio, ch'abbassauano insino alla polpa della gamba, le quali ritrahendo i nerui, rimaneuano le gambe abbreuiate, & conuulse, & le dette macchie erano cosi dure, & essicate, che pareuano quelle parte esser state abbrugiate, & cotte dal fuoco, ò per vn longo tempo secate al Sole, restando stupide, priue di senso, & mortificate, come suole accadere nelle cancrene confirmate*. Simile quiddam de pestilentia boum narrat Columella de Radicula, quod helleborum nigrum dicunt, uerba faciens. Vsus eius traditur talis, ænea subula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita ut manante sanguine tamquā o litteræ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus, & ex superiori parte auriculæ cum factum est, media pars descripti orbiculi eadem subula transuitur, & facto foramine prædicta radicula inseritur, quam cum recēs plaga comprehendit, ita continet, ut elabi non possit, in eam deinde auriculam omnis vis morbi, pestilensque virus elicitur, donec pars, quæ subula circumscripta est, demortua excidat, & minimæ partis iactura caput conseruatur.

Vigesimū septimū sympto-ma pestis oculorū amissio, & cęcitas

εἰσὶν δ' οἱ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν. Sunt qui etiam oculos amiserunt.] Hippocrates læsorum oculorum facit quidem men-

tionem, & deprauati visus, sed non tamen amissorum oculorũ cont. enim. 48. ita ait, ὀφθαλμίαι ὑγραὶ, μακραὶ, χρόνιαι μετὰ πόνων, ἐπιφύσιες βλεφάρων ἔξωθεν, ἔσωθεν, πολλῶν φθείροντες τὰς ὄψιας, ἃς σῦκα ἐπονομάζουσιν, idest, lippitudines humidæ longę, diuturnæ, cum laboribus, germinationes palpebrarũ extra intus, multorum perdentes visum, quas ficus nominãt. Galenus in Commentario id euenisse dicit propter humoris abundantis nimiam copiã, περιουσίαν, duplici cõstantem differentia crassitie, & tenuitate, quæ sunt πάχος, καὶ λεπτότης, hunc igitur superuacaneum humorē dicit delapsum ad oculos humidos genuisse lippitudines, sua tenuitate, crassitie autem germina palpebrarum, quia scilicet fluxio humida, & aquosa parit ophthalmias, crassior vero pars, τὸ παχύτερον, partibus inhærens affectis, ἐμπλαττόμενον, gignit, τὰς ὀχθώδεις ἐπαναστάσεις, idest, tubercula riparum fluuialium modo elata, & insurgentia. Lucretius.

—— —— Et perdebant lumina partim.

Esse vero hanc oculorum amissionem pestis grauissimum symptoma apparet ex illa peste quæ anno salutis 455. ĩ Oriēte grassata est (vt testatur Georgius Agricola in primo de peste) cum Martianus Imperator regnaret, & sæuior quam vnquam vspiam extitit, etenim dicit primis duobus diebus ex vehementi inflammatione oculis homines priuatos, tertio tussi vehementissime conquassatos interijsse: meminit huius symptomatis in peste P. Parisus cap. 2. & coniungit cũ surditate, qualem Hipp. in Hermocrate 3. Epid. 1. cont. 13. & Heropito in 3. eiusdem 3. cont. 80. appellat, κώφωσιν, ita enim scribit. *Hanno di più anco patito i nostri infermi due altri graui sintomi, vn tintino d'orecchia, & alle volte surdità, & altri han patito vna caligine, & oscurità ne gl'occhi ch'à lor mal grado non hanno inteso sendo fortemente chiamati, ne hanno veduto quello che si gli presentaua innanzi gl'occhi, lascio stare che doi ò tre sono rimasti ciechi,* idque adscribit venenosæ qualitati vaporum, & humorum, quæ spiritibus animalibus permixta meatibus oculorum adherescens, eorum functiones impediebat. sic Eusebius hist. Eccles. lib. cap. 8. asserit sacris ignibus, & carbunculis ora, pestilentia illa, quam ibi describit correptorum fuisse repleta, ita ut si qui forte ex his mortem effugissent, luminibus orbarentur.

Τοὺς δὲ καὶ λήθη. Quosdam obliuio.] De hoc symptomate,

te,& casu in multis ab illa Atheniēsi pestilentia seruatis frequentem facit Galenus mentionem, & fuit sane memorabilis, quòd sanati, neque se ipsos, neque familiares agnoscerent. in libello quòd animi mores corp.temp. sequant. citat hunc locum his verbis. Cęterum corporis ærumnis affligi animā ac superari in atra bile, phrenitide, ac furore aperte cognoscitur, porrò seipsos quoque, atque propinquos propter morbi vim ignorare (quod & Thucydides multis euenisse in historijs suis memorauit & in pestilenti morbo hac tempestate haud multis antea annis nos quoque fieri vidimus) tale vitium esse uidebitur &c.& de sympt. diff.c.7. vbi ait agens de symptomatis læsæ animalis facultatis, ὅτι δὲ καὶ περὶ τὸ μνημονικὸν τῆς ψυχῆς γίνεται συμπτώματα, καὶ νοσοῦσιν ἔτι, καὶ ἤδη πεπαυμένοις τῶν νοσημάτων τοῦτο μὲν καὶ παρὰ Θουκυδίδου μαθεῖν ἔνεστι, ἐνίους τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ λοιμοῦ, μέχρι τοσούτου τῶν ἔμπροσθεν ἁπάντων ἐπιλαθέσθαι λέγοντος, ὡς μὴ μόνον τοὺς ἰδίους, ἀλλὰ καὶ σφᾶς αὐτοὺς ἀγνοῆσαι, idest, Quod vero & circa memoratiuam animæ partem fiant symptomata, & adhuc ægrotantibus, & iam sanatis, hoc licet etiam apud Thucydidem cognoscere, qui dicit quosdam ex peste illa seruatos usque adeo omnium, quæ præcesserant, fuisse oblitos, ut non solum familiares, sed se ipsos ignorarent, & in 2.de sympt. causis capit.7. ὦπται γὰρ οὐκ ὀλιγάκις ὡς εἰς ἀπόστασίν τινὰ κατασκήψαντα νοσήματα μώρωσιν, ἢ λήθην ἐπήγαγεν, ἐνίους γοῦν καὶ γράμματα καὶ τέχνας τελέως ἐπιλαθομένους ἐθεασάμεθα, καὶ μηδὲ τῶν σφετέρων ὀνομάτων μεμνημένους, ὁποῖον καὶ ὁ Θουκυδίδης φησὶν ἐν τῷ λοιμῷ συμβῆναι, τινὰς γὰρ τῶν διασωθέντων ἀγνοῆσαι σφᾶς τὲ αὐτούς, καὶ τοὺς ἐπιτηδείους. animaduersum enim est non raro quòd in abscessum quendam erumpentes morbi stultitiam, aut obliuionem induxerunt, nonnullos igitur & literas, & artes oblitos vidimus, neque suorum nominum memoriam retinentes, vt & Thucydides dicit in peste cōtigisse, quosdam enim ex illa seruatos ignorasse seipsos, & familiares, meminit huius in hac peste obliuionis etiam Hipp.3.in 3.Epid.cont.37.quam tamen non post, sed sub accessiones ipsas dicit contigisse. περὶ δὲ τοὺς παροξυσμοὺς λήθη καὶ ἄφεσις, καὶ ἀφωνίη, sub accessiones obliuio & languor, & vocis defectus, vbi Galenus in Commentario, καὶ ἡ λήθη σαφής ἐστι καὶ δέδεικται πολλάκις ἐκ τῶν ὀλεθρίων οὖσα, idest, & obli

Vigesimū & octauū sympto-ma pestis obliuio.

uio manifesta est, & demonstratum est sæpius ex signis exitialissimis vnum esse; sic in prorrheti. 2. 30. necnon cont. 6. vbi eisdem verbis dicitur, μετὰ ῥίγους ἄγνοια κακόν, κακὸν δὲ καὶ λήθη, post rigorem ignorantia malum, malum etiam obliuio, vbi Galenus in Commentario, νενικῆσθαι δηλοῖ τὴν ἔμφυτον θερμασίαν ὑπὸ τ κατὰ τὸ σύμπτωμα ψύξεως ἡ μετὰ ῥίγους ἄγνοια, καὶ λήθη, idest, victum ostendit innatum calorem a symptomatis perfrigeratione post rigorem facta ignorantia, & obliuio, meminit etiam Lucretius his versibus.

Atque etiam quosdam cœpere obliuia rerum.
Cunctarum, neque se possent cognoscere, vt ipsi.

Diodorus Siculus Biblioth. lib. 14. de Peste Carthag. commemorat quosdam actos in furorem, & in rerum omnium obliuionem incidisse in ea peste, τινὲς δὲ ἐς μανίαν, καὶ λήθην τῶν ἁπάντων ἐπιπτον. Legimus quidem apud ueteres quosdam fuisse obliuione correptos artium, & litterarum absque etiā morbo, ut de Hermogene narrant, quem totius Græciæ in adolescentia fuisse præstantissimū Sophistam tradunt, post decimumoctauum annum omnia repente oblitum vsque ad octuagesimum vixisse omnium ignarum, sic superiori ætate euenisse Trapezuntio tradunt, sed ingrauescenti iam ætate, & senio. Orbilium vero Grammaticū sui etiā nominis oblitum ferunt. Plinius lib. 7. cap. 22. ita de memoria tradit. Nec aliud est æque fragile in homine, morborum, & casus iniurias, atque etiā metus sentiens aliàs particulatim, aliàs vniuersa. Ictus lapide oblitus est litteras tantum. Ex præalto tecto lapsus matris, & affinium, propinquorumq; cœpit obliuionem: alius ægrotus, seruorum etiam. Sui vero nominis oblitus Messala Coruinus Orator. Simplicius facit in Cōmen. prędicamēti qualitatis mentionem cuiusdā, qui morbo amisit scientias, quod etiam ex pharmacis dicitur contingere, vt in exercitu Antonij contra Parthos euenit ex esu herbę maleficę, vbi citat Arrianum, sed legendum Appianum, qui id narrat in Parthico bello, vbi dicitur eos, qui herbā edisset, nihil meminisse amplius, neq; cognouisse. ὁ γὰρ φαγὼν οὐδὲν ἐμέμνητο τῶν ἄλλων, οὐδὲ ἐγίνωσκε. Mentionē huius casus, & accidentis in pestilentijs facit etiam Ioubertus, qui omnia colligit indicia pestis, cap. 8. vbi hæc omnia à Thucydide paulò ante relata, in vnum quasi fasciculum

 conie-

conjecta proponit, & rationem reddit euentus. Cæterum, inquit, quando sæuior est pestilentia, emergunt rari nantes in gurgite vasto, atque his paucis salus magni constat. Alij enim excæcantur, alij obsurdescūt, alij rigent, & contrahuntur. Sunt quibus extremi pedes, manus, aut pudenda omnino pereunt: quidam lymphatici manent, huc atque illuc assidue discurrentes: quidam prorsus, amissa memoria, omnium rerum obliuionem patiuntur, adeo vt ne seipsos quidem agnoscant, si Thucydidis testimonio fides est adhibenda: quod etiam Galeno placere videmus. Paucissimi nulla tam atrocis mali vestigia referunt, quia infeliciter curantur ægri, partim penuria, partim incuria, aut inscitia Medicorū Chirurgorum, vel (quod omnium frequentissimū est) ægrotantium ipsorum, vel assidentium culpa, vel rerum necessariarum defectu. Qua vero ex causa deperdatur memoria, si Galeno assentimur, erit frigida intemperies, qui obliuionē à frigore oriri statuit, sed Loubertus adiungendum putat, si coniuncta sit frigori humiditas. Pituitosus siquidem est omnino succus, qui cerebrum supra modum humectans, & frigefaciens memoratricis vires, & robur eneruat, indicio sunt ætates seniorum, & infantium, qui humoris copia affluente, alteris naturalis, alteris aduentitia, minus valent memoria, & obliuiosi sunt. Idem sensisse videtur Plato, qui dixit, animam omnia scientem, omnium obliuisci, cum in humidissimum fœtus corpusculum sese demittit, ac mergitur. deinceps vero oblitorum recuperare ἀνάμνησιν, idest, reminiscentiam, quanto magis ad siccitatem tendit, & corpus minus humidum redditur exiccatis superuacaneis humoribus. Vnicus ergo pituitosus humor, qui suapte natura frigidus, & humidus, demergit, & obliterat, ac delet impressas memoriæ conceptarum rerum formas, & obliuionem inducit. Sed in hoc magna statim occurrit dubitatio: nam si hinc obliuio proficiscitur, nempe ex frigiditate, & humore, videtur non debuisse id fieri, ac euenire in ea pestilentia, in qua tantus æstus, & incendium dicitur extitisse, primum in capite, mox in pectore, ac toto corpore. Sed facilis est solutio: respondendum enim est, calorem illum, & æstum pestilentem fuisse depastū calidum innatū partium, & humidū primigeniū: quibus cū essent destitutæ partes, & proinde debilitatę,

Qua ex cā amittatur memoria.

imbe-

imbecillesq; redditæ, externo frigori, & excremēto humori fuisse factas obnoxias, & propterea morbo frigido laborasse: ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς, καὶ ἐπιτηδείους, Et non agnoscebant seipsos, nec familiares.] Voluit vtrumq; signum afferre, de quo dictum supra ex Hippocrate, nempe λήθην, & ἄγνοιαν, quæ ex eadem causa eueniunt, nempe perfrigeratione cerebri, sed non in eodem loco: nam ἄγνοια est priuatio, vel interceptio vis animæ communis, quæ per reflexionem perpendit, atque recognoscit speciem rei præsentis, & obiectæ. λήθη vero est illius vis, quæ retinet rerum imagines, & notiones vniuersales, vtrumque malum; sed deterius si ambo cōiungātur, vt mox dicetur ex Galeno: nam victo calore ingenito, non habet amplius cor spiritus, quos suppeditet facultati animali: sed horum loco multi vapores crassi ex violenta irruptione, & repulsione excicati impediunt intellectus reflexionem super species seruatas, & oblatas: & ideo neque illi agnoscunt præsentia, neque isti memoria retinent præterita. Quare cum, vt quasi Philosophus innueret vtriusque symptomatis discrimen in diuersitate facultatis positum, & etiam loci, quem primus Auicennas videtur assignasse singulis, nempe alteri priorem ventriculum, alteri posteriorem, tū vt vtriusq; coniunctionem, quasi Medicus ad mali vim exprimendā indicaret, simul hæc duo coniunxit: nam (vt præclarè Galenus in Commentario, 30. Aphorism. in 2. Prorrhet.) ἐμάθομεν ὅτι καὶ τὸ μὴ γνωρίζειν τοὺς συνήθους, καὶ τὸ μὴ μεμνῆσθαι τῶν πεπραγμένων ἐπὶ τῇ κατὰ τὸν ἐγκέφαλον γίνεται ψύξει, καὶ πρόδηλον ὡς ἑκάτερον, καὶ καθ' ἑαυτὸ μοχθηρὸν ἐστὶ σύμπτωμα, καὶ εἰ ἄμφω γένηται διπλασίως ἄτοπον, id est, Didicimus, quod & non agnoscere familiares, & non meminisse rerum gestarum ex perfrigeratione fit cerebri, & manifestum, quòd vtrumque & per seipsum est malum symptoma, & si ambo fiant, dupliciter malum.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Γ Ενόμενον γὰρ κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου τά τ'
ἄλλα χαλεπώτερος ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν
προσέπιπτεν ἑκάστῳ, καὶ ἐν τῷ δὲ ἐδήλωσε μάλιστα ἄλλό
τι ὂν ἢ τῶν ξυντρόφων τι, τὰ γὰρ ὄρνεα, καὶ τετράποδα
ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων ἢ
οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενα διεφθείρατο. τεκμήριον δὲ τῶν
μὲν τοιούτων ὀρνίθων ἐπίλειψις σαφὴς ἐγένετο, καὶ οὐχ
ἑωρῶντο οὔτε ἄλλως, οὔτε περὶ τοιοῦτον οὐδέν.

THVCYDIDES.

CVm enim genus morbi esset maius, quā ratio
cinatione cōprehendi posset, & in alijs rebus
acerbius, quam humana pati natura posset, inuasit
vnumquemque, & in hoc potissimum significauit
se quiddam maius esse malum, quàm ea sunt, quæ
solent homini cōtingere: Aues enim, & Quadrupe
des, quæcumque hominum carnes attingunt, cum
multa essent insepulta cadauera, vel ad ea nō acce-
debant, vel si gustassent, moriebantur. Validoq;
meum dictum argumento confirmant, quòd scili-
cet manifestus erat auium huiusmodi defectus, &
neque visebantur vsquam alibi, neque circa tale
quicquam.

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

ENVMERAVIT sæuissima pestis debacchantis, ac sæuientis in humana corpora, symptomata, neque solum ea, quæ inuexit in tres præcipuos ventres, siue spacia, quibus vitæ humanæ tria quasi principia, & elementa cõtinentur, quibus labefactatis, atque conuulsis vitã in discrimine versari necesse est: uerum etiam illa, quæ importata sunt ab hac lue ipsis extremis, & artubus, in quibus cum nullum uitæ amittendæ, nisi per consensum, sit periculum, minus uidebatur esse formidandum, cumq; & in his, & in illis acerbissima mala, & casus penè incredibiles accidissent, ut ueritati suæ historiæ fidem accerseret, ac compararet, seq; non amplificandi causa quicquam auxisse, sed rem ipsam, prout se haberet, sincere pronunciasse ostenderet, tãtarum in hac peste turbarum, ac casuum inopinatorum, ac nouorum causam exponit, eamq; confert in morbi ipsius nouitatem, ac insolentiam, quæ non solum morem, ac consuetudinem aliarum pestilentiarum excessit, sed uicit etiam hominum, non dicam expectationẽ (quæ in malis ob timorem solet esse semper magna) sed cogitationem, ut ne cogitando quidem assequi, nedum patiendo sustinere illius crudelitatem, ac nouitatem posset humana natura, quam etiã ab exemplo ferarum, & alituũ arguit fuisse maximã, & longe inimicam humanæ naturæ, ac uitæ mortalium, cum illæ etiam, quæ instinctu naturæ ad humanæ carnis, & cadauerũ deuorationem sunt maximè propensæ, illa proiecta non attingerent,

tingerent, ſed longe refugerent, quippe quę non rationis du ctu, qua carent, ad euitandum periculum impellerentur, ſed inſolita quadam ui ipſius peſtilētiæ ſeſe manifeſtiſſimis prodentis argumētis, ipſis quoque brutis conſpicuis, atque perſpectis, deterrerentur non ſolum ab eſu proiectorum corpo rum, ſed etiam ab acceſſu, cum ſcilicet longe etiam ab ipſa regione receſſiſſent, neque ullum huiuſmodi animal ſiue pennatum, ſiue dentatum conſpiceretur, quòd ſi quid forte fortuna inter ipſa bruta magis fuiſſet audax, ac temerarium, quod fame, alijsve furijs agitatum attigiſſet, ſtatim audaciæ pœnas dabat, & extinguebatur vi ueneni deleteria ſubito confectus, atque proſtratus.

Κρεῖσσον λόγου, Maius ratiocinatione.] Hæc uerba ſignificant ſuperaſſe graſſantis morbi uim fidem hominum, & cogitationem, vel etiam tam fuiſſe ingentem, ut uerbis exprimi, & oratione nō poſſet. Boccacius uidetur ſic expreſſiſſe: *Horribilmeute comminciò i ſuoi doloroſi effetti; & in miracoloſa maniera à dimoſtrare:* miracula enim ſuperant humanæ credulitatis captum. Sic Ouidius miraculo aſcribit quod recitat hic Thucydides de cadaueribus illæſis, & intactis à feris, & alitibus:

Mira loquar, non illa canes, auidæq; volucres
Non cani tetigere lupi, ———————

Ingraſſias par. 4. c. 9. citans hunc locum, materna lingua ita expreſſit: *Era più grande, che non ſi poſſa eſprimere, & più acerbo, che la natura humana non poſſa tolerare.* Vel etiam ſignificare hæc poſ ſunt uerba, quòd adeo eſſet hoc morbi genus inſolens, & malignum, ut omnia medicamenta ratione, & artis præſidio inuenta, ac excogitata ſuperaret, qui mos eſt maxime peſtilentium morborum, & qui dicuntur à tota ſubſtantia, ut mox dicetur.

Τῷ δὲ, In hoc.] τῷ ῥηθησομένῳ, ideſt, quod dicetur.

Τῶν ξυντρόφων τι, Quæ ſolent homini contingere.] Plutarchus in 8. Sympoſiacorum, cap. 9. ubi diſputat de nouis mor bis, qui in nobis oriuntur, ex tanta ciborum, & facultatū in nobis ſitarum uarietate probat, uel hoc Thucydidis teſtimo nio ſolere in nobis gigni νοσήματα καινὰ, καὶ ἀσυνήθη, ideſt, mor bos nouos, & nō conſuetos: οἷον ὁ Θουκυδίδης ἱστορεῖ τὸν Ἀθήνησι λοιμὸν γενέσθαι τεκμαιρόμενος αὐτοῦ τὸ μὴ σύντροφον τῷ τὰ σαρκοφάγα μὴ γεύεσθαι τῶν νεκρῶν, ideſt, Vt Thucydides narrat eam,

quæ Athenis grassata est, fuisse pestem, hoc argumento con iectans illius nouitatem insolitam, quòd carniuora animantia mortuos non degustarunt. Lucretius elegantissimè huius rei facit mentionem. Inquit enim:

Multaq; humi cùm inhumata iacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus, atque ferarum,
Aut procul absiliebat, vt acrem exiret odorem,
Aut vbi gustarat, languebat morte propinqua.

Vbi etiam videtur causam significare, cur non accederent feræ, & rapaces aues ad illa corpora, quòd scilicet odore offenderentur. Quam causam attigit etiam Græcus Scholiastes, qui interpretans illud verbū οὐ προσῄει, non accedebant, ait, ὥσπερ ἀπὸ τῆς ὀσφρήσεως γινώσκοντα, ὅτι λοιμώδη ἐστὶ τὰ σώματα, idest, tanquam ea, quæ ab odore cognoscerent, quòd pestilentia correpta essent illa corpora. Cui etiam causæ adscribi illud potest, quod narrat Plinius lib. hist. 2. cap. 63. qui dicit veneno necatos non attingi à feris, & volucribus: nam veneni à terra producti ad hominum vtilitatem, extollens, atque recensens commoda, hoc quoque narrat. Miserta genuit id, cuius facillimo haustu, illibato corpore, & cum toto sanguine extingueremur, nullo labore sitientibus similes. Quo taliter defunctos non volucres, non feræ attingerent, terræq; seruaretur, qui sibi ipsi perijsset, quod etiam recenset Mercurialis in libro de venenis, citato hoc ipso Plinij testimonio, qui omnes à Nicandro videntur accepisse, qui in libello de Theriaca testatur à serpentibus demorsa cadauera à feris non attingi, & præcipuè de Basilisco, à quo ictum corpus dicitur, neque coruos, neque volucres attingere:

Οὐδέ τις οὐδ' οἰωνὸς ὑπὲρ νέκυν ἴχνια τείνας
Αἰγυποὶ γῦπές τε κόρακές τ' ὀμβρήεντα κρώζων
Οὐδὲ μὲν ὅσσα τε φῦλ' ὀνομάζεται οὔρεσι θηρῶν
Δαίνυνται, τοῖσιν περὶ ἀυτμὴ δεινὸν ἐφείη. idest,

Non auis vlla volans extincta cadauera supra
Vulturij, aut Aquilæ, aut crocitans per nubila Coruus,
Non fera præruptis quæcumque in montibus errat,
Gustet, ab extinctis tam se grauis halitus effert.

Ad quod illud quoque facit, quod recenset Aristoteles in libro de admirandis, vbi dicitur circa Scytharum, & Medorū dictam regionem locum esse viginti ferè stadiorum spacio, qui

qui hordeum producit, quo homines quidem vescuntur: equi vero, & boues abstinent, imò sues etiam, & canes excrementa hominum, qui mazam, aut panem ex hordeo illo comederint, auersantur tanquam mortis periculo: persentiũt enim odoratu sibi inimicum venenum. Liuius Dec. 5. lib. 1. idem notat de peste illa, quam describit. Cadauera, inquit, intacta à canibus, & vulturibus tabes absumebat. Significat vero in hoc verbo Thucydides, adiuncta particula negandi μὴ ξυντρόφων per ἰσοδυναμίαν, quę Latine à Barbaris dicitur æquipollentia, illius contrarium, quod est ἀπότροφον, quod est τὸ μὴ τρόφιμον, id est, ab alendo alienum, hoc est, venenum, quod opponitur alimento: nam σύντροφος fit à τρέφω, quod est nutrio: solum vero venenum nutrire non potest. Etenim uincit naturam, non uincitur ab illa, aut alteratur, quamuis id etiam vi consuetudinis fieri posse contendant nonnulli, allato exemplo puellæ Napello nutritæ apud Auicennam, & aniculæ Galenicæ, quæ cicuta alebatur: de quo tamen magna est controuersia. Sicq; ferè omnes medici interpretantur hunc locum; quare Sabellicus rectè, conuertens hunc locum addidit, manifesto argumento maleficij, ac veneni, quod in morbo fuit. Sic Alexander Benedictus de hac peste loquens, & recitans Thucydidis sententiam, ait: In ea enim nescio, quid veneni inerat prȩter consuetudinem, in qua nullum remedium idoneum repertum est, quod quis diceret vtile fore, si offerretur. Hinc uero, arbitror, acceperunt pestilentium morborum diuisionem docti quidam medici diuidentes illos in pestilentes consuetos, & pestilentes insolentes: cuius meminit Petrus Forestus lib. 6. obseru. 1. Sch. nam illud τὸ μὴ ξύντροφον videtur hoc etiam significare insolens, & prȩter morem, cuiusmodi apud Hippocratē esse dicuntur in Thaso paraplegia lȩtalis, & insueta, grauedines anhelosȩ, &c.

ἄλλό τι ὂν ἢ τῶν ξυντρόφων. Aliud quid esse quam consueta. Altius hoc loco mihi videtur subire Thucydides, & in ipsa artis medicæ penetralia nescius, & ignotus permeare, cum enim dicat pestilentiam hanc fuisse quid maius malum, & diuersum à consuetis, & naturalibus, uidetur nos reuocare ad morbum formæ, quem vocant à tota substantia Græci, κατὰ τὰς ὅλας οὐσίας, & indicare pestilentiam ex eo esse genere, de quo maximæ sunt inter medicos controuersiæ: nam

An pestilentia sit morbus à tota substantia.

in

in communi medicorum schola tria tãtum habentur morborum genera, quæ nos docuit Galenus in arte medica, & multis alijs in locis, nempe ex intemperie, ex mala compositione, & soluta vnitate, quæ sola genera esse ueros morbos multi contendunt, neque dari quartum hoc genus à tota substantia volunt, his freti argumentis, quòd omnis nã morbi, aut est partium primarum, & similarium, quæ dicuntur ὁμογενεῖς, & sic posita est in temperamento, & crasi, aut est organicarũ, & posita in conformatione, numero, & situ, aut communis vtrisque & sic posita in soluta vnitate, quorum in numero fuit etiam Alexander Massaria, qui nuper obijt Patauij vir doctissimus, & alij complures, sed contra non defuere viri longe doctissimi, qui in Hippocratis, & Galeni doctrina, quartum hoc morborum genus inueniri testati sunt, & demonstrarunt, cuius opinionis antesignanus, & propugnator est Fernelius medicorum, qui nostra memoria floruere elegantissimus, qui lib. 2. de abditis rerum causis c. 10. pluribus ostendit dari hoc morborum genus, sub quo collocat omnes occultos morbos venenatos, contagiosos, & pestilentes: Fallopius addit etiam maleficos, & fascinationes, qui quidem Fallopius quasi alter Achilles, ac propugnator aggreditur tueri hãc opinionẽ, & in tractatu de morbo gallico, quem esse ex hoc genere profitetur, Alex. Petronio contra repugnante, multis probat argumentis à Galeno cognitum, & nominatum hoc genus, duasq; affert causas, quibus Galenus superioribus in locis in diuisione morborum non adhibuerit, aut fecerit horum mentionem, primam, quòd ibi methodum medendi instituebat, hi vero non cadũt sub ratione methodi, alteram, quòd rarum est hoc morborum genus, & ideo proposuit frequentia tantum: tria vero signa proponit cognoscendi hoc genus, primũ: quia non cedit alicui medicamento inuento ratione, quod maximè in pestilentia apparet, quod fortasse uoluit significare Thucydidis in uerbis illis paulo ante positis de hoc morbo, quòd esset, κρέισσον λόγου, potentius ratione, ut supra dictum est, quia, scilicet non cederet inuentis ratione, & arte medicamentis. Secundum longã obseruationẽ doctorum hominũ partim vsu, & experientia, partim ex historijs, & scriptis aliorum. Tertium, quòd determinate vnumquodque partem aliquam

aliquam principem afficit, ut pestilentia cor, gallicus hepar, quod tñ negãt multi, & potissimè Mercurialis, qui facit Gallici subiectũ spiritus naturales. Tertius propugnator est Argenterius, qui 2. li. de causis morborũ, & alibi hanc sententiã maximè tuetur, & hi nouatores appellantur à Massaria, cõtra quem postremo excitatus etiam est Gherardus Colũba Messanensis, qui lib. 1. c. 31. disputat omnino dari morbos à tota substãtia, & Marcelli Capræ simul ac Massariæ reijcit opinionem, caninamque rabiem ab illo in intemperie calida, & sicca collocatam esse morbum probat à tota substantia.

Dici præterea hoc loco potest Thucydidem per hæc uerba, ἄλλο τι ἢ τῶν συντρόφων, innuere, & significare illud diuinũ, τὸ θεῖον, quod Hippocrates 3. progn. 4. iubet obseruandum maxime medicis, in morbis, ut præclaros se se ac admirabiles præstent, quo loco Galenus interpretatur ambientis aeris conditionem, non eam, quæ in primis qualitatibus, sed multo præstantiorem, & occultiorem, quæ est uis quædam deleteria, & uenenum toti nostræ substantiæ prorsus infensum, quod cum nec calore, nec frigore, nec odore, nec colore deprehendi, dignosciq; possit, rectè cœcam vim appellatam dicit Fernelius, & inde profectos morbos cæcos: hanc esse illam morbidam excretionem idem testatur, qua totũ aerem conspersum dicit Hippocrates. 2. de nat. humana. 3. νοσηρήν τινα ἀπόκρισιν ἔχον: & in 3. prognosticorum dicit uocari φορὰς τῶν νοσημάτων ἐπιδημευόντων, idest, superuenientium morborum impetum, seu, ut communis habet uersio, vulgariter grassantium, nam cum ibi iubeat hæc considerare, & tenere præterea, τῆς ὥρης κατάστασιν, idest, temporis cõditionem, duo explicate, & distinctè designat nempe tẽpestatum, primarumq; qualitatum constitutionem, quæ plana & manifesta, & superuenientium, ac uulgarium morborum impetum, cuius causa est abditior, & ignota, ac obscura, nulloque sensu comprehendi potest, & ideo admirabilis, ac diuina appellata, quæ omnia refert etiam Gherardus Columba lib. 1. cap. 31. dissimulato tamẽ nomine Fernelij, unde hausit. Massaria lib. 1. de peste uidetur hanc sententiã non improbare, cum uertat locum hunc Thucydidis his uerbis: hac in re declarauit se aliud quippiam esse portentosum,

tosum, & extra ordinem quoniam,&c. Hanc etiam opinionem videtur probasse Ioannes Iuuenis in epistola ad Philippum Brackelemium de medic. Bezoardicis,vbi refutare videtur Ficini definitionem, qui dixit pestem esse venenosum quendam vaporem in aere, qui spiritui vitali omnino aduersetur: vbi post multa ad hanc Thucydidiam pestem accedit his versibus recitatis.

Qualis erychthonios pestis populata colonos,
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum fata ruebat.

Hæc mortifera clades ex remotissimis locis propagata, Athenas tandem profecta est,qua homines cateruatim moriebantur, initium enim fecit primum (vt ait Thucydides rerum gestarum syncerus pronuntiator & grauis) ex Aethiopia ea,quæ est supra Aegyptum,deinde etiam in Aegyptum permanauit,quam nullum animal virus faucibus suis eiaculans, halitu aerem polluens, nullaque putredo sublunaris peperit, sed quædam veneni forma cælitus in aerem deriuata, quæ humano generi tota sua substantia exitialis fuit, illa per nares, & arteriam tracheam se se in cor insinuans, per aliosq; corporis meatus intro subiens, vitæ receptaculum obsedit,& demolita est, vbi etiam videtur constituere pestē ex genere morborū à tota substantia,de quo diximus, quod ibidem mox etiam significat comparans pestem cum morbis à causa manifesta, quæcumq; enim taliter agunt, eorū euidens, & vulgaris est causa, cum formæ pestiferæ aduentus nullo sensu se prodat, inuisibilis sit, & ignoretur, solaq; meteoroscopica possit indagari, furtim enim & latenter ingruit, eiusque improuisum est telum, & priusquam sentiatur, ferit,& paucis interiectis rursus ait, specifica sua spirituali,ac uenenata forma cordi se imprimit.

Vel fortasse innuere & significare voluit Thucydides per hęc verba non esse morbum hunc naturalem, idest, sponte factum, aut vlla causa naturali, sed diuinitus immissum & dæmonum opera inuectum, atque importatum, in quam opinionem venisse Athenienses narrat sub finem, arbitratos Apollinem ex oraculi responso pollicitum se fore Peloponnesijs in bello adiuutorem,immissa pestilentia id pręstare. Apollo autem fuit dæmon, ut etiam asserit Steuchus in

An pestis Atheniēsis fuerit à Dęmone immissa.

expli-

explicatione Psalmi 91. constat vero à dæmonibus inuehi sæpe, & importari pestilentias, vt illam Procopij & alias cõpertum est, de qua Procopius ita, φάσματα δαιμόνων πολλοῖς ἐς πᾶσαν ἀνθρώπου ἰδέαν ὤφθη, ὅσοι τε αὐτοῖς παραπίπτοιεν, παίεσθαι ᾤοντο πρὸς τοῦ ἐντυχόντος ἀνδρὸς, &c. spectra dæmonum ad omnem humanam speciem multis occursabant, & quicumque in eos incidissent, cœdi ab eo, quem obuium habuissent, se putabant &c. & Porphyrius ipse testatur dæmones esse pestilentiarum auctores, qui de illis verba faciens, de abstinentia animalium, ita ait, αὐτοὶ γίνονται τῶν περὶ τὴν γῆν παθημάτων οἷον λοιμῶν, ἀφοριῶν, σεισμῶν, αὐχμῶν, καὶ τῶν ὁμοίων, idest, ipsi auctores sunt, quæ in terra accidunt, passionum, vt pestilentiarum, sterilitatum, terræmotuum, siccitatum, & similium: quare Ionathas in sacris literis (vt supra dictum est) vocauit sagittas angeli mortis, pestilentiam, & in sacra historia in castris Assyriorum centum octuaginta millia ab angelo interfecta, pestilentia perijsse boni auctores Hebræi & nostri confitentur, ut testatur etiã Steuchus, qui cędẽ quoque illam ab Angelo factam, quam vidit Dauid, fuisse pestilentiam autumat. In nostratibus quoque pestilentijs visus est cacodęmon veru domos percutere, & quot ictibus fores impegisset, tot inde elatos mortuos pestilentia. Verbum porrò hoc, est Hippocraticũ, quo vtit̃ in libro de aere, locis, & aquis, quem citat Galenus in Comment. in 1. Epidem. τοῦτο μὲν τὸ νόσημα αὐτέοισι ξύντροφόν ἐστι καὶ θέρεος καὶ χειμῶνος, idest, hic morbus familiaris ipsis est, & æstate, & hieme, latinus interpres vertit collactaneus, apud Galenum, loquitur vero ibi de morbo edacitatis, & siticuloso, ob vsum aquarum.

Γευσάμενα διεφθείροντο. Vbi gustassent moriebantur.] Vel hoc Thucydidis testimonio refutatur quorundam hominum opinio, qui arbitrantur pestis contagionem ab uno animãtium genere ad aliud non transire, & præsertim ab hominibus ad bruta, vel contra à brutis ad homines: nam licet non eam inficias interdum contingere pestilentias, quæ vnam tantum speciem animantium lædant, vt luce meridiana clarius ex historijs, & experientia comprobari potest: tamen datur etiam communis omnibus animãtibus pestis, & potest ab una specie ad aliam propagari, & ab hominibus in bruta, & ab his in homines contagione vulgari, qđ

An ab vno aĩantiũ genere ad alia transeat pestis.

Aaa viden-

videtur omnes medici sentire, ut Paulus, Aetius, Auicenas, & alij, qui inter signa pestis referunt, si sit orta ab aeris corruptela, auium primo interitum, si à terra terrestrium: quare optime nuper nostrum collegium Physicorum Venetorum, cum esset consultum ab illustriss. tribus viris, qui sanitati retinendæ præsunt, de cõtagione animantium, quæ passim in his regionibus contagio uulgato interibant, respondit interdicendum omnino usum carnium, & etiam contactum pellium huiusmodi esse prohibendũ, licet enim nullum adhuc testimonium adesset, eam contagionem in homines manasse, posse tamen tempore analogiam ad humanam speciem inficiendam comparare, & cum huius nostri consilij mandassent scriptis consignare causas & firmamenta, quibus in hanc sententiam impelleremur, ego, qui hoc anno ipsi collegio prçsum præter cæteros, qui idẽ prçstitere, nempe consiliarij duo, & unus ex tribus syndicis, ita rẽ omnem breui scripto persecutus sum, quod hic libet uobis recitare totidem latinis uerbis, cum perire lucubratiunculam nostram, quæcumque ea sit, graue sit.

Collegij physicorũ Venetorum responsum datur tribus viris sanitatis.

Mandatũ nobis est à vobis p literas viri illustrissimi, ut causas, & fundamenta exponamus in scriptis, quibus impulsũ nostrum collegiũ superioribus diebus uobis per literas consulentibus de brutis animantibus contagione mortuis, responderit utrumque & usum carnium, & contrectationem quoq; pellium non carere periculo, ne repleantur ui morbi etiam humana corpora, & ideo igne cremanda cadauera; quare dicto parentes dicimus primo ita iudicasse collegium carnes animantium contagione mortuorum esse cauendas, duplici de causa, primo, quia sunt contagiosæ, & in cibum adhibitæ facile possunt fœdare, & ui morbi replere utentes, & licet hactenus inuenti sint audaces aliquot idiotæ, qui illis in cibum vsurpatis, nihil tamẽ inde damni senserint, non esse tamen fidendum, neq; uacuos nos esse debere à metu, & suspitione, cum id fieri forte potuerit uel abdita quadam & occulta indiuiduali (ut aiunt) proprietate utentis, qui uel tunc non fuerit paratus ad suscipiendam labem, cum nulla causa agat sine dispositione, & aptitudine obiecti, ut ait Galenus, & Aristotiles, aut facultate præditus esset eiusmodi, quæ posset reluctari malitiæ, & uitio alimenti, cũ

Causæ responsi ab Auctore explicatæ.

inuēti quoque sint, qui venena concoquant, siue ea esset cra sis ac temperamenti contrarij, siue alius rei, ac formæ nobis ignotæ, tum etiam quia id tribui potest temporis naturæ frigidæ, & hybernæ non aptæ ad concipiendam putredinem, postremo cum ea possit esse luis ipsius, ac ueneni pestilentis qualitas, ut non ita subito imprimatur, & agat, sed ueluti fit in externis uenenis, quæ præparata à maleficis non agunt nisi post longum, statumque tempus, ita in corporibus diu lateant tamq; in fomite pestilentia μιάσματα, idest, inquinamenta, suo tempore mox magno cum malo eruptura, ut in multis accidisse pestilentijs compertum est. Secundo quia licet demus carnes illas non esse contagiosas, quia tamen putridæ sunt, & cadauerosæ, idest, brutorum sponte mortuorum, uel ab hominibus extinctorum in ipsa morte, cum iam desperata esset eorum salus, & essent morbo confecta, ideo esse omnino prohibendas: cum possint huiusmodi cibi, & alimenta putrida in humanis corporibus gignere succos uenenosos, & tā maligna ac deleteria qualitate præditos, quam sunt ipsa venena, ut medicorum testantur libri, & auctoritas, qui etiam propterea dicunt, & autumant nullum esse discrimen in cadaueribus signorum exteriorū, veneno extinctorum, & pestilentia, siue febre maligna peremptorum, & proinde posse breui parere grauissimas pestilentias, ut sæpe factum legimus, & in historicorum, & in medicorum libris, praui occasione alimenti, & ciborum, quæ non subito, ut plurimum, & dum adhibentur ipsi cibi, sed multos post menses emergunt, & sese produnt, ut factum narrat Galenus de peste Romanorum sui temporis, quæ nisi sub finem ueris, & subsecutæ ęstatis inter initia cæpit grassari, cum tamē per hiemem totam illam, & uniuersum uer adhibita fuissent praua illa edulia: nam (ut ipsemet testatur Commentario 3. in lib. de alimento Hipp.) humor uitiosus ex prauis succis collectus diu in uenis latet, qui progressu temporis pestiferas febres gignit, & Commen. 2. in 1. prorrhet. quædam causæ eorum, quæ gignuntur in corpore habent similem uim rabidorum canum veneno, & lætaliū pharmacorum illi generi, quod in affectis subito nullū manifestum symptoma efficit, sed post quatuor, vel sex mēses, uel ēt plures hominem interimit, quod alibi etiam testatur.

Quòd vero attinet ad pellium contrectationem cōtagiosarum propterea iudicauit omnino prohibendam, quia cū communicetur, uulgeturq; contagium, ac pestis tribus modis, per contactum, per fomitem, & ad distans, in pellibus & contactus est periculosus, ac fomes, cum enim sint poris, pilisq; prædita, fiunt proprius fomes, & verus seminariorū contagij; neq; solum brutis cauendæ, ad quæ proculdubio transit hæc contagio, & de vna in aliam speciem, quibus cō sulendum est, extinguendis his fomitibus, ne vulgata contagione per omnes speties, vniuersa propemodum intereant, sed hominibus quoque, quibus periculum minantur, licet enim dicatur non communicari hoc contagium rationali speciei, non est tamen fidendum, sed cautiones adhibendæ debitæ, primum, quia (vt dictum est) venenum sæpe intus latet per dies, & menses plures, mox data occasione maiori impetu erumpit, & pestis cum à causis oritur inferioribus, ac terrenis, ut plurimum à brutis facto initio ad homines transit: deinde si detur etiam non esse nunc eius naturæ pestem, ut possit homines inficere, vsu tamen, & tempore potest analogiam, ac proportionem sibi comparare ad humanam speciem, ob vaporum putridorum copiam, quæ à cadaueribus brutorum extinctorum exhalant, tum etiam vniuersim in aeriam regionem latius propagato veneno, quæ quidem ab initio dissoluit, & dissipat sua temperie, ac clementia halitus prauos è terræ visceribus, aut aquis emergē tes, quibus magis obnoxij, ac expositi sunt quadrupedes, tamquā magis terrei, proniores, & ad eos recipiendos promptiores, ac viciniores, ratione etiam terrestrium ciborum, & pabuli, quam sint homines, qui inspirant aerem altioris regionis, & proinde minus inqninatum, cibisq; vtuntur melioribus. Et licet obseruatum aliquando sit non peruenisse ad homines Brutorum pestilentias, in dubijs tamē non est fidendum, cum præsertim multa sint, quæ suspicionem augeant, quòd contagione repleantur bruta, quæ hominibus similia, ut porci, quorū caro, teste Galeno, humanæ similis, vt intestina, quòd multa sint præsagia futuræ inter homines pestis; temporum constitutiones, fluminum exundationes, in corporibus humanis multæ mortes subitæ, multę febres pestilentes vagantes, & huiusmodi mala quæ consue-

uerunt præire pestilentiam, pestis ipse periodus, & ipsa pestis non longè sæuiens in alienis regionibus, ut omittantur signa superiora, defectus & ecclipses, planetarumq; coniunctiones id minãtes, & alia plura, quæ licet per se sint tenues coniecturæ, in vnũ tñ fasciculũ omnia coniecta, vim acquirunt necessarij propemodum argumenti. Ignem porrò iudicauit esse adhibendum ad hos extinguendos fomites, primum ad vitandas omnes fraudes, quæ possent adhiberi tum ab hominibus lucri causa propter pelles, tum à brutis, & canibus propter cadauera, quæ etiam sepulta solent eruere, ac deuorare, deinde, ne ex tanta copia sepultorum etiam cadauerum putrescentium mox exeant tot halitus, & tanta vis vaporum fœtidorum, vt aerem inquinent, quod sæpe factum legitur in Historijs ex copia cadauerum, quæ occasionem sæuissimarum pestiũ præbuere.] Similem vero huic sententiæ profert Nicander in Theriaca, ubi dicit cadauera à Basilisco interemptorum neque à carniuoris alitibus, qui sunt vultures & Corui, neq; à montanis feris attingi, quòd si fame impellente aliqua auis accesserit, velociter interire eam asserit.

Cadauera veneno sublatorũ non attingun tur à feris, & cur

εἰ δ' ὀλοὴ βούβρωστις ἀϊδρείῃφι πελάσσει
αὐτοῦ οἱ θάνατός τε καὶ ὠκέα μοῖρα τέτυκται, idest.
Sin malesuada fames incautas appulit vllas,
Mors sæua extemplo, & velocia fata sequuntur.

Soli pisces (teste Aristotele. 8. de natura animalium. cap. 17.) videntur esse immunes à periculo contagionis pestis, cum numquã vlla tententur illius spetie, (sic enim ego interpretor uerba Aristotelis, νόσημα δὲ λοιμῶδες μὲν ἐν οὐδενὶ τοῖς ἰχθύσι φαίνεται ἐμπίπτον., idest, morbus uero pestilens in nullo (scilicet, genere εἴδει) piscibus videtur incidere, sed hoc quoque in dubium à multis reuocatur, & agitatur hæc quæstio in libris recentiorum quorundam, qui de peste scripserunt, & à nobis etiam in superioribus de hac re disputatum est.

Τεκμήριον δέ. Argumentum vero.] Tecmerium apud Aristotelem, & in Rheto. & in Philosophia est certa alicuius rei nota, & necessario concludens argumentum, vt lac habet, ergo peperit, sic apud omnes alios, de quo superuacaneum est pluribus afferendis facere longius, non omittendum tamen illud, posse in hac clausula duplici modo fieri syntaxin,

& illud

& illud σαφὴς, accommodari huic voci, licet in genere discrepent, nam sic erit Thucydidium schema supra etiam annotatum, qui solet fœmininis uocibus masculea epitheta, & neutra vel contra accommodare, & sic erit sensus clarissimus, quòd, scilicet, argumentum exploratum & manifestũ, τεκμήριον σαφὴς, pro σαφὲς, eius, quod dicitur defectus, ἐπίλειψις, huiusmodi animantium, nam videtur superuacaneum epithetum additum illi uerbo defectus, quam tamen non respuo rationem, aut damno, sed tantum libuit hoc quoque admonere, Græcus Scholiastes addit hoc loco, τοῦ λόγου μου, idest, orationis meæ, eius quod à me dicitur.

An cadauera peste extinctorũ possint inficere pestilentia.

Διεφθείροντο, Interibant.] Vel ex hoc loco Thucydidis, magna illa inter medicos quæstio solui potest: Sunt enim qui inficientur mortuorum cadauera peste extinctorum posse inficere attingentium corpora; imò innoxie cõtrectari posse asserunt: qua in opinione plerique docti homines fuere, freti, & nixi hoc argumento, quòd quemadmodum animantibus, quæ dicuntur ἰοβόλα, idest, venenũ eiaculantia post obitum nullum superest uenenum; ita neque hominibus peste sublatis contagionis superesse seminaria, ac fomites possint. Sed diuersa ratio est naturalis veneni, qui à calore natiuo fouetur, & excitatur ad agendum, eoq; extincto simul perit ipsum, ac mutuatitij, siue foris aduenitetis, & ascititij, quale est pestilẽs, quod natiuo calori aduersatur, & ab illo quoad uiget, expellitur, ac retunditur: neque ut illud naturale ab eo dirigitur ad agendum, & conseruatur: tantumq; abest, vt sit extinctum in cadaueribus, vt etiam longe euadat pestilentius, atque ferocius, quia uitalium sede occupata, nullo reluctante, aut impediente totum corpus depascitur, & occupat. Quare merito Laurentius Ioubertus de peste iudicat perniciosius multo à peste sublatũ, quàm iam num ægrotantem attingi, quantum ad venenum attinet, nam in uiuis illud auget periculum, ꝙ magna halituum copia ex ægris proficiscitur, & exit propter respirationem, & pulsum; nam expirando, & arterias contrahendo putrescens in corde materia uapores copiosissimos eructat, & proijcit in assistentes: in mortuis uero adest sola exhalatio transpirationis analogæ; cuius argumentum est sensui ipsi notissimum, nempe fœtor, ob caloris natiui extinctionem longe grauior prodiens, quàm

antea

antea in uiuis, in quibus ille putredinem fœtoris matrem, ac altricem coercebat, ne sese proderet apertius: & hac de causa, licet nullius impulsione augeatur, est tamen grauior ob putredinis insigniorem notam, & gradum; suamq; opinionem eo in loco Ioubertus comprobat hoc Thucydidis citato loco. Ait enim: Hæc confirmat, quod de Atheniensium pestilentia omnium sæuissima Thucydides refert, Cadauera passim insepulta mansisse, eaq; nullum animal attingere ausum, aut si forte attigisset, interemptum fuisse scribit, vnde cadaueribus assueti Corui circa illa nō conspiciebantur. Et quid mirum esse debet in peste sublatorum cadauera peste inferre posse, eo aere, qui nos proxime ambit, corrupto, & venenato, cum vel occisorum corpora, ut facto prælio insepulta, aut minime cremata non raro pestem inuexerint? In eadem sententia est Frizimelica in sua consultatione de Peste, qui monet cauendum contactum cadauerum peste sublatorum, quia sint paratissima ad contagionem eiaculandam, ridetq; eos, qui secus sentiant. Hieronymus etiam Mercurialis in prælectionibus suis, de maculis pestiferis, cap. 9. probat maculas defunctorum esse contagiosas duobus modis, facto contagio, per aerem scilicet, & per humores: demumq; suam confirmat sententiam, citato hoc Thucydidis testimonio, dicens: Est etiam illud præclarissimum exemplum, quod recitat euenisse in ea peste Atheniensium Thucydides, quando scilicet vultures, & animalia carniuora non tentabant cadauera propter uenenum summū, & propter summam illam putredinem. Aduersariam uero sententiā tuetur Fracastorius, qui ita inquit lib. 1. de contag. cap. 12. Mortuum autem animal contagem eam non seruat, qua tenebatur uiuens, quoniam seminaria contagionis unà cum calore innato extincta sunt. De hac controuersia Philippus Ingrassias par. 1. cap. 17. & Siluester etiam Facius in Paradoxis de peste, vbi contra Fracastoriū disputat, & Thomas Iordanus tract. 1. de pest. Phænom. c. 18. Et profectò si quis rectè rem omnē perpēdat latere, vel ex hoc maxime suspicabit̄ in cadaueribus seminaria propter pilos, & poros cutis apertos.

οὐκ ἑωρῶντο, Non conspiciebantur.] Liuius Dec. 5. lib. 1. notat hoc in illa peste contigisse, quòd nullus vulturius esset visus toto pestilentiæ tempore. Ait enim: Satisq; constabat,

nec

nec illo, nec priore anno in tanta strage boum, hominumq; vulturium vnquam visum. Lucretius:

Nec tamen omnino temere illis solibus vlla
Comparebat auis, nec noctibus secla ferarum
Exibant sylvis, languebant pleraque morbo,
Et moriebantur, &c.

Vultures non conspiciūtur pestis tēpore, & cur.

Quidam asserunt instinctu quodam naturali fugere pestem omnes animantes, & potissimum aues: quare inter pestis signa ponunt auium fugam, sed potissimum vultures, & miluos, hac præditos cognitione tradunt, de quibus ita Ficinus cap. 2. vulgo dici solet vultures, seu miluos pestilentiali cedere aeri, & quæ loca huiusmodi tenent milui, pestifero non subesse aeri: quod etiam annotauit Laurentius Iouber tus in libello de peste, cap. 5. ab ipso Ficino accipiens. Ait enim: Id enim obseruatione constat vultures pestilenti aeri cedere, vt certum sit indicium, quæ loca tenent vultures infesto aeri subiecta nō esse. Neque vero dissimiles locos hos credendū, cum vniuerso vocabulo vtatur Thucydides: nam κατ' ἐξοχὴν, idest, per quandam excellentiam dicuntur vultures alites, quod etiam annotauit Aldobrandus in sua ornythologia, qui probat dici Græcè οἰωνοὺς, & Latine alites, ut apud Vergilium:

——— —*Canibus data præda Latinis,*
Alitibusq; iaces. ——————— Et apud Homerum:
————ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι
οἰωνοῖσί τε πᾶσι. ————

Vbi Scholiastes Græcus: τοῖς σαρκοφάγοις ὄρνισι λέγει δὲ γυψὶ, καὶ κόραξι, idest, carniuoris alitibus. Dicit autem vulturibus, & coruis, quasi scilicet nisi dixisset πᾶσι, idest, omnibus, de solis vulturibus esset intelligendum. Quare etiam Eustrathius dicit posse locum illum dupliciter interpungi, vt scilicet πᾶσι sit epithetum alitibus, & etiam referatur ad sequentia: πᾶσι Διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ, idest, in omnibus Iouis perficiebatur voluntas. Tres vero afferri rationes, & causæ huius facti possunt. Prima opinio est eorum, qui referunt id acceptum vi odorandi, maxime, qua scilicet præsentiant pestilentia cadauera: nam ita pollere hac facultate tradūt, vt trans maria præsentiant cadauera, & vltra quingenta millia passuum, vt testatur Aueroes in 2. de anima, Commen. 97. De

qua

qua re nos supra, & esse Scholiastes Græci, & Lucretij videtur, qui non accedere propterea ad cadauera dixerunt, quod odore offenderentur animantia. Nonnulli referunt ad occultam stellarũ vim, de qua nos ne verbũ quidem faciendũ arbitramur. Tertia opinio fuit eorum, qui arbitrati sunt diuinandi quandam facultatem, & præsagiendi inesse his volucribus, cuius sententiæ auctorem faciunt Aelianum, qui lib. 2. de animãtibus testatus est vulturios à longe sequi exercitus, quasi præsagos cædis futuræ, quod Philes Græcis versibus persecutus animantium naturas ita expressit eleganter:

Vultures cur fugiant pestilentiam.

πλὴν μαντικὴν ἔχουσιν οἱ γύπες φύσιν,
Καὶ γὰρ συνεκδημοῦσιν τοῖς μαχουμένοις.
Τῶν σωμάτων ἐλπίδι τῶν πεσουμένων, idest,
Præsagientem vultures naturam habent,
Nam præliaturos sequuntur milites,
Cadauerum spe in prælio cadentium.

Quare etiam scribit Plinius lib. 10 cap. 6. triduo ante, aut biduo volare eos, vbi cadauera futura sunt. Nonnulli etiam dicunt septem diebus ante, quod quidem referri ad odoratus vim nequit, cum corpora viuentia nõ fœteant. Quod eleganter significauit etiam Plautus in Truculento, vbi dicit, Quasi vulturij triduo prius diuinabant, quo die esituri fient. Mercurialis lib. 1. de venenis, cap. 16. reddens rationem, cur veneno absumpti neque à feris, neque ab auibus attingãtur, duas affert rationes, quæ etiam pestilentię veneno accommodari possunt. Prima est, quòd venena, siue calida, siue frigida sint, congelant, & exsiccant dulcem illam humiditatem, qua ferę delectatæ solẽt persequi cadauera. Altera est, quòd à cadaueribus venenatorum exeant quidam praui, & insuaues halitus, qui cum sentiantur à feris, & auibus fugiuntur, veluti & illa loca auerna, quę prauas exhalationes spirant. Quod vero attinet ad vultures, habere etiam πάθος dicere possumus, quòd scilicet neque à vulturibus infelicia corpora tanto pestilentiæ veneno absumpta attingerentur. Nam non defuere qui felicitatis loco ponerent à vulturibus laniari. Sic Caspij (ut testatur Gyraldus de vario sepeliendi ritu) parentes septuagenarios inter syluas in lectulo collocabant, finemq́ rei obseruabant in occulto, si supra uolantes vultures unguibus, & rostro iacentes discerpsissent, summum eos felicita-

tis gradum aſſecutos arbitrabantur. In Iberia Reges hoc pa-
cto humari tradit Syllius Italicus, lib. 13.

Tellure vt perhibent is mos antiquus Ibera
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.

Sic Parthi, ac Perſæ ſuorum cadauera canibus, & vulturibus dilanianda proponebant. Veteres per ſimilitudinem appellabant Vulturios Veſpillones, & Sandapilarios, qui funeribus præibant, teſte Budæo.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι:~

THVCYDIDES.

Canes verò magis ſenſiſſe ſignificabant euentum ob ſuum cum hominibus contuberniũ.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

COMPROBAVIT generatim, & in vniuersum pestis sæuitiem,& vim morbi insolitam longe superantem & aliarum pestium consuetudinem,& hominum fidem,nedū tolerantiam (vt ita dicam) ex ferarum,& alituum testimonio, quæ cognita illius nouitate omnes aufugerunt; vel si attigerunt,& vsæ sunt humano commercio,interierunt, contagione suscepto malo,nunc nominatim canum exemplo confirmat,quorum cum summa sit erga dominos beneuolentia,difficillimeq; ab illis auelli possint,omnes ferè vna cū heris suis interiere,facillimè vi morbi repleti,ob contubernium,& familiaritatem cum ipsis heris,quibus solent esse carissimi.

Κύνες. Canes.] Sic Homerus in 1. Il. primos canes & mulos sensisse vim pestilentiæ ab Apolline immissæ dicit.

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπώχετο, καὶ κύνας ἀργούς, idest,
Mulos percussit primo, niueamque canum vim.

Vbi euentus causam ita persequitur Eustachius, μάλιστα δὲ οἱ καθαροῦ ἀέρος δεόμενοι κύνες ἤσθοντο τοῦ κακοῦ διὰ τὴν ὀξύτητα, καὶ αὐτοὶ τῆς ὀσφρήσεως ὀξὺ μετειληφότες τῆς κακώσεως, καὶ μάλιστα ἐὰν καὶ ἀργοὶ καθ' ὅμηρον ἦσαν ὅ ἐστι λευκοί. ὡς τῶν λευκῶν φασι σωμάτων διὰ τὸ ἀραιότερον εὐπαθεστέρων ὄντων, ἤπερ τὰ μέλανα, idest, prçcipue uero Canes, qui puro egent aere senserunt malū, propter odoratus & ipsi acumen acute participes facti maleficij, & prçcipue qui erant (vt ait Homerus) argi, idest albi, tanquam alba (vt aiunt) corpora,quia rariora, magis obnoxia damnis sint, quam nigra. Aelianus etiam (ut testatur auctor libri de quadrupedibus) asserit canes impendentem pestem,& cœli etiam salubritatem persentire, necnon alias bestias, quinimo tanta odoratus ui pollent, ut quidam testentur odoratu fures etiam ab illis deprehendi, & implacabili odio exagitari præter cæteros, quidam uero Scholiastes antiquus ita causam assignat, ἅπας μὲν λοιμὸς ἀπὸ ἐκφλογώσεως γίγνεται γῆθεν ἀναφερόμενος ἐξ ἀναθυμιάσεως. διὸ καὶ τὸν ἀπόλλω-

νὰς φασὶν ἄιτιον, ἐπεὶ ὁ αὐτὸς ἐιναι λέγεται τῷ ἡλίῳ τῷ καταφλέγοντι τὴν γὴν. ἐκ γῆς δὲ γινομένης τῆς νόσου ἀναγκαῖον τοὺς κύνας πρῶτον ᾐσθῆσθαι τῆς βλάβης ὅτι τε καὶ ἀίσθητικώτερά εἰσι τὰ ἄλογα ζῶα φύσει τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὅτι κατανεύουσι πρὸς τὴν γὴν, καὶ ἀνιχνεύουσι, idest, omnis quidē pestilentia ex inflammatione fit à terra sursum delata ab exhalatione, quare auctorem dicunt Apollinem, quia idem ipse dicitur esse cum Sole, qui terram incendit, cum vero ex terra oriretur morbus, necesse fuit canes primum sensisse damnum, tum quia & sensu acriori prædita sunt ratione carentia animantia, quam sint homines suapte natura, tum prona sunt ad terram, & per vestigia indagant odorātes, quā causam ēt attingit Heraclides Ponticus, qui (vt refert Cęlius lib. 17. c. 28.) putauit iumenta peste infici primum, quia deiecta in terrā, & prona in pastū, τοὺς νοσώδεις ἐκεῖθεν ἀτμοὺς, trahant procliuius homine, cuius est surrectum corpus, & purius sublimi inspirato aere: cuius versus Homerici meminit etiam Aristoteles in Poetica, & defendit à calumnia quorundam, qui asserebant nullam esse causam, cur muli & canes primo pestilentiam percepissent, & peregrinum linguarum usum excusat, dicens οὐρῆας, significare non mulos tantum, sed φύλακας, idest, custodes, qui etiam metaphorice canes dici possunt. Sillius Italicus libro 14. in describenda peste. Homerum secutus ait.

Vim primi sensere Canes, mox nubibus atris,
Fluxit deficiens penna labente volucris,
Inde feræ siluis sterni, tum serpere labes
Tartarea, atq; haustis populari castra maniplis. & Quid.
Strage canum primo, volucrumque, auiumque, boumq;
Inq; feris subiti deprehensa potentia morbi est.

Et Lucretius quoque non omisit, qui ita canit:

—— In primis fida canum vis
Strata vijs animam ponebat in omnibus ægram,
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.

Quare docti Medici ex canibus nobis signa proponunt futuræ pestilentiæ: cum enim rabie frequentes capiuntur, indicio sunt futuram pestem, quod annotauit Alexander Benedictus lib. 1. de pestilenti febre, cap. 5. sub finem, vbi ait, Canes quandoque sæua rabie acti pestem portendunt, qui Homero teste cum alijs nonnullis animalibus prius pestilentia corripiuntur,

ripiuntur, quæ postea ad homines transit, quod alij complures etiam testantur, vt Borgarutius in suo tractatu de Peste. Idem Alexander eodem lib. cap. 6. sub finem narrat quandã Historiam, ex qua colligi potest, quandã habere canes cum pestilentia quodammodo affinitatem, cum dicat proiectorum canum odore putredinoso pestem in Taurica regione depulsam. Ita vero narrat: Quidam mercator Cretensis nobilis nobis narrauit, cum in Taurica regione negociaretur, & sęuissima pestis orta esset aeris uitio, quo finis moriendi non erat in ea hominum strage à se medicum uisum loci eius incolam: nam Sarmatæ ea loca tenent, qui canes omnes interẽptos passim per uias, perq; uicos omnes abijci iussit, qui distenti & putridi tetro odore cælum impleuerunt, quo remedio statim ciuitas sanitati restituta est, & Sarmatas id remedium factitare solitos: putrescẽtes enim canes aeris naturam immutarunt, quæ hominibus dumtaxat exitialis erat. Meminit huius historiæ etiã Ioubertus, qui adhuc quærit ex hac causa an odore tetro possit depelli pestis, ut uenenum ueneno tolli dicunt, non referens hoc ad canis proprietatem. Meminit etiam Amicus, sed non probat: ita enim inquit cap. 36. præcipiens canes interimi, quos tamen interemptos per uicos abijcere, ut sic putrido uapore cęlũ impleant, unde aeris naturam mutari aiunt, quæ tantum hominibus exitialis erat, non probamus, licet id aliqui laudent. Hanc nostram sententiam confirmat Historia (si fabulam mauis appellare non multum contendo) quæ de Apollonio Thianeo recitatur, cuius meminit etiam Beroaldus, qui Ephesios pestilentia laborantes hoc Alexipharmaco liberauit. Vocatis in concionẽ Ephesijs, ostendens in Theatro senem squalidum, & pannosum, eum iussit lapidari: quem obrutum, cum lapidibus subductis iussisset extrahi, inuentus est canis uasta, atque enormi magnitudine spumas euomens ex ore, creditum senem illum fuisse cacodæmonem pestilentiæ auctorem, uel ipsummet morbum portentoso monstro, & simili animante expiatum. Non desunt enim medici, qui pestis uirus assimilent canis rabiei; est enim uterque morbus contagione lædens. Quare Poetæ significantes id, fingunt in pestilentijs infernum canem per regiones peste affectos errare, & omnes inficere. Sic Seneca in Oedipo;

Canes habent cũ pestilentia affinitatem.

Quin

Quin Tænarij uincula ferri
Rupisse canem fama, & nostris
Errasse locis. ——————— Et mox inter signa ait:
Nocte silenti Amphionios ululasse canes, &c.

Et noster Maro Poeta idem, ac Medicus in descriptione pestilentiæ in Georgicis dixit canes rabie laborasse, quæ idem est cum pestilentia:

Hinc canibus blandis rabies uenit, &c.

Nam in pestilentijs magnis rabie etiã homines efferantur, ut de Leuthario in 2. Hist. narrat Agathias, cuius mihi uerba libet recitare: elegantissime enim rabie furentis Ducis symptomata persequitur. Αὐτὸς δὴ οὖν ὁ στρατηγὸς, καὶ μάλα εὔδηλος ἦν ὅτι δὴ αὐτὸν θεήλατοι μετῆλθον ποιναὶ, παραπλὴξ τε γὰρ ἐγεγόνει, καὶ ἐλύττα περιφανῶς, καθάπερ οἱ ἔκφρονες, καὶ μεμηνότες, κλόνος τε αὐτὸν ἐπεῖχε μυρίος, καὶ οἰμωγὰς ἀφίει βαρείας, καὶ νῦν μὲν πρηνὴς, νῦν δὲ ἐπὶ θάτερα ἐν τῷ ἐδάφει κατέπιπτεν. ἀφρῷ τε πολλῷ τὸ στόμα περιεῤῥεῖτο, καὶ τὼ ὀφθαλμὼ βλοσυρώ γε ἤστην, καὶ παρατετραμμένω. ἐς τοῦτο δ' ἄρα ὁ δείλαιος ἀφῖκτο μανίας, ὥστε ἀμέλει, καὶ τῶν οἰκείων μελῶν ἀπογεύσασθαι. ἐχόμενος γὰρ ὀδὰξ τῶν βραχιόνων, καὶ διασπῶν τὰς σάρκας κατεβίβρωσκέ γε αὐτὰς ὥσπερ θηρίον διαλιχνώμενος τὸν ἰχῶρα. οὕτω δὲ αὐτοῦ ἐμπιπλάμενος, καὶ κατὰ σμικρὸν ὑποφθινύθων οἰκτρότατα ἀπεβίω, idest, Ipse igitur Imperator uel in primis declarauit, quòd ipse diuinitus immissis urgebatur pœnis: attonitus enim fiebat, & rabie corripiebatur manifesta, ueluti dementes, & furentes, & perturbationibus agitabatur innumerabilibus, & gemitus emittebat graues, & interdum quidem prono capite, interdum ad latus pauimento incidebat, spumaq; multa os diffluebat, & oculi truces erant, ac peruersi. In tantam demum miser insaniã peruenit, ut etiam proprios artus degustaret; apprehendens enim mordicus brachia, & dilanians carnes, deuorabat eas, quasi fera lingens cruorem, ita seipso repletus paulatim concidens, miserrime uita perfunctus est. Sic Vergilius 3. Georg. in illa peste testatur euenisse:

——————— *Furijsq; refecti*
Ardebant, ipsiq; suos iam morte sub ægra
(Dij meliora pijs, erroremq; hostibus illum)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.

Quare etiam Eusebius Pamphili Episcopus Cęsariensis hoc signi-

significans, dixit pestilentiæ rabiem. Cum uero canibus affines sint lupi, & sub eodem ferè genere. Sunt enim lupi canes siluestres, & efferati. Hos quoque multi sunt, qui testentur portendere futuram pestem; & præsertim Philostratus ex antiquis in uita Apollonij Thianæi, ubi dicit, Lupos damna hominibus inferentes consueuisse pręmonstrare pestem; quod multi etiam in recentioribus pestilentijs obseruarunt. Et inter signa futuræ pestis collocant, si lupi ciuitates ingrediantur, & damna inferant, ut in suo tractatu de Peste Prosper Borgarutius, & Andræas Gallus in fasciculo de Peste. Quod uero etiam quandam proprietatem, & uim occultam habeat canis ad pestilentiam depellendam ex medicinę penu depromi potest. Narrat enim Absyrtus omne iumentum (κτῆνος) morbo, aut peste afflictum, si caput caninum vratur, & fumum reddat sub capite eius leuari. Quod mirum fortasse non videbitur, si quis syluam ingentem remediorum ex canibus depromptam legerit, cuius vel pili, vel carnes, vel lac, vel vrina, vel stercus, & alia quamplurima ad uarios morbos prodesse leguntur, quæ uberrime persequitur Gesnerus de Quadrupedibus, lib. 1. imò contra uenena pollere legitur, quæ sunt pestilentiæ germana; nam auctor est Dioscorides primiparæ canis lac, potum contra uenena antidoti uicem obtinere, & contra rabidi canis morsum, ac uenenum ex ipso cane multa prodesse legũtur, multaq; desumi remedia, ut ex pilis, lacte, salitis carnibus, &c. imò etiam ad præseruandum; quæ omnia si quis uelit, legere poterit loco ante citato. Illud etiam antequam à canibus discedamus, non erit alienum adnotasse, quod Lilius Greg. de vario sepeliendi ritu notat Bactrianos, & Hircanos canibus obijcere consueuisse suos carissimos ætate confectos, & Cicero in 1. Tuscul. ait: Magorum mos est nõ humare corpora suorũ, nisi à feris sint antea laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes optimates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat, à quibus lanietur, eamq; optimam illi esse censent sepulturam: quod etiam statuit Sillius Italicus lib. 13. vbi varios sepeliendi ritus persequitur:

Tellure (vt perhibent) is mos antiquus Ibera
Exanima obscœnus consumit corpora vultur,

Regia

Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcauis adhibere canes. ———

συνδιαιτᾶσθαι, Commune contubernium.] Locus his amplissimus, & ad dicendum uberrimus campus occurrit de canum erga homines fide, & societate. Soli enim inter omnia animantia semel susceptam uiri amicitiam, & contubernium nunquam deserunt, aut distracti obliuione obliterant. De hoc argumento plura habentur apud omnes scriptores exempla, quæ nimis esset longum persequi, & explicare; quare reijcio uos breuitatis studio ad Gesneri librum de Quadrupedibus, ubi de cane omnia collegit, quæ dici possent, & tribus capitibus minutissime persequitur plures historias canum, qui testimonia summæ dedere erga altores homines fidelitatis tum ipsis cõmoriendo, & in rogos sese uiuos inijciendo, aut tumulis ipsis insepeliendo, tum ipsos ab hostibus defendendo, & mortuos custodiendo; postremo etiã occisores dominorum agnoscendo, pœnasq; ab illis, quantum in ipsis fuit, accipiendo. Quare cum ex his sint quę fieri non possunt, ut canes à dominorũ contubernio prohibeantur, & diuellantur, possintq; uicissim retro commeantes pestem inferre, recte institutum, & à doctissimis uiris in precustodiendo à peste familias præceptum, ut canes omnes, & feles occidantur, idq; passim Principes, & Resp. obseruant, cum adest suspicio pestis imminentis ex contagione. Eusebius Pamphili in lib. 9. in pestilentiæ descriptione aliam causam innuit, fuisse illis temporibus, ut induceretur κυνοκτονία, idest, canum nex, quia scilicet mortuorum corpora depascerentur; inquit enim, ὥστ' ἤδη κατὰ μέσας ἀγορὰς, καὶ στενωποὺς νεκρὰ, καὶ γυμνὰ σώματα ἐφ' ἡμέραις πλείοσιν ἄταφα διεῤῥιμένα θέαν τοῖς ὁρῶσι οἰκτροτάτην παρέχεσθαι. ἤδη γέ τοι καὶ κυνῶν τινὲς ἐγίνοντο βορὰ, δι' ἣν μάλιστα αἰτίαν οἱ ζῶντες ἐπὶ τὴν κυνοκτονίαν ἐτρέποντο δέει τοῦ μὴ λυσσήσαντας ἀνθρωποφαγίαν ἐργάσασθαι, idest, adeo ut iam per media fora, & angiportus mortua, & nuda corpora multis diebus insepulta proiecta spectaculũ intuẽtibus miserabile præberẽt, iamq; etiam nonnulli canum fuere cibus, propter quam præcipue causam uiuentes animum ad canum necem perpetrandam applicuerunt, timentes, ne rabie efferati humana corpora edendi scelus perpetrarent.

Finis Primi Libri.

IN

IN THVCYDIDIS HISTORIAM DE PESTE ATHENIENSIVM

Marciarum Prælectionum, siue Commentarij,

FABII PAVLINI LIBER SECVNDVS.

Præfatio Secundi Libri,

In qua omnia antiquorum remedia ad emouendam, et præcauendam pestem adhibita recensentur, ad septem summa capita, seu genera deducta, nempe Religionem, Aeris expurgationẽ, corporis, et animi perturbationũ purgationem, Alexipharmaca, siue Antidotos, cibos, reuulsionem, eductionemq; veneni per similia.

PERSECVTVRVS hoc anno inchoatam superiori Thucydidis Historiam de peste Atheniensium, quam absoluere, & nostris explicationibus totam declarare nequiuimus ob nimiam sententiarum, & rerum copiam, quæ singulis ferè uerbis sese nobis innumerabiles obtulerunt explicandæ, tum ex Philosophiæ, & Medicinę, tum etiam ex Historiæ, & omnis Philologiæ fontibus depromptæ, & cum iam

Primum pestis remedium Religio.

ad tertiam ex nostra diuisione narrationis partem à nobis uentum sit, In qua, & delaratis prius nutu ferè tantum, ac significatione causis, ne palam ageret Philosophum in Historia Thucydides, à nobis tamen latius explicatis, & ordine penè admirabili omnibus pestis accessionibus, quas Grçci Medici uocant συμπτώματα, quasi medice enumeratis, quæ nos cũ Hippocratis Epidemicis, tertio præsertim, ubi hãc ipsam pestem describit, & aliorum scriptorum pestilentijs comparando enucleate exposuimus, tandẽ historico more, ac oratorio penicillo, atque coloribus uim morbi insolentem, ac inusitatam amplificat, & exaggerat, statimq; dicit nullum fuisse inuentum medicamentum, quod tantæ pesti auertendæ esset accommodatum, operæpretium me facturum sum ratus, si hodierno die in hoc studiorum exordio uobiscum agerem familiariter de pestilentiæ auertendæ remedijs, quæ potissimum usurpauit antiquitas (nam quæ recentiotes adhibuerunt, esset penè infinitum) tum ad absentis mali præcustodiã, quam Græci uocant προφυλακὴν, tum ad iam præsentis, & sequientis iniuriam propulsandam, quæ ἴασις seu θεραπὴ, idest, curatio dicitur; cum hæ duæ medicinæ præcipuæ partes idem ferè sint, nominibus tantũ discrepantes, ut docet Galenus præclare 1. de differen. feb. cap. 4. uel si differunt, eodem teste Galeno, sola remediorum quantitate, nõ qualitate differant. Quod quidem argumentum, siue materia, & quasi seges orationis, licet sit ex media medicina repetitum, à nobis tamen non medica methodo, sed historica tractabitur. Ex ueterum enim cum historicorum, tum medicorũ penetralibus omnia ea eruemus, ex antiquitatis quasi tenebris in lucem proferentes, quæ ad pestilentiam præcauendam, aut depellendam à ueteribus usurpata literarum sunt monumentis tradita, ac consignata.

Primum pestis remedium Religio.

Primus igitur in pestilentijs depellẽdis modus, princepsq; & prçsentissimum remedium apud omnem uetustatem antiquissimo in usu, & more positum inuenitur, ipsa Religio, metusq; Deorum, & cçlestis irç placatio. Insita enim hçc natura animis omnium etiam barbarorum, efferatorumq; insedit opinio, Deum esse, qui regat hçc mortalia, & hunc malefactis hominũ, peccatisq; indignari, precibus, uotisq; placari. Cum ergo scitum sit in Medicina oraculum Hipp. in

in libello de flatibus, & alibi sæpe inculcatum: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, idest, contraria contrariorum sunt medicamenta, quod vbique fere repetit Galenus in arte medica, de cõstitutione artis, in methodo, libris de tuenda valetudine, in Epidem. & Aphorismicis Cõmentarijs sæpius, & omnibus fere suis libris, quoties ob aliquod populi scelus, & erratum in pietate, & cultu Deorum pœnæ à Dijs immortalibus repetuntur per hoc supplicium, quod potissimum ad Deos referri testatur Galenus 1. Epid. & Hipp. in prognost. (vt quidam interpretantur) per diuinum illud τὸ θεῖον, quod in morbis maxime considerandum voluit, intellexit. Historici verò θεήλατον συμφορὰν, vt Halycarnassæus, & Diodorus Siculus, idest, à Deo immissam calamitatem, bellum Dei, & plagam Domini Sacræ literæ vocant, & ad Deorum placamina sunt conuersæ mentes, malis finem ferè semper inuenerunt. Romani igitur, quos maxime, & frequẽtissime hoc malum exercuit, pacis Deûm exposcendæ causa, vel preces, & supplicationes publice, priuatimq; faciendas decernebãt, vt in peste anni ab Vrbe condita 569. de qua Liuius lib. 11. supplicatio circa omnia puluinaria indicta in diem vnum, & Coss. edixerunt, vt per totam Italiam triduum supplicatio, & feriæ essent. Et in pestilentia, quæ subsecuta est anno 570. de qua Liuius eodem lib. Decem viri supplicationem in biduum, valetudinis causa in Vrbe, & per omnia fora, conciliabulaq; edixerunt, maiores duodecim annis omnes coronati, & lauream manu tenentes supplicauerunt, vel votũ nuncupabant, vt in peste, quæ accidit anno ab Vrbe condita 321. de qua Liuius lib. 4. ædes Apollini pro valetudine vota est: & in ea, quæ ingruit anno 542. de qua Liuius lib. 27. Pretor Vrbanus ferre legem iussus ad populum, vt ludi in perpetuum in statutã diem vouerentur, & anno 576. in peste, de qua Liuius lib. 41. Q. Martio Philippo verba præeunte populus in foro votum concepit, si morbus, pestilentiaq; ex agro Romano emota esset, biduum ferias, ac supplicationes se habiturum; & in superiori illius anni pestilentia Consul Apolloni, Aesculapio, Saluti dona vouit, & dedit signa inaurata, vel sacra faciebant, vt in peste, quæ accidit anno 355. de qua Liuius lib. 5. Duumuiri sacris faciendis Lectisternio tũc primo in Vrbe Romana facto per dies octo Apollinem, La-

tonamque, ac Dianam, Herculem, Mercurium, atque Neptunum tribus quàm amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placauere, quod mox sæpius in alijs subsecutis pestilentijs, renouatū est., uel Clauum figebant Dictatore nominatim hac de causa creato, quem Clauum, teste Liuio, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, ut in pestilentia anni 392. de qua Liuius lib. 7. Senatus Dictat Claui figendi causa dici iussit; & anno 424. in peste Matronarum veneficijs inducta fixus clauus; ut mox etiam in Pœtiliana pestilentia factum est, uel ludi fiebant, ut anno 392. De qua peste Liuius lib. 7. uictis superstitione animis, ludi quoque scenici noua res bellicoso populo inter alia cælestis iræ placamina instituti sunt, ut etiam factum anno 542. de qua Liuius lib 27. uel demum Peregrini in Vrbē dij aduehebantur, ut anno 462. de qua peste Epit. Liu lib. 11. Cum ciuitas pestilentia laboraret, missis legatis, ut Aesculapij signum Romam ab Epidauro transferret, anguis, qui se in nauē contulerat, idq; ipsum numen esse constabat, deportauere. De qua re etiam Valerius Maximus lib. 1. & Ouidius elegantissime lib. 15. Metamorph. Sed huius remedij uis nō solum gentilium, & exterorum historijs, sed etiā multo magis sacris exemplis, & nostratibus comprobatur. Dauidica illa pestis, qua tridui spacio septuaginta millia hominū consumpta sunt, testantibus Sacris literis Regum 2. c. 24. & 1. Paralip. necnon Iosepho Historico, & Sabellico, Dauidis ipsius precibus, & penitentia cessauit; nam suorum pernitie consternatus saccum induit, ieiuniū egit, multis lachrymis humi sedens à Deo ueniam precatus, erecto altari, tandem impetrauit. Sic inter Christianas historias Pelagiana, seu Inguinaria pestis atrocissima, qua oscitantes tantum, & sternutantes interibant anno 590. Mauritio imperante, Gregorij Magni orationibus, & prece cessauit, circumlata solemni pompa, ac supplicatione B. Virginis imagine à D. Luca affabre ad viuum ex eius ore expressa, quam ubique tetra pestilentis cæli grauitate cedente, optata salubritas sequebatur: qui etiam Angelum, mox in summa Arce Adriani uagina ensem pestiferum recondentem uidit, in cuius facti memoriam sempiternam locus ipse Sancti Angeli nomen obtinuit, ut Sigonius 1. de regno Italiæ ex Ritualibus descripta

retu-

retulit. Sic sæpius Sacrosanctæ Virginis implorato præsidio emotæ feruntur è locis pestilentiæ, sub Iustiniano in urbe Constantinopolitana ob depulsam pestem institutum Purificationis ipsi⁹ Virginis festum dicitur. Sic in Gallia, regnāte D. Ludouico nullum remedium pesti inuentum præter huius Virginis implorationem, & concursum ad illius templa, quæ qui adibant, omnes sanabātur. Et in alia Parisiana peste, cum nullus finis, neque ulla esset medicina, populis ad Virginis ædes deuoto animo confluentibus illa sese omnibus uidendam præbuit, & benedicens sanitati omnes pristinæ restituit. Sic Treuerensis ciuitas per sanctum Nicetium liberata à lue inguinaria anno 565. teste Gregorio, & Cæsare Baronio in Annalibus. Sic in peste, quæ grassata est anno 323. quam ponit Sigonius sub 68?. aræ uoto nuncupato D. Sebastiano in Ecclesia D. Petri ad Vincula Romæ pestis desijt, ut testatur Paulus Diaconus, & Sigonius lib. 2. de regno Italiæ. Idemq; Sigonius lib. 8. de regno Italiæ testatur pestē, quæ incidit anno 1006. sub Henrico I. sublatam pia sanctorum corporum circumcomportatione his ipsis uerbis: Synesij, & Theopontij martyrum corpora in æde Nonantulana recondita Mutinensis, ac Bononiensis populi precibus per utriusque ciuitatis agros, atque castra à Monachis circūlata salutem ęgris corporibus attulerunt. Et Amicus auctor est in libro de peste Beati Nicolai Tolentini precibus Brixiā à peste sæuissima liberatam anno 1478. & Sabellicus in peste anni 712. sub Leone testatū nihil æquè auxilio fuisse fessę ciuitati, ac piorū preces, assiduasq; circa tēpla supplicationes.

Sed dubitabit fortasse aliquis hoc loco de huius rei causa, & euentu, præsertim, scilicet quòd populi idolatræ, qui uerum Deum non agnoscerent, uoti tamen compotes hac ratione fierent, quare ut hic euellatur ex animis scrupulus, ut minuatur hæc suspicio, dicendum tribus id potuissę modis accidere, uel quòd Deus Optimus Maximus, cuius est infinita benignitas delectatus illa populorum religione, quamuis in tenebris, & summa ueri caligine, ac cæcitate uersarentur, quia tamen mereri æterna præmia non poterāt, neque tamen ullum bonū sua uellet remuneratione, ac beneficio carere uoti compotes pro tpe faciebat. Vel quia Diabolo huius mundi Principi in Sacris literis appellato, qui suam

Qua ratione populi idolatrę voti compotes fierēt.

ſub idolorum cultu ſuperbiam fouebat, ac propagabat, non dum erat facultas adempta. Et poterat naturalibus ſaltem remedijs, quæ illi non ignota, ſupplicum uotis ſatisfacere, uel demum (ut Phyſicam attingamus rationem) id ſummę fidei populorū, & cogitationi, quæ uulgo dicitur imaginatio, acceptum referendum: fides enim in medicum ſępenumero ęgrotum ſanat, quare deſiderat in Medico auctoritatem Hippocrates, & Auicennas dixit plus prodeſſe interdū ęgri fiduciam, quàm medicinā. Vehemens uero cogitatio nihil non poteſt efficere, pręſertim in naturalibus, ut plenę ſunt Philoſophorum paginę de huiuſmodi miraculis, adeo ut cum populi Dijs ſuis maxime fiderent, & cogitatione ad hoc conuerſi fixa perſtarent, uoto nō fraudarentur: ſi enim gignendę peſtis cauſa eſſe poteſt in homine uehemens cogitatio, ut probatum à nobis eſt cùm de cauſis ageremus, eadem profectò depellendę etiam, & amouendę poteſt.

Secundū peſtis remedium aeris expurgatio

Altera methodus ab antiquis adhibita ad pręcauendam, uitandáq; peſtē ea eſt, quę cauſę maxime cōmuni, & peſtis proprię ſecundū Deum occurrit, qui eſt aer, ut teſtatur Hippocrates in libello de flatibus, & de natura humana, & in Epidemicis, à qua ſola ueram proficiſci peſtem multi ſunt qui putent, & autument, ipſum Hippocratem auctorem pręſeferentes, qui in dicto libello unam omnium eſſe morborum, & ideam, & cauſam dixit aerem, ſed potiſſimum peſtis, quā ipſe uocat ibi κοινὸν πυρετόν, ideſt, cōmunem febrem, quòd ex communi ſit orta principio aeris, eaq; methodus triplex eſt, ut triplici quoque ratione reſiſtimus huic cauſę, nempe fugiendo, illius uitia corrigendo, corpus recepturū muniendo, ne ad ſuſcipiendū νοσερὰ μιάσματα, ideſt, morboſa inquinamenta, facile, aptumq; reddatur. Primum ergo, potiſſimumq; conſilium, ac pręceptum in peſtilentia uitanda, cū pręſertim aeris corruptela contingit, eſt fuga, & ſoli permutatio γῆς ἐπαμοιβὴ, confeſtim mutādus cęli ſtatus, inquit Columella de peſtilentia boum, lib. 6. cap. 5. quod pręſentiſſimū remedium, quoque nullū ſalutarius dicit eſſe Fracaſtorius, ſi fiat tempeſtiue: nam ſi protrahatur quoad quędam μιάσματα corpus attigerint, inanis fuga, imò nonnullorum ſententia pernicioſior, quia magis in aere mox bono affecti cōficiuntur. Hanc regulam poſt Hippocratē, qui eam primus

dedit

dedit 2. de natura humana & 6. Epidem. 5. cont. 20. attribuũt nonnulli Rasi Almansoris Regis Arabici Medico, qui tribus eam aduerbijs circumscripsit, cito, longe, tarde, quæ eleganti allusione medici, quidam recentiores pilulas de tribus appellarunt, quibus nihil tradunt in peste præstantius, quas nos isto uersiculo comprehendimus.

Cede cito, longinquus abi, serusq; reuerte.

Quia vero non oẽs debent, aut possunt loca pestilentia laborãtia deserere succedit altera indicatio. ex Hippo. doctrina 2. de nat. hum. duplici crure incedẽs nempe cauendi primũ, vt ἐλαχίστη ῥεῦσις, quã minima fluxio spiritus os ingrediatur, deinde aeris vitiosi corrigẽdi, vt reddatur, ξενωτάτη, idest, maxime peregrinus, idest, (vt interpretatur Galenus) purus, attenuatus, nullo inquinamẽto corruptus, odoratus, ac salutaris, prorsusque ab eo, qui morbos peperit, alienissimus, ad hoc præstantissimum remedium est ignis, quo vsus Hippocrates hanc ipsam Athenien sem pestem, de qua hic Thucydides, & ipse in 3. Epid. à tota Græcia depulit, cum enim aeris corruptela fiat potissimũ ex humido superuacaneo, quod putredinis parens, merito igne adhibito, quo nihil ad id efficacius, exiccandum fuit, neque tamen ex simplici, & quauis lignorum materia ignis debet accendi, sed ex lignis odoratis, additis corollis, ex suauissimis floribus contextis, alijsque rebus suauiter redolentibus excitandus, quod fecisse Hippocratem testatur Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem, cuius hæc sunt verba. ἐπαινῶ τὸν θαυμασιώτατον ἱπποκράτην, ὅτι τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον τὸν ἐκ τῆς αἰθιοπίας εἰς τοὺς ἕλληνας φθάσαντα, οὐκ ἄλλως ἐθεράπευσεν ἀλλ᾽ ἢ τρέψας τὸν ἀέρα, καὶ ἀλλοιώσας, ἵνα μηκέτι τοιοῦτος ὢν ἀναπνέηται. κελεύσας οὖν ἀνὰ τὴν πόλιν ὅλην ἐξάπτεσθαι τὸ πῦρ, οὐκ ἁπλὴν τῆς ἀνάψεως τὴν ὕλην ἔχον, ἀλλὰ στεφάνωντε καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ εὐωδέστατα, τοιαῦτα συνεβούλευσεν εἶναι τοῦ πυρὸς τὴν τροφὴν, καὶ ἐπισπένδειν αὐτῷ τῶν μύρων τὰ λιπαρώτατα, καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀδμὴν ἔχοντα, ἵν᾽ οὕτω καθαρὸν γενόμενον οἱ ἄνθρωποι ἀναπνεύσωσιν εἰς τὴν ἀπαλλαγὴν τὸν ἀέρα, idest, laudo maxime admirandum Hippocratem, quod pestem illam, quæ ex Aethiopia in Grecos delapsa fuerant non aliter curauit, quã immutato aere, & alterato, ne amplius qualis erat, respiraretur, cum ergo iussisset per vniuersam vrbem ignes accendi nõ simplicem flammæ materiam habentes, sed corollas,

&

& flores quam maximo odore fragrantes; hæc consuluit vsurpanda ad ignem alendum, & ipsi etiam inspergere vnguenta quam maxime delibuta, & suauem odorem habentia, vt hoc pacto purum iam redditum permutantes aerem respirarent; hoc remedio Hippocratem secuti vsi olim sunt in pestilentia etiam Veneti Francisco Foscaro Duce, dum pestilentia laborarent anno 1438. noctu enim ad purgandũ aerem ignes passim ex odorata materia accendebantur, sic in Belgica prouincia hoc præceptum secuti ignibus Bombardarum, earumq; intenso sonitu pestem extinxerũt cum interim plebeij alios ignes in pellibus & cornibus accenderent, a quibus fuit aer expurgatus, vnde natum Adagium dicit Amicus, cornua hic adurunt, ad locum significãdum pestilentia inquinatũ, qui tali egeat remedio. sic Lemnius de occultis nat. mirac. lib. 2. cap. 10. dicit factum apud Neruios, quos Tornacenses modo vocant, vbi milites presidiarij machinas, tormentaq; bellica puluere bombardico, non globis oppleta vrbi obuerterunt, eaque sub diei, noctisq; crepusculum incenso funali explodi curabant, quo effectum est, vt sonitu violento, fumantiq; odore aeris contagium discuteretur, ipsaq; ciuitas à peste facta sit immunis, ac libera, moxq; addit ipse Lemnius. Neque enim minus præsentaneum est hoc remedium in dissipandis nebulis, infectiq; aeris contagijs, quam quod Hippocratem factitasse legimus extructis pyris, congestisq; sarmentis, ac fascibus per compita ignes excitare. Plutarchus in libro de Iside & Osiride reddit huius facti causam, quod scilicet, tenuem reddat aerem ignis frigore, scilicet, & humiditate densatum dissipans, τὸ θολερὸν καὶ ἰλιῶδες, turbatum & caliginosum, & ideo vsurpatum à medicis in pestilentibus morbis, καὶ γὰρ οἱ ἰατροὶ πρὸς τὰ λοιμικὰ πάθη βοηθεῖν δοκοῦσι φλόγα πολλὴν ποιοῦντες ὡς λεπτύνουσαν τὸν ἀέρα, λεπτύνει δὲ βέλτιον, ἐὰν εὐώδη ξύλα καίωσιν, οἷα κυπαρίττου καὶ ἀρκεύθου καὶ πεύκης, idest, etenim Medici ad pestilentes affectus prodesse arbitrantur flammam multam accendẽtes, tamquã attenuantem aerem, attenuat uero melius si bene odorata ligna incendantur, ut cyparissi, iuniperi, & pinus. Huius vero remedij auctorem idem facit Plutarchus Acronem agrigentinum medicum, qui floruit ante Hippo. athenis cum Empedocle teste Suida: ita enim ait ibidem, Ἀκρῶνα

γοῦν

γοῦν τὸν ἰατρὸν ἐν ἀθήναις ὑπὸ τὸν μέγαν λοιμὸν εὐδοκιμῆσαι λέγουσι πῦρ κελεύοντα παρακαίειν τοῖς νοσοῦσιν, ὤνησε γὰρ οὐκ ὀλίγους, i. Acronem igitur Medicum Athenis magna grassante pestilentia vehemẽter laudatum dicunt, quòd ignem iusserit accendi ægrotantibus, non paucos enim iuuit, quod non solũ priuatim, ut hic innuit, sed ẽt publicè factum testãtur incensa pyra Paulus Aegineta lib. 2. cap. 34. Aetius tetr. 2. capit. 94. & Oribasius lib. 7. cap. 24. ijsdem omnes penè verbis. Plinius lib. 36. capit. 27. Empedocli tribuit id, vbi ẽt pestilentiæ solis obscuratione contractæ prodesse ignis suffitum dicit. pestilentiæ, quæ solis obscuratione contrahitur ignis suffitu multiformiter auxiliari certum est, Empedocles, & Hippocrates id monstrauere diuersis locis. In quo arbitror ego esse, μνημονικὸν ἁμάρτημα, ideſt, memoriæ erratum in Plinio, qui pro Acrone posuerit Empedoclem, qui eisdem floruit tẽporibus, & patriæ etiam pestem depulit, sed alia ratione, ut scribit Plutarchus aduersus Colotẽ, obstructis mõtis faucibus, per quas Auster in campos incidebat, ut etiam Selinuntijs Siciliæ populis (auctore Laertio) suis sumptibus deductis proximis fluminibus ad temperandum aquarum putridarũ influuia afferentia grauitatẽ odoris, & fœtorem, δυσωδίαν, quæ causa erat pestis, quare non solum publice, sed in priuatis etiam ædibus ignibus odoratis vtendum ad aerem repurgandum, sed habenda semper est ratio regionis, anni temporis, temperamenti, ætatis, consuetudinis, & similiũ, quæ indicationes (ut medicis vtar uocabulis) solent interdum rationẽ, & modum remedij immutare, vsus enim rerũ præcipit non abusus, ut hi faciũt, qui in ipso calore æstatis ignes accendũt magnos, qui potius obsunt, nisi sint moderati eo tpe P. Aegineta lib. 7. c. 22 scribit κῦφι, valere ad p̃seruationẽ à peste, πρὸς τὰ λοιμικὰ προφυλάξαι πάθη Duplexq; proponit, alterum magnum dictum solare ex triginta sex rebus confectum, alterum lunare ex viginti octo, quibus utebantur Aegyptij in sacris Solis, & Lunæ quotidie ad purgandum aerem, quia scilicet Solem, & Lunam aeris opera omnium esse bonorum, malorumq; auctores putabant, de quo multa Plutarchus de Iside & Osiride. Hoc quoque remedio vsos Romanos scribit Herodianus Commodi temporibus lib. 1. ubi dicit in magna illa pestilentia Commodum medi-

corum consilio secessisse in Lauretum à laurorum nemori bus nomen adeptum, quod scilicet, laurorum εὐωδία, idest, bonus odor reluctaretur, ac resisteret aeris corruptelæ, πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθοράν, nam quoque Plinius lib. 24. cap. 8. in hãc sententiam dixit Laurus delphicæ folia trita, olfactaq; subin de pestilentiæ contagia prohibent, tanto magis si etiam urã tur, præterea ẽt aduersari venenis lauream ueteres prodide re, ut testat̃ Valerianus in hieroglyphicis; quia vis illi ignea sit teste Eusebio, & ideo dæmonibus inuisam, & morbos sacros abigit, & coruus vbi chaamaleõtem occidit, à quo læditur, lauro infestum virus extinguit. Idem Herodianus eodẽ loco scribit cæteros Romanos in Vrbe Medicis iubentibus esse vsos rebus odoratis, & suffitibus aromatum, ait enim, ἀλλὰ καὶ οἱ κατὰ τὴν πόλιν κελευόντων τῶν ἰατρῶν μύρου εὐωδεστάτου τὰς τε ὀσφρύσεις καὶ τὰ ὦτα ἐνεπίμπλασαν, θυμιάμασί τε καὶ ἀρώμασι συνεχῶς ἐχρῶντο, φασκόντων τινῶν τὴν εὐωδίαν φθάσασαν ἐμπιπλάναι τοὺς πόρους τῶν αἰσθήσεων, καὶ κωλύειν δέχεσθαι τὸ φθινῶδες τοῦ ἀέρος, ἢ καὶ τὸ προεμπέσοι, κατεργάζεσθαι δυνάμει κρείττονι, idest, verum & ciues in Vrbe degentes ita iubentibus medicis vnguento maximè odorato nares, & aures implebant, suffitibusque, & aromatis continenter utebãtur, cum quidam asseuerarent bonum illum odorem præoccupantem, implentemque meatus sensuum prohibere, ne reciperetur tabes aeris, uel si quid etiam confluxisset prius, maiore ui confici, ac profligari, in quo illud notatu dignum, quòd iubebant illi Romani Medici aurium meatus implere odoribus, forsitan existimantes nos per aures quoque inspirare, vt de capris credidit Alcmæon, quem refutauit Aristoteles; quorum fortasse auctoritate motus nostri tẽporis insignis medicus Manardus lib. 5. epist. 3. iubet aures oleo de spica suaue olenti interius inungi. Arabes quoq; Medici vt Auicennas & Rasis monent aerem corrigendum rebus odoratis tum incensis tum aspersis per cubiculos, tum manu gestatis, & naribus attractis, quare etiam Laurentius Ioubertus insignis Medicus lib. de peste cap. 11. vult etiam collo appendi odoramenta quæ sępius manibus contrectentur, & naribus admoueantur, vbi etiam quorundam reijcit sententiam, qui odoramenta improbabant, cum dicerent uenenum ad cor odoribus peruehi expeditius, & eius adiuuari

penetrationem de qua re etiam facit mentionem Massarias libro 2. & eorum non probat opinionem, & ridenda profectò, ac explodenda quorundam opinio, qui putarunt fœtorem, & tetrum odorem posse pestem expellere, quasi venenum veneno tollatur, vt de arsenico tradunt gestato, sed in hoc non probatur ratio, quia similis non est, & latrinis profecto donandi, qui latrinarum inspirari odorem aduersus pestem suadent, quos etiam ridet Ioubertus in dubitationibus de peste. dub. quinta.

Tertiũ remediũ corporis, & animi perturbationũ expurgatio.

Tertia indicatio præcustodiendi homines à pestilentia prodit ex ipso corpore suscepturo, quod imprimis debet à recrementis superuacaneis esse immune, & expers, ea enim quę his referta tamquã sulphur ad ignem aut esca, sunt prõptissime obnoxia ac parata, & hunc vnũ primum, & omnibus cõmunem vocat Scopum Galenus, 1. de diff. feb. cap. 4. εἷς μὲν γὰρ καὶ πρῶτος σκοπὸς ἐστὶ ἐπὶ πάντων κοινὸς ἀπέριττον ὅτι μάλιστα καὶ εὔπνουν εἶναι τὸ σῶμα, vnus enim, & primus scopus est in omnibus communis à recrementis vacuum quã maxime corpus esse, & transpirabile. Ad hoc igitur Socratica adhibenda antidotus, quæ nunquã frustra suscepta dicitur, quæ fuit temperantia, & moderatio in ratione victus, quæ græce dicit̃ diæta, per quod vocabulum cum Medi. principibus Hippo. & Galeno omnes res à medicis dictæ non naturales debent intelligi aeris expiratio, & inspiratio, cibus & potus, somnus, & vigilia, motus & quies, animi perturbationes, & vsus Veneris, postremo recrementa tum deiecta tum retẽta, & alia, si quæ sunt à medicis adhibita, præter pharmacum & chirurgiã & huc pertinet tota Celsi obseruatio lib. 1. cap. vltimo tradita, qua quis in pestilentia vtatur adhuc integer, cum tamen securus esse non possit. Quam ego cum Cicerone in libro de off. duabus administris, & quasi ancillis suffultã more venetæ matronę cuperem incedere, quæ sunt notitia sui corporis & temperamenti, & cognitio earum rerum, quæ prodesse, & obesse possunt. Hac vsus Socrates in hac ipsa Atheniensi peste se incolumen præstitit, de quo Aelianus 5. histo. lib. quintodecimo sic, σωκράτους σῶμα ἐπεπίστευτο κόσμιον, καὶ σωφροσύνης ἐγκρατὲς γεγονέναι, καὶ ταύτῃ ἐνόσουν ἀθηναίοι πανδημεὶ, καὶ οἱ μὲν ἀπέθνησκον, οἱ δὲ ἐπιθανατίως εἶχον, σωκράτης δὲ μόνος οὐκ ἐνόσησε, idest, Socratis corpus

probatum est esse moderatum, & temperantiæ beneficio continens, & propterea cum vulgo pestilenti morbo ægrotarent Athenienses, ex qnibus alij interibant, alij ad mortis vsque periculum grauiter affligebantur, solus Socrates non ægrotauit, & Aulus Gellius noct.att.lib.2.cap.1.de eo sic ait. Temperantia eum fuisse tanta traditum est, vt omnia fere vitæ suæ tempora a valetudine inoffensa vixerit, in illius pestilentiæ vastitate, quæ in bello Peloponnesiaco in primis ipsam Atheniensium ciuitatem internecino genere morbi depopulata est, is parcendi, moderandique rationibus dicitur à voluptatum labe cauisse, & salubritates corporis retinuisse, vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius: nam (vt præclare docet Galenus Commen.2. in primum Epid. Hipp. cont.7.& 3.in 3.cont.32.& apertissi. verbis Oribasius lib.7.cap.24.2. Aegineta lib.2.cap.14.) offensiones aeris pestilentis victus genere instituto à tempestate dominante diuerso, facile declinari possunt, quia eodem auctore. de diff.feb. cap.4. οὐδ᾽ ἓν τῶν αἰτίων ἄνευ τῆς τοῦ πάσχοντος ἐπιτηδειότητος ἐνεργεῖν πέφυκεν, idest, nulla causa sine patientis aptitudine agere natura consuenit, & Auenzoar lib.2. tra.3. cap.1. testatur eos qui bene, & ordinate se custodiunt (verbis eius vtor) & habent cautelam, & præuisionem conuenienté euadere bene a periculo, & nocumēto pestis, & qm̄ homo non solo corpore constat, sed ēt animo, cuius plerumq; perturbationes grauissimos pariunt morbos, & in ipsa potissimū pestilentia dominātur, vel ipso in hac ipsa narratione teste Thucydide, qui dicit, ἀθυμίαν, idest, animi defestioné, ac mærorem extitisse, δεινότατον παντὸς κακοῦ, grauissimum malorum, qua etiam ad desperationem, πρὸς τὸ ἀνέλπιστον, adducebantur, aliud excogitauit adhuc remedium mæroris alexipharmacum antiquitas, nēpe Musicam, cuius ui apud veteres innumerabiles, maximosque morbos sanatos fuisse compertum est, vt nos in nostris hebdomadis ex Plutarcho, Atheneo, Martiano Capella, & Boethio ostēdimus. Plutarchus enim auctor est in tract. de Musica ex Pratinæ testimonio, qui id scriptum reliquit, Lacedæmonios à Thalete Cretensi, quē ex oraculo Pythij Apollinis acciuerāt, à peste fuisse Musica liberatos, quod etiam comprobat Martianus Capella, qui lib.9. de laudibus Musicæ inter alia hoc quoq; recitat

recitat Thaletem Cretensem Citharę suauitate morbos, ac pestilentiam fugauisse, quod fortasse voluit significare etiã Homerus, cum fingit græcos in placando Apolline auctore Pestilentiæ totum diem concinuisse Pæana.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι ἀχαιῶν. idest,
Placabant totam per lucem numina phœbi,
Græcorum Iuuenes pulchrum pæana canentes.

Nonnulli interpretãtur Musicam hanc, & hoc remedium nihil aliud esse nisi ipsam animi lætitiam, de quo remedio, in ipsis agemus prælectionibus, cum venerit occasio. Et quoniam interdum ita comparatum est hominis corpus, ut nulla ferè diligentia prohiberi possit, quin quædam reliquię confecti consumptique cibi, ac nutrimenti iam immutati, quas natura respuit, tamquã purgamenta gignantur, quæ debent ex corpore medicæ artis præsidio extrudi, à medicis excogitati duo fontes artis uberrimi ad id præstandum, in omnibus, quas aggreditur natura coctiones, missio sanguinis, & pharmacia: quę licet communia sint omnibus morbis, & in pestilentibus constitutionibus vsurpari solent per rationes omnibus communes, Duo tamen sunt ex his, quæ nominatim in veteribus adhibita ad pestem inueniuntur tamquam opportuna remedia ad utrumque, sanandam, scilicet, & præcauendam pestem. primum ex primo fonte repetitum refertur ab Oribasio lib. 7. medic. collect. capitu. 20. ex Apollonio de Scarificatione, nempe ipsa crurum Scarificatio, de qua ita loquitur Apollonius. Cumq; pestilentia vehemens per Asiam vagaretur, multique ob eam causam obirent, egoq; in morbum itidem incidissem, secundo die, cum remissio fieret, crus scarificaui, & ad duas libras sãguinis detraxi, atque hac ratione vitaui periculum, quo sane auxilio cum multi quoque vsi essent, sunt seruati, erant enim signa plenitudinis, atque illi pręcipue euaserunt, qui sanguinem copiose euacuauissent, ex quibus postremis uerbis non esse hoc præceptum, ac dogma vniuersale colligitur in omni pestilentia, sed in ea tantum, quæ cum plenitudine humorum coniuncta, nam interdum in pestilentia ab omni missione sanguinis abstinendũ, quod Galenus videtur testari in principio de librorũ bonitate, ac vitio, vbi dicit in illa pestilẽtia,

quæ

quæ famem illam longam est consecuta, non iniuria quosdam Medicos reformidasse sanguinis mittendi remedium, ob virium imbecillitatem, sed in hoc magna est inter medicos controuersia de mittendo sanguine in pestilentia, quemadmodum etiam de pharmacis, cũ quidam omnino negent mittendum, tum ob virium antedictam imbecillitatem, quã in omni peste consequi statim arbitrantur, tum quia dicunt hoc remedio impediri impetum, τὴν ὁρμὴν, naturæ, ne ad cutim, aliasve partes ignobiliores pestiferi ac venenati succi amandentur, & transmittãtur, sed hoc veluti freno intus retineri, ac reuocari, atque attrahi, quod contra alij euenire cõtendunt, tum etiam quòd sanguis ageretur non mediocriter, vt Fracastorius, ait lib. 3. capitu. 7. de qua quæstione pleni sunt medicorum de peste disputantium libri, ut Massarias lib. 2. Philippus Ingrassias parte 4. capit. 5. Petrus Parisus c. 9. Antonius Portus lib. 3. c. 8. & 9. Amicus c. 54. & alij complures, ex quibus alij aiunt, alij negant. præterea quod ad hoc attinet, sciendum non paucos in ea esse opinione, ut putent istis temporibus nesciri quid sit Scarificatio, & nostros ministros non intelligere genus illud operationis longe diuersũ à cucurbitulis scarificatis, quorum in numero est doctissimus Mercurialis, & Massarias, qui libro secundo, dicit contemptui nunc haberi apud nostrates plerosque medicos, & esse penitus obliuioni traditam, a se uero adhibitam non sine magno emolumento, licet nullum vnquam ministrum idoneum inuenerit, qui opus probe, & accurate administraret, quod etiam sibi accidisse testatur Mannius in libello de malleolorum scarific. in Aegypto, quod mirifice præstitum narrat ab Arabe Medico Memphis. Alterum remedium ex altero fonte acceptum licet cõe omnibus ardentibus, & inflammatis febribus, tamen nominatim in peste, proponitur à Paulo Aegineta, & alijs Græcis lib. 2. capit. 3 ?, estque, vt in illo ardore, & flamma pestilentis febris, cum siti insedabili excruciantur, frigida propinetur; τὸ ψυχρὸν πόμα, neque κατὰ μικρὰ, idest, paulatim, & pluribus vicibus, sed ἀθρόον, idest, aceruatim una vice, & affatim, πρὸς τὸ σβέσαι τὴν φλόγα, idest, ut flammam extinguat, quod videtur ex Hippocrate acceptum, qui in pestilentibus cõstitutionibus frigidam dedit, ut in septimo, primi Epidem. Aegroto, qui fuit

fuit Meton. δευτέρῃ ὕδωρ πίνοντι ὑπόσυχνον ἀπὸ κοιλίας καλῶς ἦλθε, ideſt, ſecunda die cũ multã potaſſet aquam, ex ventriculo probe deiecit, idem remedium probant duo Arabum precipua lumina Raſis, & Auicenna hic 4. can. cap. de peſtilenti febr. his verbis, & aqua frigida plurima ſubito eſt iuuatiua valde, pauca autem conſequenter exhibita fortaſſe excitat caliditatem, Raſis vero lib. cont. 30. tract. 13. cap. 2. ex Ioannitio, qui fuit Humain, & in decimo ad Almanſorẽ rurſus hoc proponit remedium cum rob, & fructibus acetoſis, & ſtypticis ad febrem peſtilentem, quod etiam in 4. prius. cap. 5. laudarat, ad præcautionem commendans aquã niuis, vel aquam niue refrigeratam quẽ locum perpendens Maſſinius lib. 2. de Gelidi potus abuſu, negare non audet frigidæ vim ad peſtilentiam arcendam, & dicit laudari à Raſi, non prout habet rationem ſimplicem materiæ potulentæ, quinimo potius, prout habet rationẽ præſidij ſtrenue præcuſtodientis homines à peſte. Fracaſtorius etiam eam commendat cum ſyrupo acetoſo, vel ſucco citri in ætate iuuenili, & robuſta conſueta potui aquæ, cæteris etiam conſentientibus.

Quartum remedium alexipharmaca contra venenũ peſtis.

Quoniam vero, teſte Galeno, in loco antecitato, pro curãda peſte, non ſolum ſatis eſt corpus vacuum à recrementis tueri, qui primus dictus eſt eſſe ſcopus, ſed etiam oportet peſtiferi morbi cauſam dominantem oppugnare, quantũ fieri poteſt, & illius vires minuere, qui ſecundus ab illo proponitur ſcopus πρὸς τὴν δυναστεύουσαν αἰτίαν ἀπομάχεσθαι ὡς δυνατόν. quod eſt venenata illa qualitas, quæ cor ipſum afficit, pati potiſſimum ſolitum in peſtilentia; quæ gigni non poteſt ſine cordis, aut contentorum in corde putredine, vel noxa; hinc varia antidotorum genera excogitauit antiquitas, quæ non ſolum manifeſtis qualitatibus, ſed occulta etiam vi, atque totius ſubſtantiæ natura peſtis veneno deuorata aduerſarentur, & cordis arcem; qua expugnata conclamatum eſt de vita, tuerentur. Has nos breuiter, & ordine perſequemur, diſtributis vnicuique pro dignitate cuiuſque locis, ac gradibus. Primus igitur locus tribuetur iure merito Galenicis antidotis, duabusq; præſertim legitimis: nam duas alias, licet à Galeno nominatas proferemus; non tamen probatas ab eodem. Principem vero inter Galenicas, atque adeo inter

omnes

omnes sine vlla controuersia locum, suo quasi iure sibi vendicat Theriaca, cum socio Mithridato, quam ita Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem, cap. 16. laudat, vt dicat tanquã purificantem ignem ab Hippocrate in pestilentia vsurpatũ; qui sani adhuc eam biberint non permittere, vt pestilentia corripiantur, iam ægrotantes vero sanare, cum aeris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturã corrumpi non sinendo, imò si optima non fuerit, vt fiat talis procurando, sanguinis qualitatem alienam, & contumacem vincendo, amicumq; ex aduersaria, & inimica reddendo, venenumq; pestis per arterias diffusum in omne corpus mutando, necnon viscerum ora obstructa reserando, inuisibilia cutis foramina impedita expediendo, humoris putridi partem sudore digerendo, quæ sunt ipsius munera propria: quare Galenus dicit se deprehendisse eam, vel solam posse in pestilenti constitutione succurrere, cum nullũ aliud præsidiũ tam magno malo valeat resistere, nec immerito inquit, cum pestis ipsa quasi venenata fera ciuitates depascatur. Et in libro de illius vsu ad Pamphilianum testatur ex ægrotantibus in pestilentia multos, assumpta Theriaca, conualuisse, paucos, in quibus nimium alte radices fixerat malum, occidisse, reliquos omnes, quos nondum pestis attigerat, ne in morbum quidem incidisse, auctoremq; eius in pestilentia exhibendæ fuisse Aelianum Metium in illa peste, quæ Italiã inuaserat. Eius vero vsum, & dosim præscribit cap. 17. ad Pisonem ad fabæ Aegyptiæ magnitudinem, quando modicũ interuallum superest ad antidoti coctionem, interdum ad nucis auellanæ quantitatem ex tribus aquæ cyathis, quando plus temporis superest, quo possit in corpus digeri Theriaca, quod spacium solet esse sex horarum. Neque tamen firma, & stata est hæc mensura: nam variatur pro ratione corporum, temperamenti, anni temporis, & similium, maiorq; semper copia ad curandum, quàm ad præseruandum datur, quia scilicet alexiteria ferè omnia, & bezoartica (vt Arabũ vocabulo vtar) cum est in corpore venenum, in illud vehementer agunt, si sanum sit corpus, & largius sumantur, teste Auerroe, 5. coll. c. 23. sunt sicut venenũ, & veneni accessiones inducunt. Hanc nemo est, qui non mirificis laudibus extollat, & recentiores omnes in omnibus miscent medica-

dicamentis, & eam odorandã manu tenendam contrectandam iubent. Aquas ex ea destillant dictas theriacales, & alia: quod vero de Theriaca dictum, idem dictum de Mithridato, cuius penè eadem compositio præter viperas.

Altera antidotus à Galeno legitima proponitur lib. 9. de simpl. medicament. facult. cap. de terra Samia. Dicit enim ibi glebam Armeniam præclarissimum, & præsentissimũ esse remedium. Cuius hæc sunt verba: ἐν δὲ τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ πάντες οἱ πιόντες τούτου τοῦ φαρμάκου διὰ ταχέων ἐθεραπεύθησαν· ὅσους δὲ οὐδὲν ὤνησε, ἀπέθανον πάντες, οὐδ' ὑπ' ἄλλου τινὸς ὠφελήθησαν, ᾧ καὶ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀνιάτως ἔχοντας οὐκ ὠφέλησεν· πίνεται δὲ μετὰ οἴνου λεπτοῦ τὴν σύστασιν, κεκραμμένου μετρίως μὲν εἰ ἀπύρετος εἴη παντάπασιν ὁ ἄνθρωπος, ἢ βραχὺ πυρεταίνοι, πάνυ δὲ ὑδαρῶς, εἰ πυρέττοι μειζόνως, idest, in magna vero peste hac, quæ adsimilis fuit natura, illi, quæ Thucydidis tempore grassata est, omnes, qui biberunt hoc medicamentum celerrime curati sunt; quos vero non iuuit, mortui sunt omnes, neque ab ullo alio medicamento adiuti, ex quo fuit exploratum, quòd solos eos, qui erant insanabiles, non iuuit. Bibitur vero cum vino tenui consistentia, mediocriter diluto quidem, si careat febre omnino, qui sumet, uel leuiter tantum febricula tentetur, ualde uero aqueo, si ualde febriat: Sunt etiam qui lemniam idem pręstare dicant huic affinem, & Agrieola in 2. auctor est Turcas nostris temporibus ea uti ad sanandos peste correptos, & tuendos etiam ne corripiantur. Laurentius etiam Ioubertus eam vehementer laudat, & adhibet ferè in omnibus compositionibus aduersus pestem, quòd non modo pręseruandi facultate polleat, sed etiam curandi, neque id qualitatibus manifestis tantum, vt quidã uolebãt, afferentes sola uisciditate, & astrictione deleterijs reluctari, obstructis, & coarctatis meatibus, per quos ad cor uenenum queat peruenire, sed occulta etiã proprietate, quod Galeni probat auctoritate. Idem alij de alijs terris sentiunt, & prædicant, sed nos ab antiquis non discedimus. Petrus Bayrus longa disputatione differit de Bolo Armena, an conueniat in peste, & multis hinc inde propositis argumentis, tandem determinat, quibusdam iactis quasi disputationis suæ fundamentis, conclusis videlicet quando, & quomodo adhiben-

da,quem qui uult perlegat: non enim est ocium quicquam ex eo decerpere,cum sit longiuscula, ne dicam putidiuscula disputatio. Idem Galenus mentionem facit alterius remedij ad pestem adhibiti,sed non tamen illud nobis proponit, vt suum, sed recitat vt alienum, & à se non satis probatum. In 10.enim de sanitate tuenda,cap.de vrina humana,dicit in Syria homines illos solitos vrinam sumere, & inde se seruatos arbitrari,quem tamē vsum ipse non laudat,cum eam degustare sit abhominandum, idq; exemplo honesti cuiusdā viri probat,qui peste correptus, ne dum pueri vrinam hauri re sustinuit, & maluit mori. Hoc remedium plerique ex recentioribus proponunt, Marsilius Ficinus vrinam simpliciter, Philippus Ingrassias vrinā pueri, Iacobus Hollerius vrinam propriam: quidam recentiores (vt testatur Massarias lib. 2)vrinam,vel maxime pollutam,& eorum quoque, qui iam peste correpti sunt, Auerroes,& Auenzoar vrinam hic, ci à proprietate,& tota substantia contra pestem laudant, & eius potissimum odorem, & citātur à Mercuriali cap.22.vbi etiam recitat historiam magni Hirci seruati Viennæ apud Hungariæ Cancellariū pro peste. Pausanias lib.9. qui inscribitur Bæotica,testatur fuisse templum Mercurij κριοφόρου, id est,hircū ferentis, eo quòd scilicet Mercurius eos populos à pestis periculo liberarit, circū muros vrbis delato hirco:quare etiam statuā effinxit Calamis Mercurij humeris hircū ferētis. Facit ēt mentionē Lylius Gregorius Gyraldus de Dijs gentium, nullo tamen citato auctore, à quo id acceperit & Aurelius lib. 1,de cognominibus Deorum.cap.5.verba Pausaniæ sunt: ἐς δὲ τοῦ ἑρμοῦ ἱερὰ, τοῦτε κριοφόρου, καὶ ὃν πρόμαχον καλοῦσιν. τοῦ μὲν ἐς τὴν ἐπίκλησιν λέγουσιν ὡς ὁ ἑρμῆς σφίσιν ἀποτρέψαι νόσον λοιμώδη περὶ τὸ τεῖχος κριὸν περιενεγκών. καὶ ἐπὶ τούτῳ Κάλαμις ἐποίησεν ἄγαλμα ἑρμοῦ φέροντα κριὸν ἐπὶ τὸν ὤμων. ὃς δ' ἂν εἶναι τῶν ἐφήβων προκριθῇ τὸ εἶδος κάλλιστος. οὗτος ἐν τοῦ ἑρμοῦ τῇ ἑορτῇ περίεισιν ἐν κύκλῳ τοῦ τείχους ἔχων ἄρνα ἐπὶ τῶν ὤμων, idest, Ad Mercurij sacra, hircumq; ferentis, & quem propugnatorem vocant, illius quidem cognominationem ferunt inde ortam, quod Mercurius ipsis auerterit morbum pestilentem circa murum hirco delato, & ad hoc Calamis finxit statuam Mercurij ferentem hircum humeris, & qui ex Ephœbis forma præstare iudicatus fuerit, Hic in Mercurij festo

ambit

ambit in circuitu murum ferens agnum super humeris. Idē Pausanias in Phocicis testatur Cleonęos pestilentia laborantes ab oraculo, quod consuluerant, iussos Sole ptimū oriente caprum immolare, & mox lue sedata æneū caprum Apollini Delphos misisse. Et Thomas Iordanus lib. de pestis Phœnom. cap. 9. tract. 3. Meminit quoque huius remedij, & ait de Olido Hirco referunt eapropter cęlo pestifero ali, vt quicquid est sordidorum odoramentorum eo sese recipiat; nisi dicas fœtorem hircinum superare alios, & obtundere usque adeo, ne percipiantur, quēadmodum plantas odoratas uegetiores reddi allio circumpacto, quòd uirtus è uicinis ad sese trahit, sincerumq; pabulum coronarijs indulget plantis. Laurentius quoque Ioubertus facit huius præsidij mentionem tanquam omnibus antepositi ab Auerroe, & nonnullos dicit huius auctoritate permotos in pestilentia hircum contrectare frequenter, & olfacere. Quòd si Galenus urinā etiam pueri reijcit, quid facturum fuisse arbitramur, si quosdam audisset, qui etiam stercora (si Dijs placet) ut columbi, & galli laudant, quod dat Auenzoar, & aquas ex humano stercore destillatas? quid de stercore gallinę nigræ, quod in Mediolanensi clade maximi fructus extitisse testatur Antonius Portus lib 2. cap. 44. & lib. 3. cap. 11. In libello etiam Galeno ascripto de Incantatione dicitur Hiacynthum suspensum collo, uel in digito conclusum annulo tueri à peste, si quis pestiferam regionem ingrediatur. Hoc remedium ab Arabibus quoque cōmendatur ad regionem cordis appensum: de cuius ui multa Auicennas in lib. de med. cord. hinc recentiores electuariū de Hiacynthis excogitarūt, quod mirifice prodesse testantur. Sed hæc duo postrema non tanquā Galenica proponūtur, & hoc ultimū est ex genere τῶν περιάπτων. Secūdus locus tribuit Rufi potioni, de qua Paulus Aegineta lib. 2. cap. 36. vbi meminit duorum à Galeno propositorum Theriacæ, & boli Armenæ, pro tertio nobis proponit Rufi potionem, quæ accipit aloes, & ammoniaci thymiamatis partes duas, myrrhæ partem vnam, dandamq; præcipit in vino odorato ad mensuram dimidij cyathi ad fabę magnitudinem quotidie. De qua dicit Rufum fuisse testatum se neminem cognouisse, qui hoc adhibito pharmaco, à peste non esset immunis. Eandem laudat Auicennas post The-

riacam, & Mithridatum; sed crocum loco ammoniaci proponit, vt etiam Rasis, qui de sententia Rufi eam laudat, sed Arabes pilulas vocant, quòd scilicet ob magnitudinem ægre sumentibus, qui laborabant in catapotiorum formam faciliorem deuoratu redegerunt, Græci potionem. Recentiores ob præstantiam vocant pilulas vitæ, & pestilentes, & varijs eas modis multis additis commutarunt, sed doctiores præbent simplices, vt à veteribus fuere institutæ, inter quos præcipui ex Parisiensi Schola Fernelius, Plantius, Hollerius, Iacotius, Valesius, & cæt. Tertium locum, & gradum legitimæ antidoti sibi asciscit ob regiam dignitatem Mithridatis Regis antidotus, de qua ita Plinius lib. 23. capitu. 8. In Sanctuarijs Mithridatis maximi Regis deuicti Gnæus Pompeius inuenit in peculiari Commentario ipsius manu compositionem antidoti, duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ folijs viginti simul tritis, addito salis grano, & qui hoc ieiunus sumat, nullum ei venenum nociturum illo die. Quintus vero Serenus Poeta, & Medicus ita de ea cecinit:

Antidotus vero multis Mithridatia fertur,
Consociata modis, sed Magnus scrinia Regis,
Cum caperet Victor, vilem deprehendit in illis
Synthesim, & vulgata satis medicamina risit.
Bisdenas rutæ frondes, salis & breue granum,
Iuglandesq; duas, totidem cum corpore ficus.
Hæc oriente die parco conspersa lyæo
Sumebat, metuens dederat quæ pocula matri.

Hanc eandem proponit Galenus 2. de antid. cap. 9. sed non Mithridati, verum Apollonio Muri tribuit. Inter προφυλακτικὰ τῶν θανασίμων φαρμάκων, idest, præseruantia à lætiferis poculis. πηγάνου φύλλα καὶ κάρυα βασιλικὰ β. ἁλὸς χόνδρον ἕνα ἰσχάδας β. ταῦτα νῆστεσ ἐσθίειν δίδου, καὶ κωλύει βλάπτεσθαι ὑπὸ τῶν θανασίμων, idest, rutæ folia viginti, nuces iuglandes duas, salis granum vnum, ficus duas, hæc ieiuno bibenda dato, & vetat lædi à venenis lætalibus. Quam etiam commendat 2. de alimentorum facult. cap. 28. de nucibus, multorũ medicorum testimonio, ita enim loquitur: γέγραπται δὲ ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν, ὡς ἐὰν ἄμφω ταῦτα πρὸ τῶν ἄλλων σιτίων λαμβάνονται μετὰ πηγάνου, μηδὲν ὑπὸ τῶν θανασίμων φαρμάκων μεγάλα βλαβήσεσθαι τὸν ἄνθρ-

ἄνθρωπον, ideſt, traditum eſt à multis medicis, quòd ſi quis ambas has nuces ante alios cibos ſumpſerit cum ruta, nihil magnopere læſum iri hominem à pharmacis lætalibus, & Auicennas lib. 2. de nuce, uerba faciens ait. Eſt cum ficubus, & ruta medicina omnibus uenenis. Atheneus lib. 3. narrat, citato Theopompi Chij teſtimonio, hiſtoriam Clearchi Heracleotæ tyranni, qui ciues potu cicutæ amice propinato necabat, quod ubi illi reſciuerunt, omnes eſu rutæ ſibi cauebant, edentes antequam domo egrederētur, quamuis enim bibiſſent mox, minime lędebantur. Dioſcorides lib. 3. 47. de ruta. Idem teſtatur, προβρωθέντα δὲ τὰ φύλλα καθ' ἑαυτὰ ἢ μετὰ καρύων βασιλικῶν, καὶ σύκων ξηρῶν ἄπρακτα καθίστησι τὰ θανάσιμα, id eſt, præmanſa eius folia per ſe, & cum nucibus iuglandibus, & ficubus ſiccis inefficacia uenena reddunt, de cuius quidē rutę, & ficus affinitate mira narrant, & ibidem Dioſcorides, & Theophraſtus 5. de hiſtoria plantarum, Plutarch. ſympoſ. 5. cap. 9. Plinius lib. 19. cap. 7. & Palladius, alijq; Scriptores. De iuglandis uero ui aduerſus peſtem pręter ueterum teſtimonia, quę multa; habemus Droeti teſtimonium, qui in conſil. de peſte, cap. 10. aſſerit perditiſſimos Nebulones, quos magiſtratus Lugdunenſis mulctauit ob propagatā peſtilentiā, faſſos eſſe, cum ad ſupplicium deducerentur, ſeſe nullo alio prę́ſidio defendiſſe à peſte, quam nuce iuglande, quam ad ignem parumper adurebant, priuſquam comederent.

Quartus locus debetur Hippocraticę antidoto, quam recitat Actuarius lib. 5. de meth. med. ſiue (ut quidam inſcribunt) de compoſitione medicam. 1. qua uſum Hippocratē dicit corona fuiſſe donatum. Quod de Athenienſi peſte intelligendum; extat enim decretum de illo coronādo ob depulſam peſtilentiam: & ita intellexere Maſſarias, & Bucius cap. 16. illius deſcriptionem habetis apud Actuarium, & repetitur à Maſſaria, & Bucio. In hoc ordine ego conſtituo complures antidotos antiquorum ad uenena, ut illam, quę diaſchinchu 2. de antid. cap. 9. proponitur à Galeno Mithridati Eupatori attributa, quam dicit inter cętera ualere etiam πρὸς τὴν φθοροποιὸν ὕλην, ideſt, ad peſtilentem materiam: nam omnia medicamenta fere, quę ad uenena πρὸς τὰ θανάσιμα ab antiquis ſunt tradita, & à Galeno recitata, à recētioribus ad peſtem uſurpata profuerunt, neque immerito, cum Galenus

lenus ipse vim Theriacæ ad pestem extollens ita colligat, si vincit venenum, multo magis pestem, vt electuarium διὰ αἱμάτων, ex sanguinibus, quod proponit ibidem ex Damocrate. Sed Paulus primo, mox Manardus multis modis immutarunt, vt electuarium de gemmis antidotus zopyria, ambrosia, de centum rebus ἑκατονμίγματος Cæsari olim à Galeno præparata, vt electuarium de Euphorbio, quod commendat Auenzoar, & æquiparat Theriacæ, ac Mithridato, & de ouo, & similia, vt etiam Theriaca Diatessaron descripta à Mesue nomen adepta à quatuor rebus, quibus constat Gētiana, baccis lauri, myrrha, Aristolochia rotunda, quā nōnulli, vt Nicolaus Salernitanus multis additis immutarunt.

Quintus locus assignatur antidoto διὰ καπνωνίας, quam nobis proponit Aetius primo libro 15. capitu. 102. & prodesse summopere testatur ad pestilentes, & epidemicos morbos ex vitiato aere obortos, & in principio datam præcustodire à pestilentia, mox Actuarius lib. 5. asserens & ipse prodesse ad præcautionem pestilentiæ, cæli vitio enatæ. Sextus locus conceditur simplicibus quibusdam herbis, seu radicibus, inter quas, teste Dioscoride, palmam refert Myrhidis radix in preseruando, & tuendo corpus, ne recipiat venenum, & inquinamenta pestis, de qua ille lib. 4. cap. 11. hæc verba profert: ἱστοροῦσι δὲ ἔνιοι πινομένης αὐτῆς δὶς ἢ τρὶς τῆς ἡμέρας σὺν οἴνῳ ἐν λοιμικαῖς καταστάσεσιν βοηθεῖν πρὸς τὸ ἀνόσους διαμένειν, idest, ferunt nonnulli bis, terve ea epota per diem cum vino in pestilentibus cōstitutionibus auxiliari, vt incolumes à peste perseuerent. Marcellus vertit epota radice, & dicit esse similem cicutæ, & proinde cicutariæ nomen apud nōnullos adeptam, Manardus esse vult illud oleris genus, quod dicitur vulgo Cherefoliū, alij quam vocant Angelicam: sed horum refutat opiniones Matthiolus, quamuis non neget has herbas venenis mirifice aduersari, & arcere pestilentiā haustam, & cōmansam frequenter, dicitq; dari radicis semidrachmam cum Theriacæ drachma vna ex sua ipsius aqua his, qui peste laborāt, & deinde sudare cogendos, & repeti eodē modo post septem horas. Agricola dicit dari victoriati pondere myrrhidem ex vino. Subscribit Dioscoridis sententiæ Plinius, qui lib. 24. cap. 16. ita de illa narrat. Myrrhis, quam alij Myrrhizam, alij Myrrham vocant, simillima est cicutæ, caule,

le, folijsque, & flore, minor tamen, & exilior, cibo non in sua uis, cit menstrua, & partus cum vino. Aiunt quoque eandē potam in pestilentia salutarem esse, idem Plinius idem dat testimonium de Aro lib. 24. cap. 16. his verbis de illo locutus, dicunt & pestilentia salutarem esse in cibis. Et de Verbasco suo more superstitiosum quid, & fabulosum refert ad pestē depellendam lib. 26. cap. 9. vbi ait: Experti affirmant plurimū referre, si virgo imponat nuda, ieiuna ieiuno, & manu supina tangens dicat. Negat Apollo pestem posse crescere, quā nuda virgo restinguat, atque ita retrorsa manu ter dicat, totiesq; despuant ambo. Sub hoc ordine collocandæ à nobis septem illæ celebres herbæ aduersus venenum, de quibus Conciliator magna prædicat lib. de venenis, cap. 4. Intelligat vestræ reuerentia sanctitatis, quòd septem sunt herbę, quarū cuiuslibet natura vniuersalis, cuius interest speciem cuiuslibet plantæ singulari, & specifica virtute dotare, non à complexione elemētari, quia calida, vel quia frigida, vel quia sicca, uel quia humida; sed quia talis, & à natura, vel mediante stella sic dotata, donauit virtute liberādi à venenosis cibis, & potibus, & lætali veneno ex vulnere, siue morsu: prima quarum est hypericon, quæ alio nomine dicitur perforata, quā Achilles oraculo Apollinis in exercitu Troianorum dicitur inuenisse, ut Plinius ait: secunda est uincetoxicū, tertia enula, quarta taphanus, quinta diptamus, sexta aristolochia lo. & rot. septima lactucella: quarum unaquęque dicitur equipollere Theriacæ, ita ut vulneribus uenenosis succus alicuius prædictarum datus in potu uulnera ueneno infecta purget, & saluet, & per istum modum omnes antiqui talia curabant uulnera, antequam Theriacę haberent notitiam, &c. Sic ruta capraria tantopere à multis celebrata, quæ uulgo dicitur Galega, seu herba Lauanese. Sic Chameleō albus, Carolinę nomen adeptus, quòd Carolo Magno Imperatori cū magno exercitu, pestilentia laborante, Romam properanti ab Angelo dicitur indicata, de qua Pisanellus cap. 10. Ingrassias par. 3. cap. 11. Zedoaria, morsus Diaboli, & alię huiusmodi, quarum magna sylua reperitur apud omnes recentiores. In hoc etiam ordine locandum citriū malum, de quo Verg.

Media fert tristes succos, tardumq; saporem
Felicis mali, quo non præsentius vllum,

Pocu-

Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Auxilium venit, ac membris ægit atra venena.

Cuius uim aduersus uenena maxime declarat pręter Theophilū lib. 4. Ath. lib. 3. ubi recitat Histor. latronum, qui feris uenenatis, & aspidibus obiecti, & commorsi, nihil lęsi sunt, quòd illis ad Theatrū deductis forte Caupona citrū, quem rodebat, misericordia commota, dederat, quo comeso, ferarum ictus fuere inualidi, postero autem die ambo producti, & alteri, qui citriū comederat, nihil rursus nocuere uenena, alterum, qui id nō gustarat, interemerunt. Et ibi etiam ostendit prę mansum alijs cibis, omnibus uenenis resistere: quare excogitarunt recentiores multa remedia ex hoc, & potissimum Montagnana suum puluerem, de quo testatur, quòd non uiderit aliquem mori, qui usus illo fuerit, tantam eius uim dicit ad prę seruandum. Huc demum omnia simplicia, quę aduersus uenena proponuntur à Nicandro in Theriaca, & Alexipharmacis quamplurima. Sic Moly Homericū, quod quidam putant rutam agrestē, quod dedit Mercurius Vlyssi Alexipharmacum ueneni Circes.

Quintus, & postremus gradus tribuitur oenelęo, idest, uino oleo permixto, quod remediū casu profuisse in pestilentia compertū est: nam ut scribit Simplicius in Comment. prędicamēti Qualitatis, citato teste Arriano, in illa pestilētia, quę exercitum inuasit Antonini Imperatoris Romanorum in Parthos proficiscentis, ob esum herbę cuiusdam, insanientes, amissa memoria, omnes interibant, nisi qui potionem hanc accepissent, qui seruabantur. In quo tamen arbitror mendum esse, & legendum pro Arriano Appianum, & pro Antonino Antonium: huius enim rei facit in Parthico bello Appianus mentionem. ἐκεῖνοι χρόνῳ πάλιν ἐπεκατέστησαν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ὅσοι περιεσώθησα οἰνελαίου πόματος εὐπορήσαντες, τοῦτο γὰρ ἐκ περιπτώσεως εὑρέθη τοῦ πάθους βοήθημα, idest, illi autem tempore rursus in statum secudum naturam constituti sunt quicumque seruati sunt, facta sibi copia poculi oenelęi, idest, uini & olei: hoc enim casu pręsidium mali compertum est. Quod factum non caret Physica ratione, & non sine causa in pestilentia uinum prodesse compertum est: nā manifestis qualitatibus, & occulta ui agit in pestem. Cum enim hęc ut omnium confessione constat, statim deijciat

uires,

vires, ad has reparandas statim maxime aptum vinum, vel ipsis Hippocrate, & Galeno testibus aph. 2. aph. ij vbi dicitur esse facilius restaurari, ac refici potu, quam cibo, & ibi Galenus palmam dat vino celeriter, & maxime nutriendi, quare etiam adhibetur in animi defectibus, quia statim reficit, atq. restaurat, calorem enim naturalem confirmat, roborat, atq. auget, propter quandam cum humano corpore & natura affinitatem, spiritus optimos gignit, nam in multis pestilentijs cogendi hac de causa sunt ægri ad comedendum, vt præcepit Auicennas, & Galenus auctor est in peste: . . . eos qui cibum largum sumpsissent conualuisse, qui abstinuissent, interijsse, occultā vim vero aduersus venena, & pestem habere vel ex eo possumus conijcere, quòd fere omnia medicamenta aduersus pestem propinantur in vino, sic dat Armeniam glebam Galenus nō febrientibus, sic myrrhidis radicem Dioscorides, suam potionem Rufus, omnia ferè remedia contra venenum Nicander, & Corn. Celsus lib. 6. testatur vinum esse omnibus venenis contrarium, præterea omnes ingreditur antidotos, & potissi. Theriacā, ac Mithridatum: Hippocrates tandē & Galenus ipse testantur, nam Epide. 6. Hippo. cont. 5. vbi dolorum primo paruorum, mox læthalium curam docet, ad pernitiosos, κακοήθεις, vinū proponit feruefactum, idest, vel satis calidum, vel decoctum, ait enim, κακούργων γάλα, σκόροδα, οἶνος ἀποζεσμένος, ὄξος, ἅλες, idest, maleficorum, lac, allia, uinum feruefactum, acetum, sales, vbi Galenus explicans verbum, κακούργων, ita interpretatur, vt dicat, γίνονται τινες ὀδύναι κακοήθεις ὑπὸ τῶν κακούργων, εἴτ' οὖν φαρμάκων, ἃ δηλητήρια καλοῦσι, εἴτε θηρίων ἰοβόλων, εἴτε καὶ χυμῶν τίνων ἐκ διαίτης μοχθηρᾶς, ἢ λοιμώδους ἀέρος ἐν τῷ σώματι γεννηθέντων. ἐπὶ τούτων οὖν φημὶ λελέχθαι ταῦτα τὰ βοηθήματα γάλα, σκόροδα, οἶνος ἀποζεσμένος, ὄξος, ἅλες, idest, gignuntur quidā dolores maligni à maleficis, siue pharmacis, quæ deleteria uocant, siue feris uenenatis, siue succis quibusdā ex prauo uictu, uel pestilenti aere in corpore genitis, de his igitur autumo dicta hæc remedia, lac, allia, vinum feruefactum, acetum, sales. Extat præclarissimum testimoniū apud Lucianū in scytha de vini ui aduersus pestilentiam: nā admonitu Toxaris scythæ, angiportus ciuitatis vino irrorātes pestem depulerunt, ob quod beneficium inter Heroas

Asclepiadeos relatus Toxaris ab Atheniēsibus, & illi sacra facta sub titulo ξένῳ ἰατρῷ, idest, aduenæ Medico; sed non erit ab re integram historiam, & verba ipsius Luciani recitare primum græce, mox latine. κατὰ τὸν λοιμὸν τὸν μέγαν, ἔδοξεν ἡ Ἀρχιτέλους γυνὴ ἀρεοπαγίτου ἀνδρὸς ἐπιστῆναι οἱ τὸν σκύθην κελεῦσαι εἰπεῖν ἀθηναίοις, ὅτι παύσονται τῷ λοιμῷ ἐχόμενοι, ἢν τοὺς στενωποὺς οἴνῳ πολλῷ ῥάνωσι. τοῦτο συχνάκις γενόμενον (οὐ γὰρ ἠμέλησαν ἀθηναῖοι οἱ ἀκούσαντες,) ἔπαυσε μηκέτι λοιμώττειν αὐτοὺς, εἴτε ἀτμούς τινας πονηροὺς ὁ οἶνος σβέσας τῇ ὀδμῇ, εἴτε ἄλλο τι πλέον εἰδὼς ὁ ἥρως ὁ τόξαρις, ἅτε ἰατρικὸς ὢν συνεβούλευσεν. ὁ δὲ οὖν μισθὸς τῆς ἰάσεως ἔτι καὶ νῦν ἀποδίδοται αὐτῷ λευκὸς ἵππος καταθυόμενος, idest, tempore magnæ pestis visa est Architelis Areopagitæ vxor (Demanete) videre adstantem sibi scythā imperare, vt diceret Atheniensibus, quòd cessabunt peste vexari, si angiportus vino multo irrorarent, hoc sæpius factum, (neque enim spreuerunt Athenienses hoc audito monitu) sedauit illorum pestilentiam, siue quòd vapores quosdam malos vinum extinxisset, siue quòd aliud quid maius intelligens Heros Toxaris tamq̃ medicus id consuluit, merces igitur sanationis adhuc etiam redditur ei equus albus sacrificatus. Vergilius quoque videtur significare, huius remedij vim esse maximam in pestilentia, vbi ait in 3. Georgic. de pest. brutorum.

Profuit inserto latices infundere cornu,

Lenæos, ea visa salus morientibus vna.

Sic Plutarchus narrat, νόσημα λοιμῶδες, idest, morbum pestilentem, qui in exercitu Cæsaris vagabatur, τὴν ἀτοπίαν τῆς διαίτης ποιησάμενον ἀρχὴν, idest, qui duxerat originem ab insolitis cibis, & victus ratione, quia radicibus vescebantur, curatum fuisse hilari meri potione, quam assecuti capta vrbe Gomphorum in Thessalia, licet id factum dicat, παραλόγως, idest, præter rationem, scilicet, medicinæ, admirabili quodam modo vertit interpres latinus, eius uerba sunt hæc, ὡς δὲ εἷλε γόμφους θετταλικὴν πόλιν, οὐ μόνον ἔθρεψε τὴν στρατιὰν, ἀλλὰ, καὶ τοῦ νοσήματος ἀπήλλαξε παραλόγως, ἀφθόνῳ γὰρ ἐνέτυχον οἴνῳ, καὶ πιόντες ἀνέδην, εἶτα χρώμενοι κώμοις, καὶ βακχεύοντες ἀνὰ τὴν ὁδὸν ἐκ μέθης διεκρούσαντο, καὶ παρήλλαξαν τὸ πάθος εἰς ἕξιν ἑτέραν τοῖς σώμασι μεταπεσόντες, idest, vbi vero cœpit Gomphos Thessaliæ ciuitatem, non modo aluit exercitum,

sed

ſed etiam morbum abegit præter rationem, & expectationem: nam cum incidiſſent in magnam vini copiam, & bibe rent largiſſime, deinde ſe ſe voluptariæ vitæ dantes, & de bacchantes in via præ ebrietate, propulſarunt, & abegerunt morbum in habitum diuerſum corporibus mutatis, & Fallopius de bubone peſtilenti ex Fracanciani auctoritate teſta tur dari vinum in febribus peſtilentibus, Palladius lib. 11. tit. 14. uinum ſalutare contra peſtilentiã docet facere in optimi muſti metreta vna, antequam ferueat, tunſi abſinthij octo uncias linteo inuolutas demitti iubens, & exactis quadraginta diebus auferri, & reponi ad vſum. Raſis & Albertus tradunt ventrem arietis cum uino coctum, & aqua dilutum prodeſſe ad peſtilentiam ouium, & Iſaac in libro diętarum particularium teſtatur uinum ab antiquis fuiſſe comparatum theriacæ magnæ, ita enim inquit, antiqui aſſimilauere uinum theriacæ magnæ naturæ, quia compererunt eã duarum contrariarum rerum etiam iuuatiuam, unde uinũ etiam ſimiliter repererunt eſſe duorum proficuum, calefacit enim frigida, & infrigidat calida, humectat ſicca, extenuat humida, eius tamen calefactio, & deſiccatio eſt naturaliter humectatio', & infrigidatio accidẽtaliter, quia cũ ſui ſubtilitate, & perforatione portat aquam ad membra, quæ neceſſe eſt refrigerari, & humectari. Plinius poſtremo lib. 23. naturalis hiſt. cap. 2. de uino ſic ait, in peſtilentia quoque ac peregrinationibus uim magnam auxiliandi habere dicitur. Quod recentiores etiam in poſtremis peſtilentijs compertum autumant, uinum ſcilicet ſanaſſe peſtilentia correptos, ut de quibuſdam Ingraſſias part. 4. cap. 33. & Petrus Pariſus cap. 8. qui tamen id non eſſe uniuerſale autumant, ſed in quibuſdam tantum peſtilentijs uſu uenire. Ficinus etiam capit. 10. dat uinum peſte correptis, in quo aurum ſit extinctum, ſic Manardus poculo aureo bibendum iubet epi. 5. 3. quod ex Nicandro didicerunt. in Sacroſanto Euangelio adhibetur uinum & oleum ad ſananda uulnera illata peregrino. Et apud Homerum uulnerato Machaoni medico uinũ prãnium, & cyceona ex eo mixtum dat Neſtor, de qua re accuſatus Homerus defenditur ab Athe. 1. dipnoſoph. & multis modis ab Euſtathio in λ Il. ſed hæc fortaſſe omnibus apologia præſtantior, quòd uinum dederit, & cyceona, quòd ſu-

ſpicaretur uenenatum fortaſse telum,nam & Nicander dat uinum pramniũ uenenatis,& cyceonem. Et id etiam ex aceto colligitur,quod eſt uinum mortuum, uel uini uitium, ut inquit Plinius, quo omnes recentiores ad præcuſtodiã utuntur, & Plinius citato loco oſtendit pollere aduerſus uenena, recitata præſertim aſpidis hac hiſtoria: nuper ab Aſpide calcata percuſsus utrem aceti ferens, quoties depoſuiſset, ſentiebat ictum, alias illæſo ſimilis, intellectum ibi remediũ eſſe,potuq; ſuccurſum. idem de oleo conſtat, quem omnes adhibent ad uenena,quod etiam non ſecus ac uinum humanæ conſentaneum,amicumq; naturæ tradunt, quare optime coniuncta potuere in illa peſte ſanare peſtilentia correptos;hoc uero remedium exiſtimo non caſu inuentum, ut aſserit Simplicius,ſed alicuius docti medici ſtudio,qui ex Nicandro id acceperit,is enim in alexipharmacis ad coriandri uenenum ac maleficium proponit pro antidoto, uinũ oleo per mixtum, uel muſtum niue refrigeratum.

Καὶ μὴν ἀτμένιοντε κεραιόμενον λίπος οἴνῃ
ἢ χίονι γλυκέος μίγδην πόσις ἄλγος ἐρύξει. idest,
Vina laborato miſcens in pocula oliuo,
Vel permixta niui dans muſta dolore leuabis.

Quod ſi licet etiam coniecturas, & ſuſpitiones non inanes in medium afferre, ſuſpicor ego herbam illam, cuius eſu aſſerunt fuiſſe inductam peſtilentiam, fuiſſe coriandrum, de quo teſtatur Nicander inſaniam inducere,cum etiam remedia adhibita conueniant.

ἣν γε μὲν οὐλόμενόν γε ποτὸν κορίοιο δυσαλθὲς
ἀφραδέος δ' ἐπάσσωσιν ἀπεχθομένοισι πάσηται
Οἱ μέντ' ἀφροσύνῃ ἐμπληγέες, οἷά τε μάργοι
Δήμια λαβράζουσι, παραπλῆγες θ' ἅτε βάκχαι
Οξὺ μέλος βοόωσιν ἀταρμύκτῳ φρένας οἴστρῳ. idest,
Pernitioſa bibat Coriandri pocula ſi quis,
Neſcius admotis non cauta mente labellis,
Corripiet miſerum ſubito dementia, & vrbe
Veſanus tota clamabit more furentum
Baccharum attonito commotus pectus ab æſtro.

Et Dioſcorides ipſe teſtatur largius ſumptum coriandrum tentare non ſine periculo mentem, lib. enim 3. cap.64. πλεῖον δὲ ληφθὲν κινεῖ τὴν διάνοιαν ἐπικινδύνως, idest, maiori copia ſumptum

ptum commouet mentem periculose. Cũ præsertim duas faciat illius species Scholiastes Nicandri Græcus ἥμερον καὶ ἄγριον, id est, domesticum, & siluestre. Et huic tribuit veneni naturam. Ait enim: τοῦτο δὲ βρωθὲν, ἢ ποθὲν ἢ ἄλλως πὼς προσενεχθὲν θανάσιμον, id est, hoc siue mansum, siue potatum, siue quouis modo alio propinatum lætale est, licet Marcellus in Dioscoride, eius opinionem refutet, mihi tamen maxime placet, & ad nostram coniecturã vehementer facit. Et quoniam de cibis facta mentio, qui pestem inducunt, non erit alienum alicuius etiam meminisse, qui à peste tueatur. Scribit Valerianus lib. 22. columbam valere ad pestem arcendã. Ait.n. Morbosaq; & pestilenti quantũlibet tempestate sæuiente, qui non alia quam columbarum carne vescatur, contagio eiusmodi non contaminari: quare si pestis vnquam debacchari cœpisset, nihil aliud in obsonium regibus comparabatur, quàm ex columba.

Quintũ remediũ cibi..

Quoniam vero in arte medica non solum per ea, quæ ore intus assumũtur, veneni vis frangitur, & debilitatur, sed etiã externis quibusdam remedijs, vel reuocatur, ac vi quodammodo retrahitur inuitum, vel volens similitudine naturæ educitur; ideo duo adhuc excogitata remedia externa, quorum alterum dicitur ἀντίσπασις, id est, retractio, seu (vt vulgo medici loquuntur) reuulsio, alterum eductio. ex primo genere illud est remedium, quod proponitur à Columella in curatione pestis boum, quod præsens dicit esse remediũ, nempe radicula, quæ est niger helleborus, summæ auri appensa, cuius vi venenum à præcordijs reuellitur, & in eam demum auriculæ partẽ omne morbi pestilentis virus elicitur, & minimæ partis iactura caput conseruatur, quod etiam in hominibus quidam fecerunt sub talo inciso eandem radicem collocantes, vel etiam in scroto. Cuius remedij exemplo doctissimi viri adhibuere cauterium. Cuius tantam vim esse ad reuocandum virus arbitrantur, vt afferat Mercurialis vir grauissimus se neminem vidisse in pestilentia, qui cauterium haberet, mortuum: quod etiam asserit Ingrassias, Bucius, Parisus, & alij recentiores. Ex altero genere est illud celeberrimum remedium à Iacobo Carpensi antiquorum vestigia secuto inuentum, à Fallopio mox usur patum, & à Philippo Ingrassia, Petro Pariso, multisq; alijs summopere commendatum,

Sextum remediũ reuulsio.

Septimũ remediũ veneni eductio p similia.

datum, quo seruatum in peste Adrianum VI. Pontificem Maximum ferunt, & alios pene innumerabiles, nempe uenenum regioni cordis accommodatũ. Cum enim animaduertisset ueteres in morsu, τῶν ἰοβόλων, ideſt, uenenatorum animantium, ea ipsa imponere, & uirus elicere, collegit uenenum posse è cordis regione collocatum, uirus illud pestilens attrahere, & similitudine naturę, ac affinitate reuocare. Alij acceptum referunt siccitati ipsius, quæ manifeste pestẽ expellat ex putredine ortam, cum in pestilentia pręcipiat Galenus exiccandum. Alij uero occultæ arsenici antipathiæ aduersus pestem; ut argentum uiuum habet aduersus toxicum, quod sentit Mercurialis lib. 2. de uenenis, cap. 9. Arsenici chrystallini rotulam igitur uel risagalli, aliqui etiam puluerem bufonis accipiunt, & serico purpureo inuolutam cordis regioni applicant, uel sub axilla sinistra locant; hoc præsentissimum doctissimi quique viri remedium dixerunt, & prope diuinum; quod tamen alij rursus periculosum asserũt, & fugiendũ quorũ in numero est Frizimelica in suo cõsilio Hetrusco idiomate conscripto, & uir doctissimus Horatius Augenius, qui lib. 9. ep. 1. illius vsum reprobat. Simile huic remediũ adhibet Auenzoar in pestilẽtia, nam ex butyro uaccino, & quibusdam alijs ibi descriptis, per os tñ assumptis purgat, & ait butyrum, quod posui in medicamine laxatiuo supradicto, non est absque prouidẽtia magna, eò quòd butyrum habet aliquid fœtoris, & horribilitatis, & inde proprietatem habet ad similitudinem trahendi horribilitatem, ac putredinem humoris prædicti. Alij eadem ratione, & causa, ut scilicet attrhatur uenenum, & defendatur cor, Theriaca, uel succo citri, uel illi analogorum, ut limonum, citrulorum, uel in aceto dissoluta utuntur, cordis regionem, pulsus manuum, pedum, & temporum inungentes, alij oleum de scorpionibus, tum simplex, tum compositum: alij oleum ab Andræa Matthiolo descriptum de scorpionibus: eadem ratione etiam usus inuectus uesicantium, quæ uocant, quibus cantharidum ueneno, pestilentis, & malignæ febris uirus extrahi posse putant, de quibus cum magnæ sint inter celeberrimos medicos Patauinos, Massariam, & Saxoniam controuersię, & extent disputationes doctissimę in utramq; partem magnis uoluminibus ab illis explicatæ, quas nuper

legi

legi ab ipsis mihi auctoribus donatas, ad eas uos reijcio, & nullum amplius uerbum facio. Iam enim receptui canendū, cum nimium fere sit expatiata, & euagata oratio. Vos igitur Auditores mei frequentes conuenite consuetis, horis, quantum in nobis erit, non patiemur desiderari à vobis diligentiam, aut operam nostram. Dixi.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Τὸ μὲν οὖν νόσημα, πολλὰ καὶ ἄλλα παραλιπόντι ἀτοπίας, ὡς ἑκάστῳ ἐτυγχανέ τι διαφερόντως ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον γιγνόμενον, τοιοῦτον ἦν ἐπίπαν τὴν ἰδέαν, καὶ ἄλλο παρελύπει κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων, ὃ δὲ καὶ γένοιτο ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. ἔθνησσιον δὲ οἱ μὲν ἀμελεία, οἱ δὲ καὶ πάνυ θεραπευόμενοι:~

THVCYDIDES.

MOrbus igitur iſte (omiſſis multis alijs de admirabili illius præter naturã euentu, vt vnicuique accidebat aliquid alij ab alio diuerſum) eiuſmodi erat omnino natura, & alius nullus morbus ex his, quæ ſolent hominibus contingere, illo tempore vexabat, quique exoriebatur, in hunc deſinebat. Moriebantur vero alij quidem neglecti, alij vero etiam exquiſita adhibita diligentia, curati.

FABII

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

INGENTEM, magnamq; syluam peragrauit symptomatum, atque malorum, quibus pestis illa atrox humana corpora depascens miserrime cōficiebat à summo capite vsque ad extrema percurrens, nihilq; relinquens inoffensum, ac non fractum, debilitatumq; sua vi. Nunc, ne plures videretur morbos, plures pestilētias proposuisse, atque describere, ita claudit omnem sermonē, vt dicat, ex omnibus antedictis morbis constitisse vnius pestilentiæ vnam ideam, atque formam, & quinque nobis pulcherrima theoremata, atque conclusa hoc in contextu tradit, ac relinquit, quatuor recta proposita, vnum per parembolem, & interiectionem oblique quasi coniectum, vt verū sit, quod de hoc auctore pronūciauit Cicero, quot sunt eius verba, tot esse sententias. Primū theorema, ac dogma è media ipsa medicina deprōptum est, quod pestis idea est multiplicium morborum, neque ex vno tantū genere, sed quocumque, ac diuerso. Cum dicat, morbus quidem eiusmodi erat omnino idea, atque natura, idest, ex tanta morborum varietate constitutus, atque conflatus: nam in superioris anni prælectionibus satis ac sæpe declaratum non esse vnum morbi genus pestem, sed multiplex, & omnium generum. Alterum theorema oblique propositum, & per interiectionem est hoc, quòd in peste multa monstra, & præter rerum consuetudinem, ac naturam eueniunt, quæ tamen dicit se

prætermittere, cum fuisset penè infinitum persequi, quæ singillatim huic aut illi absurda, & præter rationem euenissent, in pestilentijs.n.huiusmodi plurima cōtingunt, moriūtur præter spem omne iam periculum elapsi, reuiuiscunt in ipsis rogis interdum elati, cadunt robustissimi, ac ferocissimi subito, supersunt imbecilles, atque morbosi, & sexcenta huiusmodi inconsentanea consequuntur, quę nos quoq; illum imitati omittimus: tertium Theorema est, quòd illo tempore nullus ex consuetis, & salutaribus morbis regnabat, aut vexabat Athenienses, neque vllus ægrotus inuisebatur, qui non peste laboraret, quod in omnibus pestilentijs est verissimum theorema, quartum est hoc, quòd eo tēpore quicumque cœpisset morbus, statim pestis naturam assumebat, & inita cum peste societate, iam non morbus ille, sed pestis erat, ut denique omnes in illam morbi desinerent, ac finirentur, quod etiam in superioribus affatim est demonstratum esse pestis maxime proprium. Quintū theorema est hoc, quòd pestis nulli parcit, omnes interficit, nullam habet ætatis, sexus, virium, dignitatis, aut curationis rationem, quicumque siue negligenter, siue exquisita ratione, & adhibitis medicis, atque assidentium diligentia curētur, correpti pestilentia pari pacto, & eadem conditione intereunt.

Narratio Thucydidis diuisa ī tres partes.

Τὸ μὲν οὖν νόσημα. Morbus igitur.] Hæc est tertia pars huius opusculi, siue narrationis de pestilentia: in prima enim, quę fuit ab initio vsq; ad τὸ μὲν ἔτος, annus quidē, &c. Origenem, & causas pestis persecutus est, in secunda naturam, vimque, ac symptomata morbi, omnemque illius in grassando sæuitiam, ac insolentiam. in hac tandem tertia parte ea persequitur, quæ acciderunt non ex vi morbi, sed ab exteruis causis, adeo vt possimus tria nomina tribus hisce partibus imponere, & primam philosophicam nuncupare, secundam medicam, tertiam postremo historicam, triplicemque hanc sustinuisse personam Thucydidem, ac præstitisse se philosophum, medicum, historicum. ostendit vero in ipsis verbis Thucydides se iam transire ad aliud narrationis genus, ac partem, cum dicat, quasi finita, ac absoluta disputatione de natura, & essentia, nec non symptomatis morbi, τοιοῦτο ἦν τὴν ἰδέαν, eiusmodi fuit natura, iam transiturus ad aliam

dispu-

disputationem, illa vero verba omnia interiecta, πολλὰ, &c. parenthesi sunt claudenda, & est μετάβασις, idest, transitio, φαινομένη, idest, apparens non vera, siue πλήρωσις, ita enim appellat Hermogenes hanc figuram, & valere dicit, πρὸς τὴν εὐκρίνειαν, idest, diluciditatem orationis.

ἀτοπίας.] Est atticismus, desideratur enim particula περὶ, de, quod frequentissimum esse apud atticos ostendunt hi, qui de dialectis scribunt, & potissimũ Hom. id solet facere, cuius in oratione consuetudinem, & œconomiam, vt sæpe diximus ex Marcellino, Thucydides imitatur, exempla petẽda sunt potissi. ex Henrico Stephano in sua appendice cap. 2. vel potest esse alius atticismus omissi substantiui, vt dicat, ἀλλα παραλιπόντι εἴδη ἀτοπίας, idest, vt omittam multa, & diuersa genera insolentiæ, & inusitati effectus, &c. mirum vero quam varient in hoc vocabulo interpretes, Valla interpretatur calamitatem, vertens vt alia multa calamitatis genera prætereami. Henricus Stephanus insolentiam, in margine enim vertit, vt alia multa de eius insolentia omittam; Sabellicus hic plura prætermisit verba. videtur tamen hoc expressisse vocabulum duobus verbis mirum, & insolens, vertens, accedit & aliud non minus mirũ, & insolens. Aemylius Portus in appendice ad patris commentaria interpretatur ἀτοπίας, atrocitatis insolitæ, inusitatæq; calamitatis: idẽ testatur, absurditatis vocabulo hoc græcum nomen sæpissime reddi, nos vertimus pluribus verbis, vim vniuersam vocabuli cupientes exprimere de admirabili illius preter rationem euentu: nam Suidas ostendit multa significare hoc vocabulum, nempe θαῦμα, miraculum, ἀλογίαν, præter rationem euentum, quæ duo notat etiam auctor etymol. magni, dicens, ἄτοπον, ἀντὶ θαυμαστοῦ, ἢ ἀλόγου τάττεται, idest, atopon pro admirabili, vel præter rationem facto ponitur, κακίαν, vitiositatem, & malum, vt supra accepit Thucydides, cum dixit πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες, idest, halitus vitiosus, & graueolens, τὸ ξένον καὶ παράδοξον, idest, nouum, & præter rationem, quæ omnia videtur voluisse hoc vocabulo exprimere Thucydides, sophocles in ædipo Tyranno simili vsus vocabulo, agens de peste, quã vocat, ἐκτοπίαν φλόγα πήματος, idest, insolitam flammam mali, vbi interpres, ξένην καὶ ἀλλόκοτον, interpretatur, idest, peregrinam, & prodigiosam, & Plu

ἀτοπία qd significet.

tarchus in Cæsare dixit, ἀτοπίαν τῆς διαίτης, idest, nouitatē, & insolitum morem annonæ, herbarum enim radicibus vescebantur, ex quo in pestilētiam incidisse tradit, & vel ex hoc dignosci potest non temerarium, aut falsum esse iudicium Halycarnassei, qui inter quatuor instrumēta eius dicendi generis, quo vsus præ cæteris eximio, ac singulari, primum collocauit, poeticam quandam in vocabulis licentiam, ac in delectu vocum poeticarum libertatem, de quo etiam reprehensum ab eodē Dionysio defendit Marcellinus, quasi pedestri, & ciuili oratione vti nequeat, dicit enim ipsū ignorare, quod hoc sit singularis cuiusdam facultatis, habitusq; perfectissimi, & ideo etiam scribit illum Pindaricum graue, ac sublime genus dicendi imitatum, obscureque de industria locutum, ne omnibus esset ad manum, εἴη πᾶσι βατός, & ad eius lectionem vulgo aditus pateret, facileque intellectus vnus ex vulgo scriptorum æstimaretur, & nō eximius, atque excellens, quod si vsquam, in hac periodo maxime cernitur, vbi obscurius videtur de industria locutus, & parum dixisse cohærentia, ut priscorum fuisse morem, notat Dionysius ab ipso Thucydide obseruatum.

παραλιπόντι.] Absolutum casum hic dicit esse Frāciscus Portus, ut supra, ἀποτομένῳ, & esse dicit hic παράλειψιν, suspiciosam, & αὐξητικήν.

ὡς ἑκάστῳ.] Aemylius Portus notat positum pro pronomine aduerbium, ἀντὶ τοῦ ἃ ἐτύγχανε γινόμενα ἑκάστῳ, sed cum adsit, τι particula in contextu, melior sensus hinc elicitur, vt scilicet, non omnia uni euenisse, ac singulis testetur, sed aliquid huic, diuersū aliud alteri, & alij rursus aliud dissimile.

πολλὰ καὶ ἄλλα, Multa, & diuersa] Videtur his verbis significare Thucydides multa adhuc alia præter iam enumerata symptomata ęgrotis accidisse, seq; non omnia persecutum, sed insigniora, & præcipua, quæq; propria pestis illius viderentur, cum multa adhuc adessent, quæ vel reliquis etiam essent morbis communia, vel aliqua sibi ratione prætermittenda. Vigintiocto vero enumerauit symptomata Thucydides, capitis quidem octo, quæ fuerunt, capitis calores vehementes, oculorum rubores, & inflāmatio, guttur & lingua sanguinolenta, spiritus vitiosus & graueolens, ἄτοπον καὶ δυσῶδες, sternutatio, raucitas. Thoracis, & cum eo coniunctorum

rum quatuordecim, tussis vehemens, cordis, ideſt, oris ventriculi ſubuerſio, ἀνασροφὴ, expurgationes bilis omnes, ἀποκαθάρσεις, cum iuncto ſimul cruciatu ταλαιπωρία, ſingultus inanis, ſpaſmus vehemens ex eo deriuatus, tepidũ extra corpus interius inflammatum, ideſt, leuis febricula cum æſtu & caumate intus, color in ſubrubrum, & liuidum πελιδνὸν mutatus, puſtulæ, & papulæ toto corpore ſcatentes φλυκταίναι καὶ ἕλκεα, ſitis inſedabilis ἄπαυσος, inquies, ἀπορία τ̃ μὴ ἡσυχάζειν, vigiliæ ἀγρυπνία, corporis ſoliditas, quia non ἐμαραίνετο, ideſt, flacceſcebat, vt in cæteris morbis. Ventriculi vero τῆς κοιλίας duo ἕλκωσις, ideſt, vlceratio inteſtinorũ vehemẽs, quę alio nomine dicitur dyſenteria, diarrhæa perpetua, cum imbecillitate membrorum, & Totius quidem extremorum priuatio ἀκρωτηρίων ἀντίληψις, vt pudendorum, manuum, pedũ. Amiſſio oculorum, & obliuio omnium, ac ignoratio ſui ac ſuorum: apud Hippocratem vero recenſentur vigintiquatuor ſecundum aliorum obſeruationem: ſed ſi quis rectè colligat, ſunt pluſquam trigintaquatuor. Ex quibus ſunt nõnulla eadem cum Thucydidijs, nonnulla diuerſa, & ab illo prætermiſſa. Et fuerũt eryſipelata, gutturis cruciatus, φάρυγγος πόνος, voces vitiatę, febres ardentes, phrenitides, oris aphthæ, pudendorum tubercula, ophthalmiæ, carbunculi, ventris turbatio, appetitus proſtratio ἀπόσιτοι, ſitis, vrinæ turbatæ, multę, malę, comatoſi, vigilię, hydropes, tabidi, abſceſſus, caſus carnium, oſſium, neruorum ἐκπτώματα, μάδησις τῆς κεφαλῆς, καὶ τ̃ γενείου, ideſt, depilatio capitis, & menti, dentium apoſtemata, delirationes παράληροι, narium ſtillatio, ἀπὸ ῥινῶν στάξις, acceſſiones in paribus, cum obliuione, reſolutione, & vocis amiſſione, frigiditas extremorum, hæmorrhagia, ſudores multi non critici, herpetes, teneſmi, lienteriæ, voluuli maligni, στρόφοι καὶ ἀνάλησις κακοήθεις. Si vero etiam febrium varias ſpecies enumeremus, erunt multo plures, tertianas enim recenſet, quartanas, nocturnas, continentes, longas, erraticas, faſtidioſas, inconſtantes, adeo vt omnia ferè ad quadraginta ſymptomatum numerum accedant. Lucretius eadem, quæ Thucydides perſequitur: ſed quædam alia rurſus ab illo non tacta, ac commemorata: nam primo ponit in capite octo ſymptomata, incẽſum caput feruore, duplices oculos ſuffuſa luce rubentes, ſudorem ſanguinolentum faucĩu,

Apud Hippocratẽ plura ſymptomata obſeruata.

Sympto-mata po-sita a Lu cretio.

Vocis viam interclusam, linguam sanguine manantem, & asperam tactu, ac motu grauem, stomachi totidem, nempe spiritum tetrum voluentem odorem, intolerabilia mala, & anxium angorem, singultum, spasmum pectoris, ac thoracis multa, tepidã extra febrem, intus perurentẽ, maculas cũ vlceribus rubentes per totum corpus inde propagatas, sitim insedabilem, vigilias, & alios illius satellites, ac comites, phrenitidem, aurium tinnitum, respirationem ingentem, & raram, sudorem colli, sputa crocea & salsa, tussim, & raucedinem, tremorem artuum, frigus extremorum, faciem demũ dictam Hippocraticam, quæ efficitur compressis naribus, cauatis oculis, ac temporibus, pellis duritie, ac frigore, frontis tensione, quæ omnia febris ardentis, & causi socia, & ideo à philosofo, eodemque poeta collocata inter affectus thoracis, in quo fit febris, licet multa ex his ad alias partes uiderentur pertinere, extremi uentris vlcera tetra, idest, dyseteriam, & nigram profluuiem alui: extremorum, inter quæ uidetur collocare partes capitis externas, ut nasum, qui laborauit hæmorrhagia, unde corruptus sanguis plenis ex naribus ibat, & oculos, qui cæcitate correpti, partium genitalium, manuum, pedumque abscissiones, demum amissionem memoriæ, quæ omnia partim ex Thucydide, partim ex Hippocrate, partim ex alijs fortasse scriptoribus accepit, qui de hac peste scripsere, uel Epidem. tertium Hippocratis, uel Thucydidis pestem interpretati sunt, quæ desiderantur: ut Lyci Macedonici, Sabini, Satyri, Quinti, qui fuere Galeni præceptores, scripta, & commentaria, ut Thessali ipsius Hippocratis filij, qui Epidemicos & ipse libros exposuit, commentaria, & alia huiusmodi, ut ipsius Galeni in Thucydidem scripta, quibus omnia ad pestem pertinentia persecutũ, atq; complexum esse consentaneum est, cum nullum aliud reliquerit syntagma, atque tractatum, in quo agat nominatim de ipsa pestilentia, quæ tanti est in arte medica momenti, de quo non defuere obtrectatores, qui illũ accusarent, & id illi etiam (si dijs placet) uitio uerterent, & mancum in arte tradenda fuisse asseuerarent, ut iam si quis ex his tribus auctoribus omnia colligat, plusquam quinquaginta inueniat huius pestilentię symptomata, quem numerum signorum pestilentiæ quidam etiam in sui libris posuere, & plura adhuc

ut

vt Ingrassias, qui quinquaginta duo, & Nicolaus Massa, qui quinquaginta & unū, in suis libris de peste, & alij cōplures, quod si quis perlegat etiam ægrotos, & obseruet, quæ ab Hippocrate recensentur eorum symptomata, multo etiam plura expiscabitur, nam in ipsis libris Epidemicis multa de industria, & dedita opera prætermisit Hippocrates, ut docuit Galenus, in lib. de diff. respir. ubi comparat Hippo. Thucydidi, uel quia erant uulgo medicis nota, uel etiam quia ab alijs, videlicet historicis, alijsve hominibus non artificibus, sed idiotis explicata, si quis uero etiam reliquorū libros Epidemicos percurrat, siue hi sint Hipp. siue Thessali eius filij, aut Draconis, multo plura adhuc poterit obseruare de hac eadem peste: nam arbitror ego reliquos libros fuisse ab Hippocrate scriptos dum per reliquas grecię ciuitates peregrinaretur pestilentiam curans, ut uidetur etiam innuere Palladius græcus interpres in 6. Epid. nam nisi tertio anno, & postremo curasse pestem Atheniensem, nempe in recidiua facta, superioris anni prælectionibus declaratum est, atque conclusum: in qua etiam cōstat dimisisse filios, & Generum, ac discipulos in uarias ciuitates ad curandam pestilentiam.

τὶ διαφερόντως. Aliquid diuersum.] Aduerbium positum pro participio διαφέρον, significat porrò Thucydides his uerbis, duo. primum accidisse adhuc præter antedicta signa, & symptomata alia quædam diuersa ab his, quæ nō ita uniuersim omnibus accidebant, sed singulis separatim, & propterea fortasse ab ipso prætermissa, deinde non omnibus ex antedictis oīa signa euenisse, & symptomata, sed diuersa diuersis, & diuerso modo coniuncta, alij enim aderant capitis calores, exempli gratia, & oculorum inflammatio cum tussi, alij alia, neque enim plura, ut plurimum quam tria uel quatuor simul uexabant, licet non inficiar contigisse aliquibus plura, & alicui fortasse omnia, diuersis tamen temporibus nempe alia in principio, alia in incremento morbi, alia in statu, & nonnulla, seruandis in declinatione, vt pilorum defluuium, abscissionē extremorū, & similia, alijs etiam nulla uiuentibus, sed post mortem tantum, ut in his, qui subito interibant, quibus iam mortuis apparebant, uel bubones, & carbunculi, uel tubercula, uel exanthemata, uel testium,

& pudendorum inflammatio, uel similia.

ἰδέαν, Naturam.] Rectè interpretatur Græcus Scholiastes τὴν φύσιν naturam, qua ratione frequenter apud medicos Græcos vsurpatur. Non ita autem accipitur, vt apud Platonicos: nã pestis & morborũ non esse posse ideas, idest, separata à sensibilibus rerũ exemplaria, & causas illi cõtendunt, & medici etiam ipsi negant, reijcientes omnino cum Aristotele has rerum ideas, & substantias separatas. Alia tamen ratione non esse posse ideas morborum contendunt Platonici, quia scilicet sint præter naturam, cùm ideæ sint rerũ tantum τῶν κατὰ φύσιν, idest, secundũ naturæ ordinẽ (licet nõ defuerint inter medicos, qui autument dari morbos naturales; & qui sint substantiæ, de quo quærit, & disputat Montisianus quæst. 14.) Alcinous Platonicus præclare, & eleganter rem hanc omnem persequitur breuibus, cuius verba recitabo. Ponit enim omnia, quæ ab idearum genere excluduntur, οὔτε γὰρ τοῖς πλείστοις τῶν ἀπὸ Πλάτωνος ἀρέσκει τῶν τεχνιτῶν εἶναι ἰδέας, οἷον ἀσπίδος, ἢ λύρας, οὔτε μὴν τῶν παρὰ φύσιν, οἷον πυρετοῦ, καὶ χολέρας, οὔτε τῶν κατὰ μέρος, οἷον Σωκράτους, καὶ Πλάτωνος, ἀλλ' οὐδὲ τῶν εὐτελῶν τινός, οἷον ῥύπου, καὶ κάρφους, οὔτε τῶν πρός τι οἷον μείζονος, καὶ ὑπερέχοντος, idest, neque enim multis Platonicis placet arte fabrefactorum esse ideas, vt clypei, vel lyræ: neque vero etiam rerum præter naturam, vt febris, & choleræ, neque singularium, vt Socratis, & Platonis, neque futilium rerum alicuius, vt sordis, & festucæ, neque relatiuorum, vt maioris, & excedentis, &c. Sic vsus hoc vocabulo Galenus de peste, lib. 9. cap. de terra Samia, ubi ait profuisse terram Armeniam epotam in illa peste, quæ similis Thucydidiæ fuit, natura. τὴν ἰδέαν, ἐν τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ. Supra uero idẽ Thucydides uocauit neutro genere, τὸ εἶδος, κρεῖσσον λόγου τὸ εἶδος τῆς νόσου, idest, maior morbi natura, quàm cogitatione comprehendi, aut explicari oratione posset. Hippoc. in libello de flatibus, ἐστὶ δὲ μία τῶν νουσέων ἁπασῶν, καὶ ἰδέη, καὶ αἰτίη ἡ αὐτή, idest, est autem una morborum omniũ, & idea, & causa eadẽ. Agathias lib. 5. agens de illa peste, ἡ δὲ τῆς νόσου ἰδέα παραπλησία τῇ πρεσβυτέρᾳ ἐτύγχανεν οὖσα, idest, huius uero morbi idea similis fuit antiquæ. Et Appianus Alexãdrinus de bello Punico agens de peste post famem exorta, καὶ νόσων αὐτοῖς ἰδέαι

An pestis, & morborũ sit idea.

ἰδέαι πᾶσαι κατελάμβανον, ideſt, & morborum omnes ideæ ipſos corripuere. Galenus frequenter ita loquitur, vt dicat ἰδέας, παθημάτων, συμπτωμάτων, ſic in lib. 2. de diff. reſp. cap. 8. dixit. ὅταν μὲν αἱ συνήθεις ἰδέαι τῶν συμπτωμάτων ὦσιν, ideſt, cum cõſuetæ accidentiũ ideæ fuerint, & paulo poſt dicit παθημάτων ἰδέας, ideſt, paſſionum ideas. Maſſarias in libro de peſte vſurpauit ideam peſtilentiæ pro natura, & characteriſmo ipſius peſtis, ait enim atq; ſanè ſi memoria repetamus, quæ ſuperius ex Hippocrate imprimis, & Galeno à nobis iam cõſtituta ſunt, ſi nolimus ab eorum decretis turpiter deſciſcere, facile fatebimur ad formandam ideam peſtilentiæ nũq; illos, & nuſquã contagij meminiſſe, quidam recẽtiores pro idea dicunt faciem. Gerardus Columba in præfatione ſua, qua ideam morbi perſequitur, ſic ait. Eius morbi facies hæc fuit. His vero occaſionẽ dediſſe vr̃ Galeni latinus interpres Theodoricus Gerardus Gaudanus, qui in loco ſupracitato Galeni vertẽdo, vſus eſt pro idea facie, vertens, in magna hac peſte, cuius eadem facies fuit, atque eius, quæ Thucydidis memoria graſſabatur, ſed nõ male dici probat Auli Gellij locus lib. 13. cap. 28. vbi dicitur per faciem intelligi formã omnem, & modum: & inquit, montis, & cœli, & maris facies, ſi tempeſtiue dicatur, probe dicitur: Saluſtius immutata Vrbis facies erat, ideſt, forma, & idea.

οὐδὲν τῶν εἰωθότων. Nullus ex conſuetis morbis.] Videtur pugnare hoc quod dicitur à Thucydide cũ doctrina Hippocratica, quam ſuperius explicauimus, cum de peſtis natura ageretur, in qua dictum nullum eſſe peculiarem morbum, ſed complecti omne genus morbi peſtilentiam: nam cum dicat, nullum ex his, qui homines vexare cõſueuerunt, morbis infeſtaſſe tunc, & eſſe graſſatum, & ſi quis eſſet, ꝙ ſtatim in hunc peſtilentem vertebat̃, videtur aperte aduerſari Hippocraticæ ſententiæ, ſed ita conciliandæ ſunt, cum dicit fuiſſe morbos in hunc peſtilentem verſos, & nullum ex cõſuetis graſſatum, intelligendum eſt, non de ſpecie morbi, ſed de qualitate, & modo, hoc eſt, morbi illi q̃ ſalutares antea ſolebant eſſe, & medicamentis cedere, ac ſanari, accepta peſtilenti illa, & venefica qualitate eſſentiam quidem non mutabant, ac naturam, ſed modum affligendi, & qualitatẽ, inſolitaque, ſæuiora, & lætifera inducebant ſymptomata,

adeo vt noui viderentur morbi, quod supra verbo illo significauit ἀτοπία, cum varij scilicet, & præter rationem morborum, & præter hominum spem, aut metum, & expectationem insoliti morborum casus, & calamitates corriperent humana corpora, qua etiam ratione dici fortasse potest (qđ nonnulli pugnant ita esse) nullum morbi genus nouũ exoriri, sed solum morem, & symptomata mutare, & prodire quasi immutatum & nouum, quod de Gallico multi contẽdunt, quem ueteribus quoq; notum quidam volunt, & idẽ fuisse cum mentagra, cum lichene, cum saafati Arabum, cum lepra, cum elephantiasi, & aliis huiusmodi morbis, sed reuera fatendum est, quod præclare docet in sympos. 8. Plut. nouos quotidie gigni morbos, & ex historijs probari potest singulis ferè ętatibus nouum aliquod genus morbi ac mali emersisse, & corripuisse mortales, quod pluribus superuacaneum est comprobare.

An noui oriantur morbi.

Τῶν εἰωθότων. Consuetorum]. Quod supra dixerat, τὸ ξύντροφον, hic variandæ orationis causa, & quasi per σαφηνισμὸν, dicit τὸ εἰωθός, consuetum.

ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. eadem sententia superius explicata, εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τις, &c. & est συγχώρησις, idest, ut detur aliquos alios extitisse morbos, hi tũ omnes in hunc desinebant.

ἐς τοῦτο ἐτελεύτα. In hunc desinebat.] uidete quæ de hoc annotauimus in uerbo νόσ☉, idest, morbus, initio primę explicationis, & quæ supra in uerbo ἀπεκρίθη; ubi Thucydides hanc eandem rem dixit, quod profecto non sine summa ratione factum credendum est, ut breuitatis studiosissimus bis idem paucis iteriectis periodis diceret, τὸ μὲν γὰρ ἔτ☉ ὡς ὡμολογεῖτο ἐκ πάντων μάλιστα δὴ ἐκεῖνο ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν, εἰ δέ τις καὶ προέκαμνέ τι ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη, idest, annus enim ille, ut omnibus erat exploratum, ex omnibus maximè fuit immunis ab alijs morbis, quòd si quis ante aliquo laborabat, in hunc omnia conuertebantur; in quo etiam illud non negligendum ad nostram diuisionem triplicem huius narrationis ipsius testimonio confirmandã, qđ in ea parte, ubi medici partes diximus sustinuisse, medico vsus est uocabulo ἀπεκρίθη, utibi ostendimus, hic uero, ubi personam agit Historici, contrito usus est, uulgariq; uocabulo,

cabulo, non ex artis mysterijs repetito, ἐτελεύτα, desinebat.

ἔθνησκον δὲ. Moriebantur, &c.] Hic una est ex illis Theatralibus figuris, quas secutum Gorgiam, Polum, Lycimnium, aliosque sui temporis adamasse Thucydidem scribũt, sunt enim quasi in membris appensæ numero syllabæ, & ἀντιθέσεις, oppositiones, & μερισμοί, partitiones orationis οἱ μὲν, οἱ δὲ ἀμελείᾳ θεραπευόμενοι. sic paulo ante εἰωθότων, dixit, quod respondet superiori uerbo, ἀτοπίας, hanc sententiam eleganter expressit, & in suam transtulit historiam Dionys. Halycarnasæus in suis lib. Hist. lib. 9. ubi ait de illa peste, ἀνθρωπίνη βοήθεια ἤρκει τοῖς κάμνουσιν οὐδεμία, ἀλλ᾽ ἐν τῷ ἴσῳ οἵτε σὺν πολλῇ θεραπευόμενοι φροντίδι, καὶ οἷς μηδὲν ἐγίνετο τῶν δεόντων ἀπέθνησκον, idest, humanum nullum auxilium proderat, sed pari casu, & qui multa adhibita diligentia curabantur, & qui omni ope & præsidio carebant, moriebantur, & hanc quoque uidetur uoluisse adumbrare Matthæus Villanus in descriptione suæ pestis, dum ait. *Fu biasimata da discreti, è la sperienza veduta di molti, i quali si prouidono, & rinchiusono in luoghi solitarij, & di sana aria, forniti d'ogni buona cosa da viuere, oue non era sospetto di gẽte infetta, in diuerse contrade il diuino giudicio (à cui non si puote serrar le porte) gli abbattè, come gli altri, che non serano proueduti*: sed hæc quoque sententia ab Hippocrate non est prætermissa, qui in 3. in 3. Epidem. lib. ita cont. 22. loquitur, uerba faciens de herisypelate, qđ sexagenarios maxime in capite uexabat, εἰ καὶ σμικρὸν ἀμεληθείη πολλοῖσι δὲ κἂν θεραπείῃ ἐοῦσι, idest, si paulum negligerentur, & multis etiam si accurate curarentur: quare qui interpungunt ibi, πολλοῖσι δὲ, errant mea sententia, & pulcherrimum sensum perturbant.

καὶ πάνυ θεραπευόμενοι, Etiam valde curati.] Videtur intelligere eos Thucydides, qui à medicis, omni adhibita diligentia, curantur per methodos curatiuas, & rationes exquisitas, quare res ipsa, & locus videtur me admonere, vt de methodo curãdi summatim pauca dicam: nam cum duplex sit sententia medicorum pro curanda peste, altera nempe quorundam, qui nulla methodo medica vtendum dicunt, sed remedijs sola experientia demonstratis, & casu, quam rationem collectis vndique & ex medicorum, & ex historiarum fontibus, quæ extabãt, remedijs, in nostris huius anni prolegomenis, quæ nudiustertius audistis, explicauimus: altera eorum,

Duplex medicorũ senten tia pro curanda peste.

qui determinatis indicationibus vtendum censent, & scopis, certaq; methodo, de hac quoque hoc loco, quo maxime illam significari arbitramur, nobis est agendum. Triplex igitur in curanda peste scopus, & indicatio nobis debet esse proposita: tria sunt spectanda, & ad hæc omnis dirigenda curantis industria, nempe virtus, putredo, & venenum: addo etiã pro quarto ipsa symptomata, quæ interdum uniuersam ad se curationis rationem auertunt, si magna fuerint. Prima indicatio ἔνδειξις emergit à viribus, quarum perpetuo, & primo in omni morbo semper habenda est ratio, quia sine his omnis medicinę industria inanis est: quæ cum sint secundũ naturam, sui custodiam indicant, vt quę præter naturam sui ablationem. Sed si in vllo morbi genere periclitantur, in pestilentia potissimum solet accidere: quare non inconsulto præcipiunt quidam cibos, qui maxime virtutem retinent, ac tuentur, & quod perpetuo effluit, ex nostro corpore reponunt, ac restaurant, in pestilentia esse laute & affatim (vt affectis, morbo scilicet, & ad aliorum acutorum morborũ comparationem) porrigendos, & cogendos etiam præcipiunt ægros Auicennas, & Rasis, ut sumant, & Galenus in Epid. 3. in 3. contex. 58. vbi explĩcat illud symptoma propositum ab Hippocrate, quòd fiebant ἀπόσιτοι, idest, cibũ versantes, ait: ὅσοι γοῦν ἀνδρειότεροι βιαζόμενοι σφᾶς αὐτοὺς προσεφέροντο τὰ διδόμενα σιτία σχεδὸν ἅπαντες ἐσώθησαν, idest, quicũque igitur fortiores animo sibi ipsi vi adhibita, accipiebant oblatos cibos, omnes ferè seruati sunt: quare cum hæ deficiunt, à ceteris remedijs abstinendum, nempe & à missione sanguinis, & à pharmacis, sed non id perpetuo euenit: non enim semper vires in principio concidunt, & ideo his constantibus ad alia statim properandum, quia occasio præceps ὁ καιρὸς ὀξύς. Secunda indicatio oritur à putredine, in qua curanda duo scopi spectandi; primus est τὴν σηπεδόνα γινομένην, idest, iam factam putredinem, & inexistentem tollere, τὴν γεννησομένην, idest, fiendam arcere, & prohibere, ne fiat. Primus scopus duobus modis, & quasi cancellis circumscribitur, nempe missione sanguinis, seu phlebotomia, & pharmacia, quę vel per clysteres ventrem expurgat, vel per os adhibita, tum vomitu, tum deiectione: addo etiam sudoris, & vrinæ prouocatione: de missione sanguinis magnæ sunt, & in libris medicorum

Triplex scopus in curanda peste.

rum maxime agitatæ quæstiones. Sunt enim qui negent omnino adhibendum in pestilentia, addo etiam in malignis febribus, & argumentis, & auctoritatibus suam sententiã comprobantes. Primũ, tribus rationibus, prima, quòd vires in omni pestilentia collabantur statim & cadant: & ideo ab ea abstinendum. Secunda, quòd prohibeatur natura, ne venenatos, & malignos humores ad cutim amandet, à circumferentia (vt aiunt) ad centrum reuocato eius motu; & impetu, ac contagij veneno intus retento, ac cohibito, quasi quodam freno, vel etiam ab externis introrsum attracto. Tertia, quòd misso sanguine agitantur humores, & inde contingit inquinamenta pestis τὰ μιάσματα, & seminaria dilatari, & ad cor ipsum celerius peruenire, & inde aucta vi morbi ægrum interire: deinde auctoritatibus Galeni. Primo, ꝙ in principio libri de succorũ bonitate, ac vitio non improbauit eos, qui sanguinis missionem reformidassent: secundo, quòd in lib. de differen. febriũ, cap. de pestilenti febre nullam faciat huius remedij mentionẽ: postremo quarundam recẽtium pestilentiarũ exẽplo, in quibus omnes, quibus fuit secta vena, periere, vt in peste anni 1505. & 1528. de qua re etiam Fracastorjus lib. 3. cap. 5. quibus tamen à meliori Schola refutatis, nempe quòd non perpetuo verum sit vires cõcidere in omni pestilentia, neque reuocari naturæ motum missione sanguinis, nec venenum intus cohiberi, nec agitatum celerius ad cor peruenire, concluditur mittendum esse sanguinem, dum vires constẽt ex Hippocratis, Galeni, omniũ Græcorũ, & Arabum sententia: idq; in primis secta vena, vel aliqua earum ratione, quæ à Galeno dicuntur ἀνάλογα φλεβοτομίας, idest, analoga phlebotomiæ, non vt interpres male, tantumdẽ valent, nempe crurum scarificatio, cucurbitulæ scarificatæ, & hirudines appositæ. Fracastorius ita definit quæstionem hanc, vt dicat contagionem, aut extrinsecus conceptam, aut intrinsecus primo in nobis factam, & hanc rursus, uel in initio, uel etiam ualde sparsam esse. Si extrinsecus adueniat cõtages, nunquam esse per phlebotomiam mouendũ sanguinem, nisi non ferenda adesset plenitudo. In oborta intrinsecus securius detrahi, pręsertim initijs: nam cum iam sparsa est contagio, nihil venæ incisionem iuuare dicit, imò longe nocere propter agitationem, quæ fit in sanguine, qua putre-

factio

factio augetur & seminaria magis miscētur; quod exemplo crateris declarat aquæ, in qua sit iniectum sal, aut fel, quæ si quiescat, aqua minus salsa, minus videt̄ amara; si vero agitet̄, salsior, & amarior longe. Multæ aliæ adhuc quæstiones de hac re sunt, vt de qua vena, & de tempore, sed hæc docti medici iudicio relinquūtur: nam si in capite malū sit, profecto à Cephalica detrahendus, si à gula vsque ad vmbilicum ab Hepatica, si infra vmbilicum à Saphena, & ab eodem latere; nā ab opposito, aut tarda, aut obscura utilitas. Sic de copia, aut de tempore, quod debet esse hora maioris quietis, & remissionis morbi, quod si omnes æquales, matutina eligenda: de pharmacis eadem ratio: nam licet multi pharmaca non admittant: quidam uero solum lenientia adhibeant, doctiores, meliorq; medicorum Schola non respuit etiam purgantia ualide, etiā nulla præcedēte coctione. Quinque vero casus proponuntur, in quibus uti pharmacis possimus, nulla præcedente coctione, primo, cū materia turget: secundo cū multa, tertio cum uenenata, quarto cum membrū aliquod magnopere lædit, quinto, quando imminet periculum, ne princeps aliquod membrum petat, quæ plurima sunt in pestilentia, ad quod accedit, quòd etiam coctionem nō admittere quidam putant venenatos succos, & humores pestilentes, licet hos refutet Massarias, sed clysterium usus maxime tutus in pestilētia, quem nemo damnauit, præsertim lenientium. Cetera usurpanda iudicio adhibito. Prohibetur autē putredo fienda, qui est secundus scopus, causis ablatis, quæ sunt illi cum cæteris morbis communes, nempe πληθώρα, id est, plenitudo, ἔμφραξις, obstructio, & κακοχυμία, idest, humorum uitium, quę tolluntur ijsdem remedijs vena secta, pharmaco, alterantibus, idest, incidentibus, aperientibus, abstergentibus, & similibus. Venenum uero, à quo tertia prodibat indicatio, uel prohibetur, ut acetosis, & stypticis, uel refrangitur, & obtunditur, ac extinguitur: quod fit bezoarticis uocatis, quę non solum manifestis qualitatibus, sed occulta ui, & à proprietate uim ueneni frangunt, dissipant, & quoquomodo alteratum, & immutatum extinguunt, uel demū educitur tum pharmacis interius adhibitis, tum exterius similitudine naturę, ut tradunt de arsenici, & aliorum uenenorū sacculis ad cordis regionem appositis: quarta indicatio sumitur

Quinque casus, in quib. vti pharmacis possumus, non præcedēte coctione.

tur

tur à ſymptomatũ ui, quę interdum omnem ad ſe reuocant medici cogitationem. Ei enim, teſte Galeno quod magis urget, nauanda eſt opera, & reſiſtendum, ubi maius impendet periculum, alijs non neglectis.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Ἔστε οὐδὲν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν. τὸ γὰρ τῷ ξυνενεγκὸν ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε, σῶμά τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ ἰσχύος πέρι, ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ ξυνῄρει πάντα, καὶ τὰ πάσῃ διαίτῃ θεραπευόμενα:~

THVCYDIDES.

NEque vllum extitit medicamentum (vt ita dicam) quod poſſet ſperari ægrum, ſi quis illud offerret, adiuuaturum: nam quod alicui contulerat, alium id lædebat. Et corpus nullum viſum eſt par, quod poſſet illi morbo reluctari ratione roboris, aut imbecillitatis, ſed omnia tollebat corpora, & omni cum victus ratione curata.

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

SVMMAM fuiſſe in hac peſtilentia uarietatem oſtendit in ratione ſymptomatum, quę ſin gulis diuerſa, neque eodem modo, quo alteri accidebant, ex quo fiebat, ut pari pacto interirent, & neglecti, & curati maxima cum diligentia, quia ut erant incerta ſigna, & nõ eadem in omnibus, ita in curationis modo magna uarietas contingebat, nihilq; certi ſtatui omnino poterat: nam primũm generatim ipſi peſti nullum æquipollens, & conſentaneum remedium conſtitutum eſt, quo accepto debita ratione confidere poſſent homines, aut ſaltem ſperare, ſe poſſe ſanari, ut fit in alijs morbis etiam contagioſis, quibus certę adinuentę, & accommodatę antidoti, ueluti Gallico ligni Guaiaci decoctum, aut aliarum radicum ſalſæ, ac cynę, ac ſimilium, quibus maxima pars labe illa fœdatorum priſtinę reſtituitur ualetudini: ſed omnia in ſummo uerſabantur diſcrimine, & fluctuabant, neque erat quicquam, in quo poſſet ſpes ulla collocari: quia licet aliquis caſu aliquo remedio fuiſſet ſanitati reſtitutus, ſi quis alius illud adhibere aggrederetur, tantum aberat, ut prodeſſet, ac morbum depelleret, ut etiam ſummopere lęderet, ac noceret: augebat deinde periculi magnitudinem, quòd nulli parceret hęc lues, neque uirium robur, neque firmitas ualetudinis, aut quicquam aliud eorum, quibus reluctari alijs morbis homines conſueuere, ac tandem euincere, illis temporibus eſſet adiumento, quia nulli parcebat ętati, nulli corporũ habitui, nulli ſexui, nulli

temperamento, nulli etiam temperantię, & abstinentię à rebus noxijs, quod maxime facit ad pręcustodiam, confidi poterat, quia id ipsum, unde salus expectabatur, sępenumero erat pernitiei causa, & occasio: & omnia genera hominum tollebat, siue essent intemperantes, ac dedissent morbo occasionem erroribus externis, siue etiam in omni genere dietæ, & uictus ratione essent accuratissimi, cautissimi, ac maxime temperantes.

ἕντε οὐδὲν. Et nullum.] οὐδὲ ἕν, legitur in aldinis, & alibi, quod atticismum redolet in pleonasmo, & repetitione eiusdem monosyllabi, ἕν, hic à Scholiaste habemus adnotatum, σχῆμα καινοπρεπὲς: sed Henricus Stephanus dicit se vereri, ne in alia quæpiam uerba istud ab eo fuerit adnotatum: nã licet agnoscat pleneasmum in his uerbis, non tamen eum, quem σχῆμα καινοπρεπὲς, uocandum censuisset, sed fortasse Scholiastes intellexit de sequentibus uerbis, in quibus nouitas quædam in syntaxi, & καινοπρέπεια, apparet, nam χρῆν, positum pro posset, uel credibile esset, & προσφέροντας, pro passiuo προσφερόμενον, & id uidetur agnouisse Portus pater, qui ita uertit, nec ullum prorsus remedium, ut ita loquar, repertum est, quod adhibitum prodesset, licet in Scholijs dicat esse ἐναλλαγὴν, pro προσφέρειν ὠφελοῦντας, sic Lambinus in Lucretium uertit, nullumque ferè certum fuit remediũ, quod adhibitum profuerit, necnon etiam Valla, qui uertit, nec de ulla medicina constabat, quam quis diceret utilem fore, si offerretur, & Acacius, qui uertit, nec ullum mali remedium inueniebatur, quod quis adhibitum saluti fore posset affirmare, nos alium agnoscentes hic atticismum nempe accusatiui positi pro secundo casu absolutè, προσφέροντας pro τινων, uel ἡμῶν προσφερόντων, uertimus, quod sperari posset ægrum, si quis illud offerret, adiuuaturum, uel etiam potest esse nouitas & καινοπρέπεια, in eodem uerbo προσφέροντας, quòd sumptum sit pro suo opposito, nempe accipere, qua notione usurpatum hoc uocabulum etiam à Galeno infra apparebit, & ὠφελεῖν, idest, prodesse, pro suo passiuo, ὠφελεῖσθαι, idest, adiuuari.

προσφέροντας.] Verbum medicum, quod pharmaci, uel cibi oblationem significat frequenter utitur eo Galenus, & Hippocrates, unde uerbum προσφορά, quod etiam pro cibo usur-

vsurpatur, & uoces sunt medicis frequentissimæ & notissimæ: Galenus in Epid. 3. in 3. cont. 56. ubi dicit Hippocrates, τοῖσίτε προσφερομένοισι δυσκόλως ἐπακούοντα, idest, oblata difficulter admittentia, ita explicat uerbū hoc Galenus, προσφερόμενα δύναται λέγειν καὶ κοινῶς ἅπαντα τὰ βοηθήματα, καὶ ἰδίως τὰ ἐσθιόμενα, καὶ πινόμενα, idest, oblata possunt appellari tum communiter omnia remedia, tum singillatim cibi, & potus, potest etiā accipi, ut intelligatur accipientes: sic enim infra usus Galenus eodem lib. cont. 58. ubi ait, προσεφέροντο τὰ διδόμενα σιτία, accipiebant oblatos cibos, extitere etiam quędam pestilentię, in quibus medicamenta adhibita erant pernitiosa, ut de illa constat, quæ anno salutis 1464. sæuijt ꝑ Vandalicas urbes refugiens omnem opem medicam: nam ipsius naturæ beneficio quidā uim ueneni superauere, quos manus medica attigisset, illi furens uenenum atrocius in uniuersum corpus sæuiebat.

ὠφελεῖν. Profuturum.] Hinc orta desperatio, & animi defectio ἀθυμία, quòd scilicet nihil posset prodesse, de qua in sequenti contextu, sic eleganter Ouidius dicit, ex eo quòd nihil proderat in eam ueniebant sentētiam, ut etiam nihil adhiberent, inquit enim.

Indulgent animis, & nulla quid vtile cura est.
Vtile enim nihil est.

In quo Hippocraticum dicendi genus agnoscitur, qui ita interdum pronunciat, aurium medicina nulla medicina, ita enim hæc quoque sententia pugnantia, φαινόμενα, idest, apparentia continet, idest, nulla cura est quid vtile, quia scilicet, cum nihil esset remedio, carebant saltem illa nausea accipiendi medicinas, & libera interdum fruebantur vsura vitæ.

In peste Athenien si nullum inuētum remediū.

Κατέστη ἴαμα. Constitit remedium.] Hoc verbo ab exagitatis animantibus translato, qui non sinuntur consistere, significat Thucydides varia fuisse proposita remedia à varijs medicis, & (alijs) omnes enim profitentur tunc temporis medicinam, & idiotæ sæpenumero, ut dicebat Galenus, prudentiores inueniuntur, minus exercitatis medicis, & Celsus præclare in epistola ad 6. Iulium Callistum, ait, in hanc sententiam, animaduertimus sæpę inter deliberationes, contentionesque medicorum auctoritate præcedentium, dū quæritur quidnam faciendum, aut qua ratione succurrendum sit

ęgro, quosdam humiles quidem, & alioquin ignotos reuera peritiores vel (quod fateri pudet) longe semotos à disciplina medicinæ, & ne affines quidem eius professioni, medicamento efficaci dato, protinus velut præsenti numine, omni dolore, periculoque liberasse ægros, quæ tamen licet casu, & forte fortuna alicui prodessent, ea tamen in cæteris non valebant, & ideo respuebantur, & reijcebantur, & fortasse etiam (vt fit Venetijs tempore pestis, qđ etiam Natalis testatur lib. 27. historiarum de peste proxima verba faciẽs. Multi patribus diuersa remedia temere offerebant, qui pollicebãtur intra breue spatium per illa Ciuitatem liberatum iri, sed à patribus reijcebantur, cũ illa omnia uana essent, ad extorquendum tantum pecuniam excogitata,) deferebant ad magistratus, ac in commune proponebant sua quisque remedia, quæ nunquam pari pacto respondebant, & ideo cum magistratus illis uti non permitteret, reijcebantur, neq; cõsistebant, & propterea homines nouis indagandis remedijs operam dabant, quod videtur nobis maxime Lucretij locus innuere qui dicit.

Nec ratio remedi communis certa dabatur.

Videtur enim significare publice nullum remedium inuentum idoneum ad abigendam pestem, quo omnes publice vterentur, & seruarentur, vt in quibusdam pestilentijs euenisse ex historijs habemus, quemadmodum apud Galenum de bolo armena, quam dicit oẽs qui accepissent in ea magna pestilentia Thucydidiæ huic simili fuisse seruatos, ut ẽt de theriaca narrat, qua omes vsi in Italica illa peste euaserũt. vt de vini, & olei potione ĩ altera peste narrat Simplicius, &c. magna vero sese mihi offert dubitatio hoc loco, quæ maxime sollicitare docti alicuius animum possit, si enim constat (vt nos ostendimus) hanc pestem fuisse depulsam Atheniẽsibus Hippocratis Coi diligentia, qui accensis odoratis ignibus & flammis aerem inquinatum expurgauit, quomodo vera est hic Thucydidis Historia, cum dicat nullum inuentũ remedium? duobus modis solui hic difficillimus nodus potest, vel si dicamus de primis loqui hic Thucydidem temporibus, quibus nondum Hippocrates excogitarat hoc alexipharmacum, & remedium, per bienniũ.n. vexauit Atheniẽses, vel quòd loquatur Thucydides de remedijs internis, & per

Quomodo sit verũ, quod dicit Thucydides, de nullo remedio inuento, si eam sanauit Hippocrates.

per os assumptis, quæ ueneno aduersantur, & ab Arabibus bezoardica appellantur, quod apertissime ipsa verba declarant, ὅτι χρὴν προσφέροντας ὠφελεῖν, remedium vero Hippocratis erat vniuersalius, externum, & causam pestis maxime communem respiciebat, nempe aerem, quo expurgato cessauit pestilentia, & de loco abijt, sed adhuc alius neq; is paruus remanet scrupulus, qui male afficere, & angere aliquem posset, cur scilicet, Hippocratis nullam fecerit Thucydides mentionem, & tanti remedij: quo fuerit emota ab urbe pestilentia? multæ afferri rationes possunt, uel quia fortasse res non ita publice credita ab his, qui medicæ artis fundamē ta ignorabant, sed existimatum est sua sponte cessasse, uel ꝙ non bene affecto fuerit animo in Hippocratem quasi æqualis gloriæ æmulus, quemadmodum videmus factum de Socrate, de quo multa narrat Plato ab eo in hoc ipso bello gesta, quorum ne uerbum quidem fecit Thucydides, ut est uidere apud Athen. qui tamen contra arguit Platonem non esse ueridicum, qui ea dixerit, quæ præterierit Thucydides Historicus, sed hoc uitio ab antiquis uertitur Thucydidi præsertim ab Halycarnasseo, quod laudarit interdum, qui minime tanta laude digni essent, & contra etiam multa silentio quasi inuoluerit, quæ digna laude, ut præclare docet Posseuinus in sua methodo historica, ubi multa de Thucydide: quare etiam Marcellinus in eius vita notat, quòd Cleonem à quo accusatus fuerat, semper inducat, ὡς μεμηνότα, tamquam insanum, quia illi ἐπεχθάνετο, idest, erat inimicus.

Cur nullam fecerit mētionem Hip poc. Thucydides.

ἴαμα. Medicamētū.] Duplex genus medicamētorū adhiberi ad pestē diximus alterū bezaarticū uocatū, cuiusmodi plura persecuti sumus, atq; collegimus in prolegomenis, alterū vero deiectorium, quod rursum duplex nempe, uel leniens appellatum, quod est placidissimum, & à pharmacopæis benedictum dicitur vel vehemens & acerrimum, quod dicitur purgans: vtrumque habere diximus suos auctores, & laudatores, quidam enim solis lenientibus vtendum iudicant, quidam uero fortissima quæque purgantia vsurpanda arbitrantur, quia scilicet, morbus magnus, & extremis morbis extrema remedia adhibenda iubet Hippocrates. Inter lenientia, quæ à vijs tantum communibus (ut medici vocāt) euacuant excrementa, Philippus Ingrassias maximè commendat

Medicamentorū duplex genus.

mendat

mendat mannam, & eam dat in iure pulli vsq; ad vnc. quinque, alij exhibent in sero lactis ad vnc. tres cum decoctione tamarindorũ, alij laudãt tamarindos, qui ferè sẽper cũ alijs lenitiuis solent iungi, ut manna, & casia, aliis magis placet casia, quam tamen alij ob eius humiditatem suspectam habent & corrigendam monent cum speciebus hieræ, vel rhabarbaro, vel tamarindis, uel etiã cũ leuioribus, vt speciebus diamarg. diarhod. abb. uel anisorum, alij syrupos laudant, ut ros. solutiuum, quem Fracastorius in febre curãda pestilenti omnibus alijs anteponit, lib. 3. cap. 7. de fumoterræ sol. alij commendãt mel, ros. solutiuum, alij ob proprietatem etiã coniunctam pilulas rufi, & similia; inter purgantia alij prædicant rhabarbarũ; alij agaricũ, alij cõmẽdant tamq; à proprietate etiam adiuuantem trypheram persicam, alij turbit, & senam, alij alia, ut diacathol. diaphoen. conf. hamech, & alia nota pharmacopęis, alij commendant etiam stibium præparatum (ut aiunt) quod uulgo dicitur antimonium, de quo plura Bucius cap. 21. vbi etiam historiam recitat cuiusdam Chymistæ Philippi Colfo, qui id composuerat in formam lapidis Bezoar, & lapidem floridum appellabat, quo mira peragebat. Matthiolus etiam eum vehementer commẽdat lib. 5. c. 59. & testatũ in Boemica pestilentia, quæ grassata est ãn. sexagesimo secundo, & sexagesimo tertio, mirificè profuisse, pluresque pestilentia correptos hoc præsidio seruatos tribus tantum granis ex huius puluere desumptis. Hic uero rursus magna emergit dubitatio superiori nõ dissimilis, nam Actuarius lib. 5. meth. cap. 6. proponit Hippocraticã antidotum, qua usum testatur Athenis Hippocratem, & eius causa coronatum. Massarias uero dicit etiam pestem depulsam, quia depulsæ pestis cã fuit coronatus, licet id non expresse dicat Actuarius, cuius meminit etiam Massarias; hic uero Thucydides dicit nullum constitisse remedium, sed facilis solutio, quæ etiam ex uerbis ipsius colligitur, quia scilicet, non omnibus profuit, licet potuit fortasse aliquibus fuisse emolumento, ac saluti, non tamen uniuersis atque omnibus profuit, & ideo nullam illius faciendam iudicauit mentionem Thucydides, cum neque ipse faciat Hippocrates, ex quo etiam mihi suspecta interdum solet esse, cum maxime neque Galenus illius meminerit, sed ne detraha-

Lęniẽtia.

Purgãtia.

Antimonium siue stilium.

trahatur auctoritati Actuarij: eam vobis recitabo, vt colligatis, an sit digna Hippocrate, & an nobis sit Actuario credendum, & Massariæ, qui ita de illa lib. 2. ait, postponenda forte his non est Theriaca, siue antidotus Hippocratis, cuius vsu diuinus ille vir (ut Actuarius refert) Athenas à pestilenti cōtagione populatim grassante mirabiliter liberauit. Illius descriptionem hic subijcere non grauabimur, ut in promptu sit his quoque, quibus eandem ex fontibus haurire nō licet: Recipe calami odorati, iūci odorati, herbę Sab. añ. drac. iiij. uiticis, seminis cardamomi, cyperi, crocomagmatis añ. unc. v. nardi celticæ lib. v. aspalathi unc. vij. pilularū, cupressi, rosarū añ. unc. iij. ladani myrrhæ thuris añ. lib. j. baccas iuniperi paruas xl. Hæc unà tundantur priuatim, nardi spicæ lib. v. costi unc. iiij. fol. unc. viij. casię lib. v. amomi unc. iij. & hęc seorsim teruntur, mastiches unc. iiij. hoc priuatim item atteritur, styracis unc. x. styrax paulatim adijcitur pretiosis bellarijs, rerebinthinæ lib. iij. mellis attici lib. v. uini ueteris quantum sufficiet ad bellaria macerāda, conficiūtur, pure, melle excepta.

Antidotus Hippocratica

Τὸ γὰρ τῷ ξυνεγκὸν, Quod enim alicui contulerat.] Hanc sententiam tribus versiculis elegantissime expressit Lucretius.

Nam quod alis dederat vitales aeris auras
Voluere in ore licere, & cæli templa tueri,
Hoc alijs erat exitio, lætumq; parabat.

Idem Vergilius attigit Georg. 3. vbi dicit primo vinum profuisse, mox exitio fuisse.

Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos, ea visa salus morientibus vna,
Mox erat hoc ipsum exitio, furijsq; refecti,
Ardebant, &c.

Est vero amplificatio morbi magnitudinis, πάθος ab erepto medicinæ præsidio, in quo vnica spes reliqua solet esse, ex qua cum magna remediorum sylua ad omnes morbos hauriri facillime possit, & soleat, hoc tempore incertos homines reddebat ob euentum, quia licet alicui aliquid oblatum, & adhibitum medicamentum forte fortuna aliquando profuisset, id non viribus medicamenti, sed casui erat acceptum referendum, quia scilicet id in alijs non respondebat, neque ob illud exemplum poterant confidere, cum falleret, neque quicquam certi, aut firmi esset in aliquo. Vnde vero orire-

tur

tur hæc inconstantia, & varietas, difficile est dicere, nam in diuersis pestilentijs, cum ex diuersis oriantur causis, diuersa remedia profuisse non est nouum, imò maxime rationi consentaneũ. Nam exempli gratia, in quibusdã profuit missio sanguinis, nempe in quibus aderat πληθώρα, eadem in alijs fuit exitio, in quibusdam vinum adhibitum sanauit, in alijs idem fuit pernitiosum: sed quod in eadem pestilentia ex eodem orta principio, ac fonte, in diuersis tamen indiuiduis, ac personis idem remedium alicui obesset, alicui prodesset: id vero est inauditum, & nouum, apud vulgus præsertim: nam vt dictum supra est, bolus armena profuit omnibus in magna illa pestilentia Thucydidiæ simili, Theriaca in illa Italica, & ita in alijs alia remedia, in hac de nullo constabat, quod pluribus profuisset, & commune esse præsidiũ. Id vero ascribendum, vel varietati temperamentorum, & crasium, quibus remedia uel essent, uel non essent consentanea, uel morbi ipsius accessionum, ac symptomatum, quæ tot solent interdum esse in pestilentijs, quot sunt species, & ideæ morborum, sed longe omnium sæuissima, ut præclare Oribasius, & Aetius, ac Aegineta testantur, cum dicant in pestilentijs omnia grauissima: quod uero in pestilentia omne genus morbi grassetur, demonstratum est supra, cum scilicet pestis nullũ habeat genus separatum, ac definitum, sed omnia complectatur, & cum dictum est, omnes alios morbos in hunc desijsse, & iudicatos esse: quod ex antedictis à Thucydide factũ in hac pestilentia conijcitur, Appianus etiam Alexandrinus (uti interim medicos omittam) id ostendit, qui in bello Punico de pestilentia uerba faciens, quæ post famem ingruit: de ea ait: καὶ νόσων αὐτοὺς ἰδέαι πᾶσαι κατελάμβανον, idest, & eos morborum omnes species corripiebant. Non enim audiendi sunt qui dicunt in pestilentia unum esse morbi genus: nam id doctrinæ Hippo aduersatur, & Galeni, qui ubique in Epid. plura, imò omnia genera morborũ in pestilentia grassata proponunt, ut in 3. & 6. Epid. de qua nos re disputauimus anno superiore. Diodorus quoque Siculus lib. 14. de Peste, amplificat illius pestilentiæ calamitatem ab erepto medicorum auxilio, & remediorum spe sublata. παραιρεθείσης οὖν καὶ τῆς θεραπείας ἀβοήθητος ἦν ἡ συμφορά, idest, sublata igitur etiam curatione præsidij omnis expers, & destituta calamitas

mitas remansit, quæ sic vertit latinus interpres deniq; factum est, vt & medicorum auxilium, tum ob mali vehementiam, tum propter morbi celeritatem inefficax redderetur. Ex hoc Thucydidis loco Amicus lib. de peste cap. 30. colligit consectarium hoc atque dogma, quòd remedia in pestilentia nihil proficiant ad salutem, neque mirum id, cum Celsus lib. 2. capit. 6. dicat non solum in his quæ pestifera, sed in his quoque, quæ salutaria sunt fieri, vt quæ medendi causa reperta sunt, nonnunq̃ in peius aliquid conuertant, neq; id euitare humanam imbecillitatem, in tanta varietate corporum posse. Siquidem et spes interdum frustratur, & moritur aliquis, de quo medicus securus primo fuit, & Hieronymus Mercurialis cap. 25. dicit hanc fuisse causam discrepantium sententiarũ medicorum in curanda peste cum alij statim, alij post purgandum præparata materia præcipiant: ait enim causa huiuscemodi controuersiæ non alia fuit, nisi ꝙ ea est prauitas febrium pestiferarum, vt quemadmodum dicebat Iacobus, quicquid fiat plerumque mors ægri sequatur, nam siue abstineamus à pharmacis, siue illis utamur, atque utamur, vel cito, vel tarde, res plena periculo est, & vt dixi magna ex parte ægri intereunt. Hic porrò videtur grauis illa hominum querimonia, & communis de arte medica, & de ipsis Medicis locum habere, quam proponit etiam Massarias lib. 2. vbi aggreditur pestis curationem, quasi scilicet, magnæ imperfectionis, ne dicam imperitiæ sint arguẽdi medici, qui tot annorum curriculo nullum adhuc remedium excogitare potuerint, quo certi aliquid & securi aduersus atrocem hunc & efferatum morbum sibi valeant polliceri, quibus ita respondet Massarias, vt dicat esse eos potius, qui hæc loquũt ignorãtiæ culpæ affines, qui nec humanas res, nec diuinas satis intelligant, quippe id fieri Deo opt. maximo permittente, vt morbi quidam curationem non recipiant, vt de vlcere pulmonis constat, quam græci vocant φθίσιν, à qua dicit neminem vnquam sanatum, quidam vero sint vt plurimum lætales, & maxime periculosi, ut omnes morbi acuti, sed potissimum pestis, quæ principem in hoc genere sibi locum vẽdicat, & nisi maiorem hominum ab ea correptorum partem eriperet, ac perderet, non esset pestis: alij vero sunt, qui putent reperiri aliquandò posse ve-

An vera pestis antidot⁹ possit reperiri aliquãdo.

ram pestis antidotum, & nunc in naturæ sinu abditam delitescere, qua in opinionē est Iulius Palmarius in lib. de feb. pestilenti.cap.17.cuius sententiam vobis integram,& pluribus explicatam libet afferre. Equidem sæpe sum miratus, quid causæ sit, cur ad pestem nullum adhuc satis efficax alexipharmacum tanquam perfugium inuentum sit, quũ præsertim maiores nostri viri admodum sagaces, & omnium venenorum atque amuletorum diligentissimi indagatores, infinita remedia ex intimis naturæ penetralibus ac terræ visceribus eruerint,atque ad humani corporis salutem protulerint, vix vt alius superfit quamlibet occultus & venenatus morbus, cui proprium non extet alexipharmacum. Lues venerea horrendum huius seculi opprobrium, venenatam, prorsusque inexplicabilem causam habet, eius tamen paucis annis verum alexiterium adinuentum est, magno generis humani solatio, quemadmodum etiam veneni, quod vel canis rabidus morsu, vel scorpio punctura nobis inserit, idque adeo tutum, ut quisquis opportune vsus fuerit, liberetur, ac conualescat. Sed proh dolor! hactenus ignoratur proprium ac peculiare pestilentis febris alexipharmacum, veriq; simile est, maiores nostros obscuritate causæ, ab eius remedij inuestigatione deterritos, nihil de peculiari pestis curatione literarum monimentis ex professo commisisse, verendumque ne inscrutabili Dei opt.max. consilio nobis illius cognitio denegata sit, vt hoc insanabili morbo tanquam flagello in homines animaduertat. Nam pestilentis veneni nullum alexiterium esse qui contendit,naturalis philosophiæ principia subuertit, quibus omnia ex cõtrarijs per contraria fieri, humanarumque rerum vicissitudinem,atq; instabilitatem ex principiorum repugnantia, & dissidio pēdere constat. Quum igitur peculiare pestis remediũ, propriumq; venenatæ perniciei alexiterium adhuc in naturæ sinu abditum delitescat, ad communia venenorum alexiteria, & ad cardiaca medicamenta, quæ ijs suffecit humana industria, confugere necesse est. Communia uenenorũ alexipharmaca voco, medicamenta, quæ veneno cuicunq; siue introsumpto, siue morsu infuso,non humiditate, aut siccitate, calore, aut frigore, detergendi, uel obstruendi facultate,vel alia denique ulla ui, quæ ab elementorum materia,

qua-

qualitateve dimanarit, sed occulta proprietate, cuius nulla ratio reddi potest, obsistunt & aduersantur. Antidota vero, quæ non extrinsecus corpori imposita, sed intra ipsum assumpta lethalibus uenenis, uirulentis ferarum morsibus, aut malignis ex praua victus ratione obortis affectibus occurrunt. E quibus ea seligemus, quæ longo medendi usu aduersus pestilentem perniciem ualuisse comperimus. Cardiaca vero appellamus, quæ cordis uires tueri & augere nata sunt: quoniam enim hæc spiritus uitales pariter atque natiuum calorem erigunt & recreant, pestilentis veneni remedia iure habeantur. Hi præcipui fontes sunt, unde pestis remedia eruere oportet, tantisper dum Dei opti. max. beneuolentia uerum eius alexipharmacum innotescet: neq; enim vel cathartica, uel uenæ sectio peculiaria remedia sunt, sed vt iam dixi omnium morborum, quæ ab humoris vitio originem habent, communia. Ex ijs igitur, tum simplicia, tum composita medicamenta educam, quæ aduersus venena, venenatosque morbos aut celebrauit uetustas, aut explorauit posteritas. Cæterum vt scorpio vulneri, quod inflixerit, admotus, impressum venenum celerrime ad se rapit & euocat, moribundumque hominem illico liberat, aut velut descriptum rabiei amuletum à cane rabido demorsis exhibitum, uenientem rabiem anteuertit, arcetque aut iam contractam extinguit, ac insanienti mentem integram, constantes sensus ac uitam reddit: vt denique luis uenereæ alexipharmacum, qua methodo dixi usurpatum luem uenereã delet & extinguit: sic certe luis pestilentis amuletum tandẽ aliquando inueniri posse non diffido, quod introsumptum eius causam de repente prorsus auferre, atq; peste corruentes sanitati ac uitæ restituere possit.

ἄυταρκυς, Par.] αὐτάρκειαν, & τὸ ἄυταρκες, quid sit in Philosophia politica ostẽdit Aristoteles lib. 1. de moribus & lib. 5. cap. 10. & 1. Polit. Hic vero intelligitur eodem pacto de corpore, quod bonis proprijs, ac præsidijs naturæ, siue crasis ita est instructum, ac munitũ, vt sua sponte nullius ope auxilij, aut medicamenti valeat morbificis causis reluctari, & ingruentem morbum sustinere: nam in virium custodia, ac robore naturæ tota curatio posita est, nullusq; morbus profligari potest, viribus deiectis, neque nihil non sperandum con-

stantibus viribus,& robore,quod vincit omnia,& hinc monstra sæpe fiunt in arte medica in vtramque partem,& merito à medicis semper in curando prima sumitur indicatio à viribus. In pestilentia vero hoc videtur esse peculiare morbi vis,ut subito robur,viresq; frangat, ac debilitet: & hinc medici periculosam sanguinis in ea dicunt missionem, atque etiam pharmaciam per purgantia medicamenta,quia virtus custodienda, quæ in uere pestilentibus vehementer dissolui tur,inquit Fracastorius de morbis contag lib.2.cap.7. quòd earum analogia,vel ad spiritus est,vel ad acutiores humores & putrefactio cita,& amplior.

ἰσχύος πέρι.] Notent Grecæ linguæ studiosi retractum accentum præpositionis in antepenultimam propter immutatam syntaxim,& ordinem, cum dicere recta debuisset περὶ ἰσχύος.

ἰσχύος πέρι, ἢ ἀσθενείας, Ratione roboris,aut imbecillitatis.] Hoc est siue firma vteretur valetudine,siue infirma,& imbecilli. In quo tamen videri possit inesse futilis sententia,& nō digna Thucydide: nam quis ignorat,si qui firmo sunt robore,pares esse in reluctando morbi accessionibus nequeunt, multo minus futuros, qui infirmo? Sed latet mira vis sententiæ, & est quasi Hippocratica dictio, qui tunc maxime vero medico digna dicit,cum maxime videtur dicere vulgaria, vt verbi gratia, in illo præcepto, quod dat medicis, vt videant si prodesse nequeunt, ne noceant, & sexcenta huiusmodi,quæ si quis lente perpendat,& examinet,plena sapientiæ reperiet,& maxime Hippocrate digna,hic in Thucydide latet mira vis sententiæ in his verbis, quæ videntur superuacanea,& temere,ac sine iudicio inculcata. Vult enim significare, quod est notū in arte medica eruditis,ꝙ firma vtentes, & athletica valetudine, & robusti maiora subeunt pericula, quia scilicet leuibus primo resistentes facile causis, collecta mox earum magna congerie,& cumulo,& victi tandem ingruentis magno impetu,& vi morbi maiore ruina collabuntur,& concidunt,contra qui infirmo,ac imbecillo sunt corpore quauis leui de causa labuntur quidem, sed paruo excessu ita,vt facile sit reparare, & in pristinum reuocare, quòd si etiam addatur diligentia,& cura in ratione victus: tunc vero infirma etiam corpora effugere magnorum vim morborū,

Robusti cur maiore ruina concidant.

&

& publice grassantium possunt, & valetudinem tueri, vt constat apud Aristotelem in Rhet. de quodam Herodico, qui imbecillima vsus valetudine, ita diligentia victus incolumis seruatus est, vt diutissime vixerit, nullis morbis obnoxius. Marsilius Ficinus præclare in Epid. antidot. cap. 24. reddit huius facti causam, qui locus, quia valde facit ad illustrandam hanc sententiam, ideo integrum libet recitare, & afferre. Nulli confidēdum est in hoc, quòd cæteris sit fortior, & magis sanus, quoniam venenum ita fortes interimit, vt debiles, imò venenum istud plusquā reliquos offendit sanguineos, atque robustos, eo quòd apertę sunt illis pectoris viæ, habēt & cor valde calidum, & humidum: ideo cordis ipsa caliditas, per quam cito succenditur, & inflammatur, cōfestim putrefactioni subest humiditas, inq; venenum cōuertitur, quippe vt quanto plus in vase vini, & quanto potētius, tanto etiā plus, atque in mordacius vertitur acetum, sic potens venenum, tanto quidem abundantius, quanto calidior erit in pectore sanguis, quando equidem sanguis fit ipse venenum, perquam faciliter, paruoq; ipsius contactu transmutatur ad idem: conuertunt enim se alterutrum contactæ inuicē partes ad venenum, &c. Hanc sententiam uidetur uoluisse exprimere Halycarnassæus, sed pluribus more suo: ita enim ait lib. 9. Διεκρίνετο τὸ πάθος οὐχ ἡλικίαν, οὐ φύσιν, οὐ ῥώμην, ἢ ἀσθένειαν σώματων, οὐ τέχνην, οὐκ ἄλλο τῶν δοκούντων κουφίζειν τὴν νόσον· ἀλλὰ γυναιξί τε ἐνέπιπτε, καὶ ἀνδράσι, καὶ γηραιοῖς, καὶ νέοις, idest, Neque vero discernebat malum, aut ætatem, aut naturam, aut robur, aut imbecillitatem, aut artem, aut aliud quippiam eorum, quæ uidētur posse morbum leuare, sed mulieribus incidebat & uiris, & senibus, & iunioribus. Et erit hæc quasi paraphrasis Thucydidia (si quis cum illo interpretetur) imbecillitatem de sexu, ætate, & crasi.

πάντα ξυνῄρει, Omnia tollebat.] Respicit ad natutam, & definitionem pestis, cuius est hoc proprium, ut omnia ferè corpora correpta perdat, nullusq; aut certe per quam rarus relinquatur saluti locus, nam quæ eiusmodi non sunt, dici nequeunt pestes, vt demonstratum est in definitione pestis: quare Galenus etiam in Comment. in 1. acut. contex 9. ita distinguit, ut dicat νοσήματα solum ὀλέθρια, idest, morbos lætales uocari pestem λοιμόν. Cum vero sunt ἐπιεικέστερα, idest, beni-

benigniores, dici solum ἐπίδημα, id est, vulgares, nam pestem dicit esse ἐπιδημίαν ὀλέθριον, id est, epidemiam pernitiosam, id est, quæ ab alijs epidemicis morbis differt sola pernitie, quæ non à simplici alteratione, aut putredine oritur, sed ex seminarijs pestilētibus, quæ μιάσματα dicuntur ὀλέθρια, & λοιμώδη à tota substantia humanæ naturæ inimicis, & τὸ ἔμφυτον θερμὸν destruentibus, quo labefactato, quoniam non regit amplius pro suo iure naturam, corpus ingentes putredines cōsequūtur, præsertim in corporibus paratis. Neque repugnat huic sententiæ Hippocratis auctoritas, qui lib. 3. Epid. cont. 25. nonnullos morbos enumerans pernitiosos, & febre carentes, ait: καὶ οἱ πλεῖσοι τούτων ἐσώζοντο, & maior horū pars seruabatur, ex quo (ut scopulum hunc effugerent contradictionis) nonnulli dixerunt fuisse morbos ibi etiam non pestilentes enumeratos: nam non succedit primo, si in aliquo genere pestilentis morbi, qui erant innumerabiles penè, maior pars seruaretur, quòd generatim non sit vera sententia, quòd maior pars pereat, cū cæteri sint morbi pestilentes, plerique omnes, qui oēs tollunt, sed melius dicendū cum Galeno, qui ita uidetur innuere in Comment. φ πλεῖσοι, id est, plurimi, significāt τίνας nonnullos. Galenus enim referens Hippocratis sententiam, & verba ait: καὶ τίνες αὐτῶν διὰ τοῦτ' ἐσώθησαν, id est, & nonnulli ipsorum propterea seruati sunt. Vt quod dixit Hippocrates plurimi, intelligat Galenus nonnullos, atque hac explicādi ratione, ac auctoritate omnis tollitur contradictio.

πάσῃ διαίτῃ θεραπευόμενοι. Omni cum uictus ratione curati.] Cum in superiori periodo dixisset non solum illos qui negligerētur, & omni præsidio destituti essent, mortuos, sed etiam eos, qui optime curarētur, statim subiunxit, genera remediorum, quibus oppugnari pestis, & omne morborum genus consueuit, nempe pharmaciam, quod uerbo illo ἴαμα, id est, medicamentum comprehendit, & diætam, id est, uictus rationem, de tertio fonte chirurgico nullū uerbum facit, uel quia fortasse sanguinis detractionem, quæ potissima est, & ducit familiam in illo genere non probabat in peste, uel non adhibuerant illi medici. Quod factum fuisse priscis temporibus ostendit Celsus, qui in epistola ad G. Iulium Callistum ita ait (de pharmacia loquens) Est enim hęc

Priscis tēporibus non adhibita sanguinis omissio.

pars medicinæ, uel maxime necessaria, certe antiquissima, & ob hoc primum celebrata, atque illustrata. Siquidem uerũ est antiquos herbis, ac radicibus corporis uitia curasse, quia timidũ genus mortalium inter initia nõ facile ferro, igniq; se committebat, quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicã omnes, & nisi magna compulsi necessitate ipsius salutis nõ patiuntur sibi fieri, quæ sanis uix toleranda sunt. Vel etiam fortasse sub eodem illo uerbo ἴαμα, idest, medicamentum, hoc remediũ comprehendit: non sine autem mysterio repetitum est idem uerbum medicorum proprium θεραπευόμενα, idest, curata, ut scilicet ostenderet, se non ignorare, quanta uis esset in curationibus omnium morborum diætandi ratio, de qua maxime in acutis diligentissime scripsit Hippocrates, & Galenus suis maxime elaboratis Commentarijs explicauit, adeo ut sæpenumero in ratione uictus errata mortis sint præsentissima causa: & contra etiam salutis debita methodus, & obseruatio: quare primum illi gradum assignat in supradicta epistola Cornelius Celsus. Per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit: nam primum cibis ratione, aptoq; tempore datis tentat prodesse languentibus, deinde si ad hos nõ responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim: potentiora enim hæc, & efficaciora, quàm cibi. Post ubi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduersæ ualetudinis, tunc coacta ad sectionem, uel ultimo ad ustionem uenit.

Quanti momenti sit in medicina victus ratio.

Ἐν πάσῃ διαίτῃ, Omni ratione victus.] His verbis significare vult Thucydides vel species, & differentias rationis victus particulares, quæ diuiduntur, auctore Galeno in 2. Aphor. 3. in ἁδρὴν δίαιταν, in λεπτὴν, & μέσην, crassam, seu vberem, & tenuem, ac mediam, quas eleganter persequitur Celsus lib. 2. cap. 28. vbi has ita distinguit, vt primum vocet genus valentissimæ materiæ, secundum imbecillę, tertium mediæ, videturq; attingere illã quæstionem, siue controuersiã inter medicos agitari solitam, vtrum in pestilentia conueniat victus tenuis, vt in cæteris morbis acutis, quod videtur ipsa ratio dictare, & docti maxime sequuntur, an vero victus crassior, & luculentior, vt quidam autumant, & vulgo creditur, cum dicat in pestilentia vires esse seruandas, ac retinendas, quę maxime concidunt, ac labefactantur in hoc morbo. Et ideo ciborum

Vtrum in peste cõueniat victus, tenuis, an crassus.

borum quantitatem, & προσφορὰν esse debere luculentam, & vberem. In quorum numero videtur fuisse Auicennas (vt dictum est) qui præcepit cogendos esse ægros, vt comedant, & in multis pestilentijs constat ægrotos, qui cibum respuerint, omnes mortuos: contra, qui & cibos oblatos acceperint, largo uictu usi fuerint, conualuisse, ut in 3. Epidem. contex. 58. dicit Galenus euenisse in sui temporis peste: quod quidem ego non ut causam, sed ut signum accipiendum puto, quia non seruati sunt, eo quòd comedebant: sed quia comedebant, significabant ualidis esse uiribus, neque robur naturæ fractum, ac debilitatum, ut in illis, qui potius optabant, & eligebant mori, quàm cibum oblatum sumere, ut eodē loco testatur Galenus: & ideo ad pristinum ualetudinis statum perueniebant, quia uiribus costarēt: cuius rei argumentum, & signum erat appetitus uentriculi, & eiusdem non concussa, ac labefactata concoctrix. Vel plures res non naturales dictæ à medicis, comprehenduntur sub nomine dietæ, quæ sunt omnia præter pharmacum, & chirurgiam, ut sit sensus, quamuis moderatio adhiberetur in omnibus diætę partibus, tamen nihil proderat hæc curatio ad salutem, quia interibant. Hoc uero uocabulum diæta, Græce plura significat, quæ distinguenda, nam significat uitæ genus, unde μεταβάλλειν δίαιταν apud hūc ipsum auctorem est mutare genus uitæ. Secundo, domicilium, unde dicitur ἔχειν δίαιταν ἐν Ἰταλίᾳ, habere in Italia domicilium. Tertio, apud Latinos etiā est pars domus Triclinio cōtigua, dicta, teste Varrone, quòd in ea per diem edatur. Quarto, arbitrium, seu iudicium, unde Germani suorū Principum conuentus, ubi agitur de summa rerum, diętas uocant, & hinc metaphorice dici apud medicos dietam putat Montanus in Commen. 1. Aphor. 4. Aphor. dum iudicat de excessu ægri medicus, & ad symmetriā corrigendo deducit. Quinto demū accipitur pro ratione uictus quę etiā duplex, uel generalis, ut omnia complectitur non naturalia, quomodo definitur à Galeno in Cōmen. de ratione uictus, in acutis, contex. 3. ἡ διὰ τῶν συνήθων ὑλῶν ἀγωγὴ τῆς θεραπείας, idest, per consuetas materias præsidiorū curationis ratio, ut contineat omnia præter chirurgiam, & pharmacum: quod exquisitius, & nominatim ostendit 3. in 3. contex. 9. ubi ait: λέγω δὲ δίαιταν, οὐ τὴν ἐν τοῖς ἐσθιομένοις τε καὶ

Dięta qd significet

καὶ πινομένοις μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις οἷον ἀργίαις, γυμνασίοις, λουτροῖς, ἀφροδισίοις, ὕπνοις, ἀγρυπνίαις, ἅπασί τε τοῖς ὁπωσοῦν γινομένοις κατὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα, idest, dietam porro dico non solum eam, quæ in his, quæ eduntur, & bibuntur, sita est, sed etiã omnibus alijs, ut ocio, exercitijs, balneis, uenereis, somno, uigilijs, & omnibus demum, quæ quouis modo circa hominum corpora contingunt. Vel particularis, & strictior, vt cibum tantum, & potum significet: & de utraque potest hoc loco intelligi, sed melius est de uniuersa parte medicinæ intelligere. Quare hinc sumpta occasione, non erit ab re de tota hac curandi ratione in peste pauca uerba facere à proposito digredientes.

De aere igitur primum dicatur, qui uel mutandus statim si fieri potest, sin minus alterandus, & exsiccãdus, ut dictum est in prolegomenis, cũ ignibus, cum rebus odoratis, fugiendis omnibus male olentibus, & putridis, nõ solum publice, sed in priuatis etiã ædibus, de quibus hoc loco præcipimus, uitentur flatus austrini: quare M. Varro in 1. de re rust. cap. 4. narrat in peste Corcyræa, cum omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, Varronem immisso fenestris Aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaq; etiam permutata, cæteraq; eius generis diligentia suos comites, ac familiam incolumes reduxisse, quare etiam hoc præcipit Hippocrates, ut scilicet occludantur portę, aut fenestræ, meatusq; omnes, unde flatus pestilentes spirare possint, immittiq; fenestris Aquilonem, neque aeri se committendum ante Solis exortum, uel post occasum, quod præceptum licet ad sanos pertineat potissimum, tamen ad ægros etiam, ne is admittatur per fenestras: post aerem succedit cibus, & potus, quorũ maxima habenda ratio, & quę nomẽ sibi generis assumunt: particularis enim diæta de his intelligitur: in his duo proponenda qualitas, & quantitas: quod ad primum attinet, oportet, sint σιτία εὔχυμα, idest, boni succi εὔπεπτα. i. faciles concoctu, & pauci excrementi: ratione vero putredinis humorũ, quæ maxime dominatur, sint etiam oportet quadam proprietate aduersus malitiam putredinis præditi, & nisi sint, cibis incoqui debent hanc habentia proprietatem, vt citrum est, oxalis, buglossa, pulueres margaritarũ præparatarum, corall. rub, & alb. cornu ceruini, ossis de corde cerui, & simi-

 lium,

lium, veneno aduersantium. Præterea si adsit febris, vt sæpe fit ad humidum, & frigidum omnes vergent: quod vero attinet ad quantitatem, magna se difficultas offert hoc loco, cum alij copiosam, & luculentam laudent, Galenum, Auicennam, Aetium præseferentes auctores, vt diximus, alij parcam, & tenuem, quemadmodũ Massarias, à morbi ratione arguentes, qui cum sit acutus, acutorum rationem victus postulat: duabus enim ex rebus indicari asserit victus rationem in omni morbo, à viribus, quas tueri oportet, & à statu morbi, in quo subtrahendus cibus. Cum vero non morbi, quem auget, sed uirium gratia, quas reparat, cibus detur, illud vnum medicus debet prospicere, vt neque plura, neque pauciora det alimenta ægroto, quàm quibus possit ad statum vsque peruenire, id fieri posse victu tenui simpliciter, cum adhuc tres gradus supersint, nempe exquisite tenuis, & tenuissimus, & extreme tenuissimus, quæ nostris dicit medicis ignorata: tenuem vero victum ex Galeno dicit esse cum pauca, & parum nutrientia edulia exhibentur, vt est succus ptisanæ. Hos enim gradus tres constituit. Galenus 1. Aphor. 9. uictus, quorum postea genus unumquodque in tria minimum diuiditur, simpliciter, exquisite, omnino plenum, & extreme, quod est quartum, licet in mediocri tot gradus non dentur, nisi habita ratione extremorum æquipollentium, & comparatorum inter se se. Nos arbitramur neutram sequendam rationem, neque plenum victum, qui fit per alicam, oua, & pisces in ægrotantibus, neque tenuem exhibendum, sed mediocrem, qui sit vtriusque particeps, quia scilicet neque vires minuẽdæ sunt, quod fit tenui victu, neque morbus augendus, quod fit pleno: quare paucus, & sæpe dandus, ut monet etiam Mercurialis. Cætera omnia unico Hippocratis Aphorismo in secundo circumscribantur, nempe ut sit somnus, uigilia, motus, quies, euacuationes ex omnibus partibus per lotia, per halitum, per sudores, per coitum, per menses, omnia moderata, si modum excesserint mala, de animi perturbationibus etiam infra dicetur. Videtur autem his uerbis significare Thucydides pestem hanc ex aeris corruptela, ac uitio pendere, non à uictu prauo, quia sic docuit Hippocrates cognoscere peste, & unico uidetur Thucydides uerbo expressisse,

quæ

quæ multis ſunt dilatata ab Hippocrate, qui in libro de natura humana, quem locum citat etiã Galenus in proœmio, in Epid. libros, ſic ait (locum integrum affero, qui extat apud Galenum fol. 345.) *Αἱ δὲ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ ἐσαγόμενοι ζῶμεν. τὴν δὲ διάγνωσιν ἑκατέρου, ὧδε χρὴ ποιέεσθαι. ὁκόταν μὲν ὑπὸ ἑνὸς νοσήματος πολλοὶ ἁλίσκονται, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, τὴν αἰτίην χρὴ ἀνατιθέναι τούτῳ, ὅτι κοινότατόν ἐστι, καὶ μάλιστα αὐτέῳ πάντες χρεώμεθα. ἔστι δὲ τοῦτο ὃ ἀναπνέομεν. φανερὸν γὰρ δή, ὅτι τὰ διαιτήματα ἑκάστου ἡμέων οὐκ αἴτια ἐστὶν ὧν τότε ἅπτεται ἡ νοῦσος πάντων ἑξῆς, καὶ τῶν νεωτέρων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ γυναικῶν, καὶ ἀνδρῶν ὁμοίως, καὶ τῶν θωρησσομένων, καὶ τῶν ὑδροποτεόντων, καὶ τῶν μᾶζαν ἐσθιόντων, καὶ τῶν ἄρτον σιτεόντων, καὶ τῶν ὀλίγα ταλαιπωρεόντων, καὶ τῶν πολλὰ καμνόντων. οὐκ ἂν οὖν τὰ διαιτήματα αἴτια εἴη γε, ὁκόταν διαιτώμενοι πάντας τρόπους οἱ ἄνθρωποι ἁλίσκονται ὑπὸ τῆς αὐτέης νόσου. ὁκόταν δὲ αἱ νοῦσοι γίνονται παντοδαπαὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, δῆλον ὅτι τὰ διαιτήματα αἴτιά ἐστιν ἕκαστα ἑκάστοισιν*, ideſt, Morbi fiunt alij à cibis, alij à ſpiritu, quem introducentes viuimus: dignotionem vero vtriuſque ſic oportet facere. Cum ab vno morbo eodem multi corripiuntur eodem tempore, cauſam oportet referre acceptam illi, quod eſt communiſſimum, & quo præcipue omnes vtimur: eſt vero hoc, quo inſpiramus: planum enim quòd cibi cuiuſque noſtrum non ſunt cauſæ eorum, cum corripit morbus ordine, & iuuenes, & ſeniores, & mulieres, & viros ſimiliter, & merum bibentes, & aquam, & mazam edentes, & panem comedentes, & parum conflictatos, ac multum laborantes. Non igitur erunt cibi cauſæ, cũ vtentes omnibus rationibus victus homines corripiantur ab eodem morbo: cum vero morbi fuerint omnium generum, in eodem tempore, profecto tunc cibi ſunt cauſæ ſinguli ſingulis.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Δεινότατον δὲ παντὸς ἦν τοῦ κακοῦ ἥτε ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθητο κάμνων· πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνώμῃ πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς καὶ οὐκ ἀντεῖχον, καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι ὥσπερ τὰ πρόβατα ἔθνῃσκον, καὶ τὸν πλεῖστον φθόρον τοῦτο ἐνεποίει.

THVCYDIDES.

GRauissimum vero in toto hoc malo erat tum animi consternatio, vbi quis se morbo correptum sentiret (ad desperationem enim subito conuersa mente multo magis proijciebant semetipsos, neque morbo resistebant) tum quòd alter ab altero curatione repleti, veluti pecudes interibant, & ingentem istud stragem edebat.

FABII

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

VIm morbi ſæuientis oſtendit ex medicamentorum accomodatorum inopia, & corporũ imbecillitate, quæ reſiſtere illi nulla ratione poterant, nunc addit alia duo, quibus maxime creſcebat, & augebatur morbus ex ipſis ægrotantibus aſſumpta, quę erant alterum animi uitium, nempe ἀθυμία, animi conſternatio, ſiue deſperatio, alterum corporis affecti, ſiue naturæ morbi, quòd ſcilicet contagione inuicem inficerentur, & ita morbus vulgaretur, & creſceret: & ideo referuntur ad idem uerbum δεινότατον, ideſt, grauiſſimum, ἥτε ἀθυμία, καὶ ὅτι, &c. nam cætera uerba per parentheſim incluſa nihil impediunt ſyntaxim, & ita Interpres, & Scholiaſtes Gręcus etiam notat. ἡ σύνταξις δὲ οὕτω. δεινότατον ἥτε ἀθυμία, καὶ ὅτι ἕτερος ἀφ᾽ ἑτέρου. Syntaxis ita ſe habet. Grauiſſimum erat, & animi conſternatio, & quod alter ab altero, &c. Lucretius tamen non uidetur agnouiſſe hanc ſyntaxis rationem, uel ſaltem confudiſſe, nt infra uidebitur. Reddit uero interiectis uerbis prioris incommodi rationem, quod erat animi quædam deſponſio, demiſſio, abiectio, conſternatio: nam ubi quis ſe morbi labe infectũ, correptumq́; deprehenderat, ex pręconcepta ante opinione, quòd eſſet malum immedicabile, & nemo poſſet eſfugere illius uim, ad deſperationem conuertebantur mentes, & omni abiecta ſpe, atque depoſita, tanquam de eorum eſſet ſalute cõclamatum, neque ullius adhibendi remedij, neque reluctandi medicæ artis ope, quam irritã exiſtimabant, ulla

erat cogitatio, sed quasi mortis iam faucibus, ac lethali falce deprehensi manus dabant quasi uicti, & mortui, neque resistebant, ac reluctabantur ingruentibus symptomatis, quorum impressionem fortasse minuissent, si forti animo restitissent: posteriorem uero propositionem de contagio inuicem curationis causa uulgato, amplificat pulcherrima comparatione, ac similitudine pecudum, quæ maxime huic obnoxię, & facillime ob naturę imbecillitatem suscipiunt ab alijs contagionem, hocq; factum augendę cladis, atque internecionis occasionem fuisse dicit.

δ'ξινότατον δ'ὲ, Grauissimum autem.] Hanc eandem sententiam expressit mirifice Lucretius octo uersiculis, qui hic recitabuntur, & mox etiam diligentius cum ipso Thucydide conferentur.

Illud in his morbis miserandum, & magnopere vnum
Aerumnabile erat, quòd vbi se quisque videbat,
Implicitum morbo, morti damnatus vt esset,
Deficiens animo mœsto cum corde iacebat,
Funera respectans, animam & mittebat ibidem:
Idq; vel in primis cumulabat funere funus,
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex alijs alios auidi contagia morbi.

Ouidius etiam in septimo, ubi describit pestem grauissimã hoc symptoma fuisse ostendit timoris scilicet, & męstitię, qua ad desperationẽ adducti etiã sibi ipsis manus inferebãt.

Pars animam laqueo claudunt, mortisq; timorem
Morte fugant, vltroq; vocant venientia fata.

Timor est grauissimum malorum.

Quod uero grauissimum malorum sit timor, & metus est declaratum à me in nostris varijs lectionibus, ubi locus ille Ciceronis in epist. 3. lib. 6 famil. explicatur, sed cũ plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso quod timetur, ubi ex xephontis pædia acceptam sñiam probo, apud quẽ in 3. Tigranes persuadet Cyro, quòd eius parens satis luerit pœnarum, dũ in illius potestate, & in ergastulo positus omnia timuit, cum timor sit longe maius malum, quam res quæ timetur, & post multa, tandem ita concludit, ἔτι δὲ φανερώτερον, κἀν τοῖς δὲ οἷον φόρημα ὁ φόβος, ἔνιοι γὰρ φοβούμενοι μὴ ληφθέντες ἀποθάνωσιν προαποθνήσκουσι ὑπὸ τοῦ φόβου, οἱ μὲν ῥιπτοῦντες ἑαυτοὺς οἱ δὲ ἀπαγχόμενοι, οἱ δὲ ἀποσφαττόμενοι, οὕτω πάντων τῶν δεινῶν ὁ φό-

ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχὰς, ideſt, adhuc fit exploratius & in his, quale onus & malum ſit timor, nonnulli enim timentes, ne capti pereant, præmoriuntur præ timore, partim quidem ſe ſe proijcientes, partim ſtrangulantes ſeipſos partim iugulantes, ita ex omnibus rebus grauibus timor maxime percellit animas. & Lucianus idem uidetur ſignificaſſe, cum inducit Nereidas liberata à Cepheo Ariadna, & occiſo cete, nullum amplius ſumendum de matre illius ſupplicium arbitrantes, ſatiſq; fuiſſe metum, quem pro filia mater habuiſſet, ἱκανὴν γὰρ ἡμῖν τιμωρίαν ἔδωκεν φοβηθεῖσα ἐπὶ τῇ παιδὶ, ideſt, ſatis magnas nobis poenas dedit timore affecta pro filia, ſic Ouidius in Ariadne.

Occurrunt animo pereundi mille figuræ,
Morſque minus pœnæ, quam mora mortis habet.

& Seneca in Thieſte.

—— Peior eſt bello timor ipſe belli,

Torquatus Taſſius Hetruſcæ linguæ poeta celebris in ſuo poemate, id non prætermiſit de obſidione loquens.

E l'aſpettar del mal, è mal peggiore,
Forſe, che non ſarebbe il mal preſente.

Iuriſc. dñt ſuſpicionem belli haberi pro bello, & ideo dāna paſſa ob timorē belli eſſe reſarcienda, ac ſi uere geſtū fuiſſet bellū, nā (ut ait quoq; Cicero) Vectigalib. non ſolū aduētus mali, ſed ēt metus ipſe affert calamitatē, ſed elegantiſſime oīum ficta fabella declarauit Arioſtus in ij. illorum quinq; librorum, ſiue cantuum, qui ſeparatim à toto opere imprimuntur, ubi fingit Tyrannum à furijs apud inferos nullo potuiſſe affici ſupplicio, quod ſibi non leue uideretur, præ timoris poena, qua afficiebatur uiuens, & ideo decretū apud inferos, ut denuo ad uitam reuocaretur, timori pœnas daturus ſcelerum, quod uero peſtis etiam ipſa metu augeatur, & poſſit etiam inuadere declaratum eſt ſupra, dum ageremus de modis, quibus fit contagium ad diſtans, ubi probatum imaginationis vi, & metu multos corripi peſtilentia. Hanc quoque rem, quòd timor ſit peior eo, quòd timetur, declarat elegantiſſime, vt Philoſophus Epictetus in ſuo Enchiridio allato mortis exēplo, ταράττει τοὺς ἀνθρώπους, οὐ τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ αὐτὸν δόγματα, οἷον ὁ θάνατος οὐδὲν, δεινὸν, ἐπεὶ, καὶ Σωκράτει ἂν ἐφαίνετο, ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τοῦ θανάτου διότι

δεινὸν

δεινόν, ἐκεῖνο τὸ δεινόν ἐστι, idest, perturbāt homines non res ipsæ, sed quæ habentur de rebus opiniones, vt mors nihil graue: quoniam neque Socrati visa est, sed opinio de morte, quòd sit graue quid: & illa opinio est illud graue malum, &c.

ἀθυμία. Animi consternatio.] Hic timor, & mæror non vt symptoma morbi ponitur, quod etiam solet esse perniciosum, & signum lætale, sed vt effectus humanæ prudentiæ, quæ vbi nullum videt remedium adhiberi posse rebus aduersis, statim deficit animo, & mærore conflictatur, licèt contra interdum vulgus ex rerum desperatione sumat spiritus, vnde illud.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Sed quacunque ex causa oriatur, siue ex periculi magnitudine, qua terretur æger, siue ex ui ipsius morbi lædentis phantasiam, & mentem ægrotantis, semper malum; & ab Hippocrate connumeratur inter mala signa. in 1. Epid. Comm. 2. cont. 75. inter signa lætalia, τὰ ὀλέθρια in febribus ardentibus, τοῖς καυσώδεσι, enumerat φόβους, & δυσθυμίας, idest, timores, & mæstitias, ubi Gal. in Commen. dicit, οἱ γε μὲν φόβοι δριμείας ἱκανῶς καὶ κατωπτημένης τῆς ξανθῆς χολῆς εἰσὶ συμπτώματα, συγγενεῖς δὲ τοῖς φόβοις εἰσὶ καὶ αἱ δυσθυμίαι, idest, timores quidē ualde acris & perustæ flauæ bilis sunt symptomata, affines uero sunt timoribus mæstitiæ. in Coacis lib. 1. aph. 4. tanquā lætale proponit, φόβον, & ἀθυμίην ἄλογον & desinere in spasmū dicit post perfrigerationem, quo in loco Iacotius tres ponit modos, quibus sequatur hæc animi consternatio, & timor, primo, quia perfrigerati spiritus crassescūt, & obscurantur, quare redduntur inepti ad διάνοιαν, & hac ratione hoc symptoma significat spirituum uitalium, & uniuersi corporis frigidam intemperiem morbo contractā per translationē sanguinis melancholici in cerebrum, cuius anima recipit impressionem per spiritus, qui tales fiunt, qualis ille humor, & cum representantur imaginationi, cum sint atri, metum, & tristitiam, ac desperationem afferunt, interdum ille humor est in cerebro, aut ater ex toto corpore fumus ascendit in eius substantiam. tertio ex bilis flauę adustione vel sanguinis melancholici imprimitur in cerebri substantia intēperies hectica, quæ silentem facit ἔκτασιν, cum taciturnitate, & Commen. 2. sup. in Euriana ctis filia δυσθυμίη ἀνελπίστως

me-

mestitia sine spe, sic in prorrheticis. in Commen. 2. cont. 12. προσώπου εὔχροια, καὶ τὸ λίην σκυθρωπὸν, πονηρὸν, i. faciei bonus color, & nimis mæstum esse malum, ubi Galenus in Comment. dicit ipsum Hippo. dixisse in 2. Epidem. quòd τὸ ἐξέρυθρον, idest, subrubrum est ἐπιτήδειον εἰς μελαγχολίαν, idest, aptum seu paratum ad melancholiam, cuius signum est σκυθρωπότης, idest, mestitia: ex quo apparet in cerebro inesse calor quidam exurens sanguinem, & ob id generans atrã bilem, vbi merito reprehendit quosdam, qui interpretabantur, quod bonus color esset mæstitiæ causa medico. Euripides in phryxo uocauit turpem morbum metum,

———————ἀνέρος οὐκ ἄξιον.

Δειλὸν κεκλῆσθαι καὶ νοσεῖν αἰσχρὴν νόσον, idest,

———————Dici, indigna res viro,

Timidum, atque turpi esse morbo obnoxium.

Et in lib. de palpitatione, cap. 2. dicit timore solui facultatis uitalis robur, καθαιρεῖ δὲ τὴν ἴσχυν τῆς δυνάμεως ὁ φόβος, minuit uitalis facultatis robur timor, quare etiam dicit quosdam esse mortuos præ timore, & mæstitia, διὰ τὴν λύπην, quibus scilicet, esset infirmus ac imbecillis, ὁ ζωτικὸς τόνος, id est, uitalis tonus, quod etiam poetæ nostri sæpe confirmant Ouid. in Hypermnestra.

———Vires subtrahit ipse timor, & in Fastis.

Abstulerat vires corporis ipse timor, & Lucr. lib. 4.

———————Frigidus artus,

Alligat, atque animum subducto robore torpor.

Exemplũ mortui prę timore celebratur adagio, δειλότερος τοῦ παρακύπτοντος, timidior prospiciẽte, quidã enim timidus cũ famam audisset herculeæ fortitudinis se abdidit in specu, e quo cũ aliquando prospectaret, fortè fortuna Herculẽ inopinato prætereuntẽ uidit, & repente exanimatus, ac uersus est in lapidem, qui adhuc uisitur specie uiri, Marcellus Donatus lib. 1. cap. 1. de medica historia plures commemorat, qui ex timore repente cani facti sunt, & lib. 3. cap. 13. plures, qui uel mortui, uel grauibus morbis correpti præ timore, duabus igitur ex causis malum esse signum constat, & quia melancholiæ soboles est, quę in corpore aduritur, & quia uitalem facultatem imminuit, ac frangit, ex quo sępe etiam interitus consequuntur ex rerum desperatione, ut è contra

Timor q. b. de causis malũ.

confidentia,& spes ægrotantis multum ualet,quare dicebat Auicennas plus interdum prodesse fiduciam ægroti in medicum,quam medicinam, & Mercurialis cap.22. ubi docet rationem, qua se quisque possit præseruare à pestilentia, remedium optimum dicit esse lętitiam: ait enim. Ego nihil aliud fuisse existimo Musicam Thaletæ, & eorum militū qui apud Homerum cantu pestem fugabant,nisi spem,gaudium, & lętitiam,quibus fit, vt animi & corpora ualentius pugnent aduersus morbum pestiferum. Plutarchus in Cęsare testatur pestilentiam depulsam larga meri potatione, & uoluptaria uita, ac debacchationibus, & ebrietatibus ab exercitu celebratis post captos Comphos. Nicolaus Massa in procemio 2. tractatus de pręseruatione dicit timorem & alios animi affectus malos paratum corpus reddere ad suscipiendam pestem,ideo intrepide agendū, & sollicitudines omnes dimittendas, & reliquas passiones animi vt tristitiam,iram,ex quo scriptum quidam reliquere solo timore pestis contrahi pestem, quemadmodum multi ex metu rabidi canis rabie correptos tradunt, quod confirmat Ingrassias par.3.cap.8.& noster Lucretius etiam ostendit contrahi pestem ex mærore, & metu, dum ait.

Timore pestis cōtrahitur.

—— Lacrymis cassi luctuque redibant;
Inde bonam partem in lectum mærore dabantur.

Et Petrus Parisus auctor est capitulo nono, timidis potissimū spiritus occupari pestilentia, & venenū per illos, ad cor promptissime peruehi, & Hieronymus Mercur.in præl.de peste cap.10.dicit vnum præ cæteris est, quod humana corpora maxime disponit ad pestem recipiendam, timor, quo fit, ut corpora imbecilla reddita promptius à peste capiantur,&c.& Ioann.Heurnius in libello de peste ait, hinc est, ꝙ subitaneo metu pestis perculsi eam in se facile perliciant, spiritale enim venenum facile (intro confertim reuocatis spiritibus ad cor) syntimoria quadam se v.talibus spiritibus consociat. Cicero in 4. Tuscul. eleganter octo species siue partes, ac potius Comites facit metus, quod tanquam genus proponit his verbis, sub metum autem subiecta est pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio formido, quæ omnia ibi explicantur. Aretæus in definitione melancholiæ morbi dicit esse, ἀθυμίαν ἄνευ πυρετοῦ.

Tò

τὸ ἀνέλπιστον. Desperationem] τὴν ἀνελπιστίαν τῆς ὑγείας, dicit Scholiastes, ideſt, ſanitatis recuperandæ deſperationem: ex quo fiebat, vt quamuis etiam ſibi mortem, & quam primum oppetendam curarent, ſic apud Liuium lib. 25. de peſtilentia in exercitu Romanorum, & Pœnorum, ne contagione perirent, dicit, ut ferro potius morerentur, ferro quidam inuadebant ſoli hoſtium ſtationes, ſic Ouidius.

Deſperatio in peſte accidit.

——————— *Atque ſalutis,*

Spes abijt, finemq; vident in funere morbi.

Et multa deinceps, tandem ita concludens.

Pars animam laqueo claudunt, mortiſq; timorem,

Morte fugant, vltroq; vocant venientia fata.

Et Natalis lib. 27. hiſt. ubi peſtem Venetam anni 1576. deſcribit, dicit multos deſperatione ſalutis, & furore ẽt correptos ſe ſe præcipites dediſſe ex altiſſimis feneſtris, & mortem oppetijſſe, ſic Sigonius de regno Italiæ lib. 1. in peſte illa Inguinaria dicit Romæ accidiſſe, ut pene tota ciuitas in deſperationem uerteretur, & animum deſponderet, hæc autẽ dum aguntur interim Romæ furente in dies acrius peſtilentia urbs aſſiduis funeribus exhauriebatur, itaque mœſtum vbique ſilentium, triſtiſque luctus paſſim uniuerſam ciuitatem tenebat prementium malorum magnitudine iã propè animum deſpondẽtem. Contraria, & ex altera quaſi parte reſpondens huic deſperationi eſt cõfidentia, ſiue fiducia, qua plerumque fit, ut ex magnis morbis ægri præter medicorum ſpem conualeſcant, de huius ui plura leguntur apud medicos, ſed Gaſpar Torrella, qui fuit Epiſcopus ſanctæ iuſtæ in tractatu de pudendagra ſub initium multa diſputat de ui huius fiduciæ laudatis teſtibus Platone, Galeno, Auicenna, & Nicolao Florentino, ac alijs, quorum auctoritate concludit morbos plerumque ſanari in ægrotis confidẽtia, uel medici, uel alicuius remedij adhibendi, & ideo dandam eſſe operam medico, ut hanc placidis ſermonibus inducat in animis ęgrotantium, tandemque rationem etiam facti ita reddit, ut dicat. porrò confidentia tam magnum, & ſic ſubitum producit effectum, quoniam uirtus rationalis habita imaginatione forti, & opinione firma ſuper aliqua re profutura, imperat virtuti naturali, cuius eſt potius contra morbum bellare, & virtus naturalis imperio parens mouet

Cõfidentiæ uis in medicina

innatum cõtra morbum & causam eius, ita ut causam morbi sensibiliter depellat, & morbum abijciat, & sic fit vt eius effectus suauiter, & mite proueniat, effectus inquam realis in corpore: nec mirum, cum imaginatio, siue cogitatio, quã ipsa sequitur, sit ex passionibus animæ, quibus frequenter corpus immutatur.

ἕτερ© ἀφ' ἑτέρου. Alter ab altero.] Duobus modis potest intelligi locus iste, uel quòd alter ab altero contagione repleretur causa curationis, & sic erit interpungendus locus post ἑτέρου; vt facit Henricus Stephanus, vt sit atticismus in verbo θεραπείας, desiderato scilicet aduerbio, vel χάριν, vel ἕνεκεν, idest, gratia vel causa, vel quòd alter ab alterius curatione repleretur s. morbi contagio, & prior fortasse magis accommodata, licet posteriorem omnes fere sequantur interpretes, ex hoc vero loco luce meridiana clarius apparet veteres nouisse contagium, quod quidam recentiores in dubium ausi sunt reuocare eo, quòd Galenus in definitione pestis nullam fecerit contagij mentionem, inter quos videtur etiã fuisse Fracastorius libro 2. capit. 3. de morbis contagiosis. de qua re in definitione pestis à nobis multa sunt dicta, non enim Galenus ignorasse dicendus vim contagij, aut Hippocrates, ut falsò asserit Petrus Parisus. in 1. cap. tract. quòd id in definitione prætermiserunt, quia (vt probatũ est) pestis esse potest etiam sine contagio, quod de multis pestilentijs factũ demonstrari potest ex historijs, quod vero Galenus, & Hippocrates, veteresque etiam omnes nouerint contagium vel vnus Galeni locus nobis potest ostẽdere, qui est clarissimus. in 2. cap. lib. 1. de differentijs febrium, quem quia alibi recitauimus nunc omittemus, & mox in eodem libro cum dicit ex Aethiopia fluxisse, σηπεδονώδη τίνα μιάσματα, idest, putredinosa quædam inquinamenta, videtur significare contagium, ut alibi probauimus, & sic etiam Hipp. nouisse contagium, ex hoc ipso verbo, in libro de flatibus ostenditur, licet in Epidemicis more suo tamquã rem notam prætermiserit, vt sentit et Massarias lib. 1. de peste: nã ibi dicit λοιμόν, idest, pestem esse febrem omnibus communem κοινὸν πυρετόν, & fieri dicit, cum aer repletus est putredinosis inquinamentis, ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιούτοισι πλήθῃ μιάσμασιν, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμια ἐστίν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσι, idest, cũ aer huius-

Veteres cognouerunt contagium.

huiusmodi fuerit repletus inquinamentis, quæ humanæ naturæ sunt inimica, tunc homines ægrotant, vbi doctissimus Mercurialis in Scholijs notat, quæ dicit μιάσματα, Hippocrates, vocata à Democrito, ἄτομα, idest, indiuidua corpuscula, quæ a[illegible] immixta, & corporibus inimica facere pestem tradidit, eademque asserit a Fracastorio utrumque secuto diuerso nomine seminaria vocari, & eodem in loco paulo ante apertius contagij rationem ostendit his uerbis, ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς διὰ τοῦτο τοιοῦτος ἐστίν, ὅτι τὸ πνεῦμα ταυτὸ πάντες ἕλκωσι. ὁμοίου δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος ὅμοιοι καὶ οἱ πυρετοὶ γίνονται, idest, communis igitur febris propterea talis est (hoc est omnibus accidit) quòd spiritum eundem omnes trahunt, simili vero similiter in corpore spiritu immixto similes & febres fiunt, quibus verbis clarissime nobis contagij naturam ostendit. Aristotelis philosophorum peripateticorum princeps apertissimam facit contagij mentionem in probl. 7. sect. 1. quem locum alias anno superiore attulimus, & ideo nunc omittimus: cuius rei facit etiam mentionem in 7. sectione. probl. 4. διὰ τι ἀπὸ μὲν νόσων ἐνίων νοσοῦσιν οἱ πλησιάζοντες, ἀπὸ δὲ ὑγείας οὐδεὶς ὑγιάζεται, idest, cur ex aliquibus morbis afficiuntur morbo accedẽtes, à sanitate uero nemo sanatur. Plutarchus etiam non solum se nouisse contagium ostendit multis in locis, vt in Pericle, & alijs à nobis alibi memoratis, sed apertissime testatur antiquissimis fuisse cognitum, cum dicat in lib. de sera Num. vindicta, quòd filij parentum, qui vel phthisici, vel hydropici morerentur, iubebantur tamdiu in aqua pedes detinere, donec parẽtum corpora comburerentur, existimantes hoc pacto, effici, ne susciperent filij contagionem: ait enim, δοκεῖ γὰρ οὕτω τὸ νόσημα, μὴ μεθίστασθαι, μηδὲ προσπελάζειν αὐτοῖς, idest videtur hoc pacto morbus, neque transire, neque attingere ipsos. Sophocles etiam Tragicus poeta antiquissimus, qui floruit ante Hippocratem, uidetur agnouisse, qui vocat in Œdipo pestem, πυρφόρον θεὸν, idest, Deum igniferum, ignis enim proprium, paratis rebus flammam communicare, & mox etiam vocat ἐκτοπίαν φλόγα πήματος, idest, inusitatam, & insolentem mali flammam, & rursus paulo post,

——ἄλλον δ' ἂν,
ἄλλῳ προσίδοις,

ἄπερ

ἄπερ εὔπτερον ὄρνιν,
κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς,
ὄρμενον ἄκταν πρὸς ἑσπέρου,
θεοῦ, ὧν πόλις ἀνάριθμος,
ὄλλυται, ———

Quæ sic totidem verbis expressa sonant alium post alium prospicias quasi bene alatam auem, vehementius indomito igne properantem ad litus hesperi Dei, ex quibus ciuitas innumerabilis perijt, quibus in uerbis uidetur, non solum ignis comparatione, sed verborum collocatione, significare contagium, cum dicat alium post alium: Lucretius etiam Vergilius, Ouidius, Sillius Italicus, & alij poetæ Latini meminerunt, necnon Historici Liuius, Dionysius, Diodorus, & alij.

θεραπείας. Curatione.] Quòd curatio sæpenumero vulget morbos, & augeat, supra testatum est, sic Liuius lib. 25. curatio ipsa, & contactus ægrorum vulgabat morbos, & ante lib. 3. ministeriaque inuicem, ac contagio vulgabant morbos: sic Diodorus Siculus li. 4. καὶ γὰρ οἱ τοῖς κάμνουσι παρεδρεύοντες ἐνέπιπτον εἰς τὴν νόσον ἅπαντες. Ouidius elegantissime.

——— Inque ipsos sæua medentes,
Erumpit clades, obsuntq; auctoribus artes,
Quo propior quisque est, seruitq; fidelius ægro,
In partem læti citius venit. ———

& Guerinus Hetrusco idiomate.

Vani erano i rimedi, il fugir tardo,
Inutil l'arte, è prima che l'infermo,
Spesso nell'opra il medico cadea. Seneca in Oedipo.
Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.

Quare cum tantum periculum subeant medici in affectis pestilentia curandis merito magna illis adhibenda cura est, vt ita se aduersus contagionis periculum muniant, ne lædantur, & propterea qui de peste disputant exquisitius, quædam etiam præcepta tradunt medico, quibus minori cum periculo perfungi possit suo munere, quæ non erit alienum paucis hic recensere. primum ergo prospiciat, ut corpus sit à recrementis superuacaneis immune, quod ad ipsum attinet, non sit ieiunus, quia facillime eo tempore suscipitur contagio, cum sit per inanes venas facilis transitus, non sit

Quæ sui cura adhibẽda medico ĩ curandis ęgrotis pestilentib.

cogna-

cognatus ægroto vel sanguinis coniunctione, vel complexionis, ac naturæ, vel constellationis symboleitate, ut inquit Ficinus, qui id attendendum magnopere admonet cap. 24. quod vero ad ægrotum, iubeat primum euentari cubiculũ, neque vllum adsit in eo cadauer insepultum, neque etiam recens in eo quisquã sit mortuus, neque plures sint ægroti, quòd si ita ferat necessitas, saltem curet priusquã ingrediatur, ignem excitari, & suffitus rerum odoratarum per horam clausis fenestris, vt magis impressione ignis æstuantis aer repurgetur, mox fenestræ ad septentrionem referentur, & ipse medicus abluat primo manus, ac faciem aqua rosata, aceto permixta uel simplici, si nõ adsit copia rosatæ, aliquid odoratũ manu tenens altera naribus admouendo frequenter, altera facem accensam præferens, uel candelã ex cera & terebinthina paratam ingrediatur, ore continens & dentibus comminuens aliquid odoratum, & qualitate aduersaria venenis, ut citrum, zedoariam, cinnamomum, & similia, alij spongiã aceto infusam ore continendã suadent, ingressus auersa facie ab ægroto loquatur, & audiat ita vt nullo modo halitum eius hauriat, caueat ne uentus aut aura ex parte ęgrotantis in ipsum spiret, sed altius ipsum locandum curet, ascendũt. n. vapores, in vrinis inspiciendis videat, ne odor illarum ad nares perueniat, si pulsum necesse sit attingere, statim manus abluat rosata aqua, & aceto, uideatq; ne sudore ægrotus madeat, aliave re simili, vt sanguine, aut pure, sed prius abstergẽdum curet vbi se expedierit ab ægroto, rursus quamprimum abluat manus, & faciem, vt antedictum est, & si adest facultas, vel quamprimum adest, domum reuersus mutet etiam vestimenta: quidam iubent sacculũ ex arsenico chrystallino, vel risagallo gestare ad regionem cordis appensum, alij fonticulos habere suadent, quos qui gerant numquã labem contrahere pestilentiæ afferunt, aut ab illa interfici, Mercurialis cap. 21. laudat indumenta breuia coriacea, & holoserica in medico: damnat longa, lanea, gossypina, pellicea, & dicit Venetijs tot medicos fuisse extinctos, quia viserent ægros, cum illis latissimis tunicis.

ἀναπιμπλάμενοι. Repleti,] Proprium videtur, & maxime accommodatum verbum ad hanc rem significandam, sic vtitur Aristoteles ipse etiam sine vllo adiuncto, ἡ λοιμὸς μόνη

τῶν

τῶν νόσων μάλιστα τοὺς πλησιάζοντας τοῖς θεραπευομένοις προσανα-πίμπλησι, ideſt, peſtis ſola ex morbis pręcipue accedentes ad ægros replet. Liuius vero addidit vi morbi lib 25. ait enim, vt aut neglecti, deſertiq; qui incidiſſent morerentur, aut aſſidentes, curanteſque eadem vi morbi repletos ſecum traherent: quare ſi vidiſſet locum hũc Ariſtotelis, qui fortaſſe ex Thucydide id accepit, Henricus Stephanus, non dixiſſet, ſed mirum certe ſi ita locutus eſt hic ſcriptor, ut dixerit θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, pro τῆς νόσου ἀναπιμπλάμενοι διὰ τῆς θεραπείας, vel ἐκ τῆς θεραπείας, Plutarchus in Pericle, vbi de hac peſte agit, cuius cauſam Pericli referebant acceptam Athenienſes, utitur hoc ipſo vocabulo, ſed addito ſubſtantiuo, φθορᾶς, ita enim inquit, τούτου δ' αἴτιος ὁ τῷ πολέμῳ τὸν ἀπὸ τῆς χώρας ὄχλον εἰς τὰ τείχη μεταχεάμενος, καὶ πρὸς οὐδὲν ἀνθρώποις τοσούτοις χρώμενος, ἀλλ' ἐῶν ὥσπερ βοσκήματα καθειργμένους, ἀναπίμπλασθαι φθορᾶς ἀπ' ἀλλήλων, ideſt, huius mali auctorem eſſe eum, qui in bello turbam ex vniuerſa regione intra mœnia recepit, & ad nullum opus his vtitur, ſed ſinit tamquam pecora concluſos repleri tabe mutuo. Dionyſius Halycarnaſſ. li. 10. vtitur ipſe quoq; hoc vocabulo, ſed addit etiam ipſe ſubſtantiuũ νόσου, multis tamen interiectis verbis, ut numeri potius explendi gratia, quam neceſſitatis additum videatur, καὶ οὐκ ἥκιστα ὁ γεωργὸς ἐπόνησεν ὄχλος ἀναπιμπλάμενος, καὶ προβάτων καὶ τῶν ἄλλων τετραπόδων ἅμα διαιτωμένων, τῆς νόσου, i. nec minime agreſtis quoque laborauit turba repleta, cum pecudes ſimul, & aliæ animantes quadrupedes cohabitarent, peſtilentia.

ὥσπερ τὰ πρόβατα. Quaſi pecudes.] Grecus Scholiaſtes reddit rationem comparationis, quia ſcilicet, hoc animal maxime obnoxium peſtilentiæ, & eam facillime ſuſcepit, & alijs infert, ὅτι τὰ πρόβατα μεταληπτικὰ, καὶ μεταδοτικὰ τῆς νόσου, ideſt, quia oues ſuſceptiuæ, & diſtributiuæ morbi maxime, quare aceruatim & gregatim concidunt, & Seneca narrat ſexcentarum ouium gregem exanimatum in Pompeianæ regionis motu, & Anatolius quidã auctor non cõtẽnẽdus ſcribit inter genera peſtilentiarũ, quibus ouis obnoxia, eſſe ſacri ignis quoddam genus inſanabile, dictum Puſula quæ niſi compeſcitur intra primam pecudem malo correptam vniuerſum gregem contagione proſternit, cum nec medicamen-

Ouis inter animãtia maximè obnoxia peſtilentiæ.

camẽtorũ, nec ferri remedia patiatur. Columella hoc prodesse dicit, si viua ouis pusulosa resupini ĩ limine stabuli defodiatur, facta scrobe, & totus grex super obrutam meiat: quare nulla accommodatior afferri ad contagionis serpentis late, & propagatę velociter stragem significandam poterat, hinc nonnulli medici pestilentiam uocarunt ouinum morbum, ut Gaspar Torrella Episcopus sanctæ Iustæ, qui etiam de morbo Gallico scripsit quædam; is enim de pestilentia disputationem, de ouino morbo, inscribit. Ouidius similitudine pomorum, & glandium id declarauit.

Pestis dicta ouin⁹ morbus.

Quo se cumq; acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum, veluti cum putrida motis
Poma cadunt ramis, agitatæque ilice glandes: Sic Sillius Italicus pecudũ morti assimilauit interitũ peste defunctorum.

——— *Iuuat inter prælia ferro,*
Posse mori, socium miseret, qui morte pudenda,
In morem pecudum effudere cubilibus atris
Illaudatam animam, tumulos inhonoraq; busta,
Respiciens, & vel nullo iacuisse sepulchro,
Quam debellari morbis placet.

Cuius auctoritate dici fortasse potest Thucydidem assimilasse ei animi abiectionem illam, & inertiam, qua se desperantes abijcerent, neque de propulsando morbo cogitarent: nam in adagii locum abijt, προβάτων ἦθος, idest, ouium mores, quia scilicet sibi inutiles sunt, & aliud προβάτων οὐδὲν ὄφελος, idest, ouium nullus usus, de quibus uide auctorem Adagiorum, alii similitudine flammæ vnctã, siccamque materiam rapide corripientis demonstrarunt hãc ad morbum suscipiendũ propensionem. Henricus Stephanus hæc uerba referenda putat non ad sequens uerbũ ἔθνησκον, idest, moriebantur, sed ad præcedentia, ἀναπιμπλάμενοι, quod etiam ex Scholiastæ ipsius uerbis dicit intelligi, quòd, scilicet, ἑτέρα ἀφ' ἑτέρας ἀναπίμπλαται νόσου.

τὰ πρόβατα, Pecudes.] Galenus explicans locum illum de articulis lib. 1. contex. 27. Καλῶς γὰρ ὅμηρος καταμεμάθηκεν ὅτι πάντων τῶν προβάτων βόες ὅτι μάλιστα πονέουσι ταύτην τὴν ὥρην, idest, Recte enim docuit Homerus, quod ex omni pecore boues quàm maxime laborant eo tempore. Ita de hoc vocabulo disputat, πρόβατα νῦν εἶπεν ἅπαντα τὰ βοσκήματα, καθάπερ

θάπερ ἐν τῷ περὶ ἱερῆς νόσου γέγραπται κατὰ λέξιν οὕτως, οὐκ ἐστιν ἄλλο πρόβατον οὐδὲν, ἢ βόες, καὶ αἶγες, καὶ τὸ παρὰ τῷ ποιητῇ τοιοῦτον ἐστί. ἔνθα φησὶ πολλά τε οἱ πρόβατα ἐστί. βούλεται γὰρ ἀγέλας βοσκημάτων δηλοῦν. ἐχρήσαντο, καὶ ἄλλοι οὕτως τῶν παλαιῶν τῇ φωνῇ, idest, Probata, seu pecus dixit omnia vniuersim boscemata, idest, quæ pascuntur (bruta pascua) quemadmodum & in libro de morbo sacro scriptum est ad verbum, ita nõ est aliud vllum pecus nisi boues, & capræ. Et quod à Poeta dicitur huiusmodi est, vbi ait, multumq; est ei pecus: vult enim greges pascentium brutorum significare. Vsi vero sunt, & alij veteres ita hoc vocabulo. Locus vero Homeri à Galeno citatus est in § ιλ. vbi Græcus Scholiastes ita, πρόβατα] πάντα τὰ τετράποδα ἐκάλουν, οἱ παλαιοί, πρόβατα διὰ τὸ πρὸ τῶν ὀπισθίων βάσεων ἑτέρας ἐμπροσθίους ἔχειν, καθ᾽ ὃ καὶ ἡσίοδος φησὶ χαλεπὸς προβάτοις χαλεπὸς δ᾽ ἀνθρώποις, idest, Pecus] omnes quadrupedes pecus vocabant veteres, quod ante posteriores gressus anteriores alios habeant, quemadmodũ dixit etiam Hesiodus. Difficilis pecori, difficilisq; homini. Et Eustrathius, πρόβατα δ᾽ ἐνταῦθα φασί τινες τὰ τετράποδα πάντα βοσκήματα παρὰ τὸ πρὸ τῆς πρώτης, ἤτοι τῆς ἔμπροσθεν βάσεως ἑτέραν βάσιν ἔχειν, idest, pecus hic dicunt nonnulli, quadrupedes omnes pascuas, quòd præter primum, vel anteriorem gressum aliud habeat gradũ. Sic quoque Latini etiam vtuntur, vt Liuius de pestilentia fœda homini, fœda pecori. Ibi enim omne genus quadrupedum intelligit, quòd si hoc pacto intelligatur hic locus, erit alius sensus, nempe quòd moriebantur instar brutorum, ab omnibus scilicet deserti, & relicti: soli enim homines adesse morientibus sibi inuicem consueuere, officiumq; præstare humanitatis: sed tamen prior explicatio magis placet, nam frequentior est ista notio, quàm altera, dicuntur porro alio vocabulo οἶες, μῆλα, βοσκήματα, &c. Dicuntur vero ita quasi per excellentiam, quòd scilicet ipsæ potissimum excellant in peculio, quod ab illis etiam denominatum à Latinis, nostram tamen hanc explicationem videtur comprobare Lucretius, qui ita reddit hunc locum cum sequenti contextu Thucydidis confusum.

Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros
Vitai nimium cupidi, mortisq; timentes,
Pœnibat paulo post turpi morte, malaque,

Desertos

Προβατα, & pecus pro omni genere animantis.

Desertos, opis expertes incuria mactans
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera secla.

Vbi videtur, & illud πρόβατα accepisse pro omni quadrupede, cum adiungat etiam boues, qua notione accepit etiam in Latina lingua Plinius, qui ita lib. 7. cap. 2. In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus, & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes, vbi multi docti viri dicunt esse verbum mere Græcum, probata penultima correcta, idest, pecus, licet Adrianus Turnebus dicat esse legendum probata, penultima producta, vt sit à probo, pro laudata, quasi dicat intereant probata, idest, laudata, & laudatione effascinata, nisus auctoritate Vergilij dicentis:

Aut si vltra placitum laudarit baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Sed Lambinus ex iuuenis cuiusdam coniectura (vt asserit) legendum putat eo loco hoc modo interea probatæ arescãt arbores. Ioannes Boccacius, qui in multis videtur voluisse hanc Thucydidiã pestem adumbrare, eandem comprobat rationem, cum dicat: *Per le sparte ville, e per gli campi i lauoratori miseri, e poueri, e le loro famiglie senza alcuna fatica di Medico, ò aiuto di seruidore per le vie, & per li loro coltiui, e per le case di dì, di notte indiffe rentemente non come huomini, ma quasi come bestie morieno.* Plutarchus etiam in vita Periclis, vbi de hac eadem peste verba facit, cuius causam, & culpã Athenienses conferebant in Periclem auctorem recipiendæ agrestis turbæ intra mœnia, videtur hoc sensu accepisse: vtitur enim vocabulo generali βοσκήματα, idest, bruta pascua, dicens: ἐῶν ὥσπερ βοσκήματα καθειργμένους ἀναπίμπλασθαι φθορᾶς ἀπ' ἀλλήλων, idest, sines tanquã bruta pascua conclusos repleri inuicem tabe.

πλεῖσον φθόρου τοῦτο ἐνεποίει, Magnam cladem hoc edebat.] Græcus Scholiastes hoc loco interpretatur ἡ ἀπόγνωσις δηλονότι, idest, desperatio videlicet, quasi illa desperatio omnium malorum grauissima homines perderet, quod non est à ratione alienum, & iam probatum est præ timore multos pestilentia corripi, & in pestilentijs fiduciam adhibendam. Tamen arbitror locum hunc esse intelligendum de proximiori parte, nempe de contagione morbi, & de clade frequenti, quod scilicet ex tot mortuorum, qui terræ, & sepulchris mã-

dari (vt infra dicet) tam cito non poterant, tetro odore, & aspectu morbus vulgaretur, & cresceret. Sic Liuius lib. 25. cuius locum libet uniuersum hic afferre. Et primo temporis, ac loci vitio, & ægri erant, & moriebautur, postea curatio, & contactus ægrorum vulgabat morbos, vt aut neglecti, desertiq; qui incidissent, morerentur, aut assidentes, curantesq; eadem vi morbi repletos secum traherent, quotidianaq; funera, & mors ob omnium oculos esset; & vndique dies, noctesq; ploratus audiretur. Postremo ita assuetudine mali efferauerant animos, ut non modo lachrymis, iustoq; comploratu persequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepelirent, iacerentq; strata exanima corpora in conspectu similem quoque mortem expectantiũ, mortuiq; ęgros, ægri ualidos, tum metu, tum tabe, ac pestifero odore corporum conficerent: quam rem etiam elegantissime attigit Lucanus lib. 6. de pestilentia, ubi ita ait:

——Præceps agit omnia fatum,
Nec medij dirimunt morbi, vitamque, necemque:
Sed languor cum morte venit, turbaq; cadentum
Aucta lues, dum mixta iacent incondita viuis
Corpora, nam miseros vltra tentoria ciues
Spargere funus erat.—— Et Sillius Italicus lib. 14.
Passim etiam deserta iacent inhumataq; late
Corpora pestiferos tetigisse timentibus artus
Serpit pascendo crescens Acherusia pestis.

A quibus non dissimile illud quod 5. lib. histor. refert Zosimus. πάντα ἦν νεκρῶν σωμάτων μεστὰ, τῆς δὲ πόλεως ἔξω θάπτεσθαι τῶν σωμάτων, οὐ δυναμένων (πᾶσαν γὰρ ἔξοδον ἐφύλαττον οἱ πολέμιοι) τάφος ἦν ἡ πόλις τῶν τεθνεώτων ὥστε, καὶ ἄλλως εἶναι τὸ χωρίον ἀοίκητον, ἀρκεῖν, εἰ καὶ μὴ τροφῆς ἦν σπάνις, εἰς σωμάτων διαφθορὰν τὴν ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἀναδιδομένην ὀσμὴν, idest, omnia erant mortuis corporibus referta, & cum extra ciuitatem corpora sepulchro mandari nõ possent obsidentibus omnem exitum hostibus, sepulchrum erat ipsa ciuitas mortuorũ, adeo ut alioqui esset locus inhabitabilis, & sufficeret (quamuis non adesset alimenti inopia) ad corporum corruptionem inducendam à cadaueribus exiens malus odor: & Appianus Alexandrinus de bello Punico ita ait: ὁ οὖν φθόρος αὐτοῖς ἦν πολύς τε, καὶ περιώδυνος συνοῦσιν ὠδωδόσι, καὶ σηπομένοις σώμασι,

μασι, ideſt, labes, erat ipſis multaq; & valde dolorifica cohabitantibus cũ corporibus fœtentibus, & putreſcentibus, &c. vbi etiam vtitur eodem uocabulo, maſculino genere φθόρος, quo ſupra uſus Thucydides, & fœminino cũ accentu in vltima, φθορά. Euſebius Cæſarienſis hiſtor. Eccleſ. lib. 7. cap. 20. auctam peſtilentiam teſtatur ex cadauerum proiectione, & fœtore, inſepulta eorum cadauera relinquentes, vim morbi, quam per hæc ſe effugere opinabantur, dupliciter incurrebant, dum ad peſtilentiæ rabiem etiam fœtor inſepultorum cadauerum iungeretur. Henricus etiam Stephanus in ſuis ſcholijs reijcit Scholiaſtæ Græci interpretationẽ dicens non eſſe extrinſecus nominatiuũ illud aſciſcendum in ſyntaxi ἀπόγνωσις, ſed dicit illud τοῦτο ſubintelligi τὸ ῥηθησόμενον, ideſt, dicendũ infra, vt frequenter factum à Thucydide oſtendit in utroque numero, nempe τῷ, τοῖς δὲ, & illud τοῦτο dicit non minus ad præcedentia, quàm ad ſequentia referri, cum & quæ ſequuntur in poſteriore quidem certe periodi parte ſint eorum, quæ dixit veluti ἐπεξήγησις, nam cum verbo προσιόντων intelligendum eſt ἀπὸ κοινοῦ participium θεραπεύσοντες: at vero qui accedebant θεραπεύσαντες, hi diſcedebant θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι

τοῦτο, Hoc.] Lucretius uidetur ita confudiſſe, ut utrumq; amplecti uoluiſſe uideatur.

——Deficiens animo mœſto cum corde iacebat
Funera reſpectans, animam & mittebat ibidem,
Idq; vel in primis cumulabat funere funus.

Quaſi ſcilicet ex funerum aſpectu deſperatio creſceret, & mors conſequeretur: nam referendum eſt illud id ad ſuperiora, non ad ſequentia, ut quidam uolunt, carmina.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Εἴτε γὰρ μὴ θέλοιεν δεδιότες ἀλλήλοις προσιέναι, ἀπώλλυντο ἔρημοι, καὶ οἰκίαι πολλαὶ ἐκενώθησαν ἀπορίᾳ τοῦ θεραπεύσαντος· εἴτε προσίοιεν διεφθείροντο, καὶ μάλιστα οἱ τῆς ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι, αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους, ἐπεὶ καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες, καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, ὑπὸ τοῦ πολλοῦ κακοῦ νικώμενοι.

THVCYDIDES.

Siue enim nollent timore perterriti se mutuo adire, peribant deserti, & domus quamplures exhaustæ sunt inopia curantium, siue accederent, eadem vi morbi repleti interibant, & præcipue qui virtutis aliquid profiterentur: præ pudore enim nõ parcebãt sibi ipsis ingressi ad amicos visendos, quoniam & lamentationes morientiũ domestici tandem exhausti labore negligebant, à magno malo superati.

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

MIRVM Auctoris artificium, qui non solū verbis,& oratione amplificat,atq; exaggerat periculum pestilentiæ, & stragem editam, quam augebant duo potissimū mala grauissima, timor, siue potius desperatio,& contagij susceptio; sed etiam ipsa structura, & methodo orationis,nā dilemmatis figura pronunciat, ita ut effugium nullum reliquum fuisse factum ostendat, reddens enim rationem superioris sententiæ; atque comprehensionis,quòd fiebat magna strages ob metum facile suscipientibus contagionem, ait; siue nollent metu deterriti inseruire ægrotis,incidentes in solitudinem,denegantibus ipsis cæteris officium,quod alijs nollent ipsi præstare,interibant deserti,quod integris ēt familijs accidisse testatur,siue accederent curaturi, contagione suscepta conficiebātur, adeo ut omni ex parte summum esset periculum,atque discrimen, in quo etiam mouet πάθος, ab inconsentaneo,quòd scilicet illi,qui minus debuissent fuisse obnoxij,nempe boni,& uirtute pręditi, hi magis corripiebantur, cum scilicet præ pudore non auderent denegare ministeria iam confectis morbo, & morientibus,quos ipsi etiam familiares spretis eorum querelis, ac precibus efferati quodammodo, crudelesque facti deseruerant,

εἴτε γάρ, Siue enim.] Franciscus Portus dicit hic esse amplificationis locum à contrarijs,cum paulò ante dixisset,ma

ximam

ximam stragem factam propter nimium hominum commercium, & promiscuam eorum consuetudinem, qui curabant ægrotos, nnnc afferre eius rei contrarium, destitutionem scilicet, & derelictionẽ ægrotantium dicit. Et mox etiã afferit esse dilemma: aut enim alij alios adibant, aut non adibant metu deterriti: si adibant, inficiebantur; sin minus, destituti illi omni auxilio interibant: quare vtroque modo maxima strages fiebat. Ego arbitror esse explicationem, & σαφηνισμὸν superioris sententiæ, quæ obscurius pronunciata videbatur: & quemadmodum duplex illa vno erat quasi epiphonemate conclusa, nempe grauissimum mali desperatio ac timor; deinde contagionis vis late serpentis, hoc vtrumque maximam cladem, & vastitatem dabat, sic diuisa etiam ratione per dilemma causa reddatur, & magis explicetur factum, quia siue per primum caput, quod erat metus ingens, recusarent congressum, & consuetudinem aliorum hominum, metu ipso (vt fit) corpus deinde ad tabem suscipiendã parante, corripiebantur pestilentia, & cum ante hominum reiecissent consuetudinem in ipso maioris vsus, & necessitatis articulo ab omnibus deserebantur, & omni destituti presidio, ac ministerio interibant, cum si fortasse suppeditata fuissent illis medicamina, & fuisset qui inseruiret, effugere potuissent: siue contra per alterum caput ab officio humanitatis non discedentes commercium tuerentur, ex consuetudine mutua vi morbi repleti, dum præstare debita vellent amicis ministeria, & curationem, interibant, adeo ut ex vtroque simul iuncto, sed quasi ex contrario, & aduerso illud, quod dixit, efficeretur, ut nempe maxima fieret clades. Cætera vero sunt interiecta ad illustrandas has propositiones, & sententias. Sic uidetur Lucretius sensisse, qui incipit hanc partem uertere à particula αἰτιολογικῇ, ideſt causatiua. Ait enim:

Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros
Vitai nimium cupidi, mortisq; timentes,
Pœnibat paulo post turpi morte, malaque,
Desertos, opis expertes incuria mactans
Lanigeras tanquam pecudes, & bucera secla,
Qui fuerant autem præsto contagibus ibant.

δεδιότες, Timentes.] Ab officio recedebant, & deserebãt ægros

ægros metu ipso facti crudeles, ac sæui, excussa omni illius causa, misericordia: quare nihil mirum si illis quoque par pari referebatur. Sic Tyranni fiunt omnibus crudeles, & in omnes sæuiunt, quia omnes metuunt, & contra etiã ob eorum sæuitiam, pietatem in illis exercere ualde impium est. Quare merito isti quoque qui sua alijs denegauerant ministeria, destituti ab omnibus peribant: ἔρημοι, inquit Scholiastes, τοῦ θεραπεύσαντος orbati, & inopes ab uno quoque, qui eos curaret: omisit uero Thucydides, quia paulò post subijcitur ad uitandam ταυτότητα, idest, eiusdẽm uerbi crebram, & eandem repetitionem. Duæ igitur erant causæ, cur isti interirent, vis morbi, in quam incidebant uel timore, uel etiã diuina ira, quòd pietatis officia deseruissent, nec præstare indigentibus, & petentibus uoluissent, & inopia assidentium, & curantium, ac necessarias ad salutem res suppeditantium, ex quibus duobus maximam solet pestis uastitatem, ac cladẽ dare, quod eleganter attigit Ioannes Boccacius, qui ita ait: *Di che tra per lo difetto de gli opportuni seruenti, li quali gli infermi hauer non poteano, & per la forza della pestilenza era tanta nella Città la moltitudine di quelli, che di dì, & notte morieno, che vno stupore era ad vdir dire, non che à riguardarlo.* Et Matthæus Villanus: *Innumerabile quãtità ne morirono, che sarebbono campati, se fossono stati stati aiutati delle cose bisognose.*

Οἰκίαι ἐκενώθησαν, Domus uacuæ factæ sunt.] Vt Pericli ferè accidisse narrat Plutarchus, cui omnes filij legitimi interiere, usque ad Paralum extremũ, in quo uno fractũ animo concidisse Periclem dicit, & magnitudinẽ illã demisisse usque ad eiulatus, & lachrymas. Hanc rem præclare attingit Manilius lib. 1. Astron. ubi facit huius pestilentię mentionẽ,

In pestilentijs familiæ sæpe integrę & domus extinguũtur.

Ac tanto quondam populo vix contigit hæres.

Pausanias in Bœoticis auctor est Amphionis Thebani Regis familiam totam pestilentia sublatam. Et Venetijs in illa peste sub Duce Vitale Iustiniana amplissima familia tota deleta, quam monachus adolescens solus superstes ex ea stirpe ducta, permissu Pontificis, uxore, renouauit, & nunc maxime floret. Liuius lib. 3. de Peste, Vrbs assiduis exhausta funeribus, multæ, & claræ lugubres domus. Paulus Orosius lib. 5. cap. 4. tanta subito pestilentia exorta est, ut ministri quoque faciendorum funerum non sufficerent, deinde non essent.

Itaque etiam magnæ domus uacuæ uiuis, plenæ mortuis remanserunt, largissimæ introrsum hæreditates, & nulli penitus hæredes. Eusebius Eccles. histor. lib. 9. cap. 8. de pestilentia cum fame cõiuncta: in agris, uel uicis plurimæ domus penitus uacuæ remanserunt. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum, lib. 2. cap. 4. notat hoc quoque de illa Liguriana pestilentia. Erat autem ubique luctus, ubique lachrymæ: nã, uulgi rumor habebat, fugientes cladem, aut uitantes relinquebant domos desertas, habitatoribus soliscatulis eas seruantibus. Gregorius Pontifex de eadem peste Inguinaria agens in ea concione, quam habuit ad populum, & ponitur à Sigonio li. 1. ait habitatoribus promiscuè pereuntibus domus uacuæ relinquuntur. Et idem Sigonius in eodem libro de altera agens Inguinaria, quæ præcessit hanc Gregorianã uiginti duobus annis, ita inquit: Ante Iustiniani Imperatoris excessum, nouum ipsam morbi genus incesserat, quo per contagionem uulgato non integræ solum stirpes, atque familiæ, sed ciuitates quoque frequentes erant euersæ. Et lib. 2. de peste anni 680. Papiæ vrbem propè ad uastitatem redegit. Et lib. 3. de peste anni 748. Integris domibus exhaustis, ne qui mortuorum quidem sepeliendorum curam haberẽt, superfuere. Pausanias ĩ Bœoticis auctor est Ectenas populũ Boetiæ cum Rege primo Ogyge pestilentia uniuersos periisse, ita ut in eorum locum Kyantes, & Aones successerint. Hanc partem omisit Lucretius, & habet magnum πάθος, ac ualde facit ad amplificationem, & exaggerationem uastitatis. Sic Ioannes Boccacius: *O quanti gran Palagi, quante belle Case, quanti nobili habituri per addietro di famiglie pieni di Signori, e di donne infino al menomo fante rimasero voti.* Huius rei, & euentus causam, quòd integræ domus pestilentiæ contagio extinguantur, & pereant, nullo relicto, Hieronymus Mercurialis cap. 12. refert in similitudinem, propter quã fit in omnibus contagionis receptio, quam duplicem statuit, arcanam, & manifestam, & ita concludit non mirum esse, si interdum uideantur contagio extingui integræ familiæ, quia habent inter se similitudinem tam arcanæ qualitatis, quàm manifestæ, qualitatem porrò arcanam dicit esse cordis quandam intemperiem, propter quam id facile alteratur, & facile recipit c. uero xv. causam hanc refert in contagium per medium aerem dicens.

Causę huius orbitatis.

dicens. Ex quo poteſtis facile intelligere uerā rationem, cur integræ familiæ interdum ſint extinctæ. Idem refert in contactum cap. 17. & in lib. de morbis puerorum. cap. de variolis, refert in proprietatem paternam, & humorum ſimilitudinem, propter quam etiam dicit eſſe contagioſas variolas. Dionyſius Halycarnaſſæus cauſam huius orbitatis familiarum refert acceptam miniſtrorum inopiæ, ἐςὶ πολλὰς οἰκίας ἐξερημωθῆναι διὰ ἀπορίαν τῶν ἐπιμελησομένων, id eſt, vt multæ domus viduatæ fuerint incolis propter miniſtrantiū inopiam.

ἄτε προσιόντες. Siue accederent.] Altera pars dilemmatis, qua amplificatur etiam ſtrages, & vaſtitas, quia qui ægrotos adibant officij præſtandi gratia, repleti morbo diſcedent et interibant. Lucretius.

Qui fuerant autem præſto, contagibus ibant,

Id eſt, interibant contagione fœdati, & laboris ui, ſubiungit enim atque labore, quem ſubire ægrotantiū preces, & querelæ cogebant, & ita ſe breuiter explicat ex hac parte.

Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,

Blandaq; laſſorum vox mixta voce querelæ.

Hic verò mihi venit in mentem dubitare, qua ratione fieret hæc contagio de qua hic quoque apertiſſime intelligit, & loquitur Thucydides, an. ſ. accedentes ipſi, tamquam eſca ad ſuſcipiendum parati attraherent inquinamenta peſtis & venenum, vt verba illa ſignificant μεταληπτικόν, & ἀναπίμπλαθαι, repleri, quæ de patiente dicūtur, an affecti immitterent, ut ſignificant illa μεταδοτικόν, & μετάδοσις, an poſtremo venenum ſuapte natura inuaderet, ut ſignificant verba illa μεθίςαθαι, & προσπελάζειν, migrare, & accedere, quibus vtitur Plutarchus, & ἀναπίμπλησι replet, quo vtitur Ariſtoteles, ſed reſpondendum cenſeo, hæc omnia ſimul conuenire ad efficiendam contagionem, agentem, patientem, & venenum, ſed attribui actionis vocabulum potentiori, quod vbi vehemens, aliorum defectus, & vires ſupplet, vt exem. gratia, ſi vehemens ſit peſtis venenum, quamuis non ita ſit paratum paſſurum corpus, & agens, nempe, aliud corpus vnde effluxura inquinamenta ſunt, vi tamen ſua, & magnitudine facilè migrat, & inficit.

An agēs an patiēs an venenū ſit cau ſa contagij.

ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι. Qui virtutis aliquid profiterent.] πάθος, præclare à perſonis, quæ cum minime deberent eſſe

obnoxiæ morbis propter virtutem, ob eam ipsam causam in morbos incidebant, quia cum virtutem, officiumque colerent, adduci minime poterant, ut desertos esse paterentur miseros ægrotantes conquerentes, & complorantes, cumq; se commaculare scelere, & impietate, (quod est virtutis) nollent, morbi contagione replebantur, & interibant. Aristoteles in 2. Rhetoricorum, vbi persequitur, τὰ ἐλεεινά, idest, res miserabiles, quæque πάθος, possint excitare, hoc quoque enumerat, cum, scilicet, inde malum cõtingit, unde bonum erat expectandum, τὸ ὅθεν προσῆκεν ἀγαθόν τι πρᾶξαι, κακόν τι συμβῆναι, & inter eos, qui solent maxime commoueri misericordia. ponit τοὺς πεπαιδευμένους, idest, eruditos, liberaliter educatos, in quibus, scilicet, est aliqua virtus, rationemque reddens ait, εὐλόγιστοι γάρ, idest, cum ratione & bene res humanas reputant, atque considerant, explicat autem Scholiastes Grecus virtutis aliquid, φιλανθρωπίας, καὶ ἀγάπης, idest humanitatis, & dilectionis, quæ duæ sunt virtutes philosopho, & Christiano homine maxime dignæ, quem tamẽ reprehendit Henricus Stephanus, sed utrum rectè necne, alijs integrum relinquo: verba eius tantum recitabo. Hic quoq; peccare videtur in expositione nominis ἀρετή: neque enim ἀρετή, nihil aliud est, quam φιλανθρωπία. Nisi potius dicendum sit, ἢ ἐκ τῆς ἀρετῆς αἰσχύνη, respiciendo ad ea, quæ proximè sequuntur, αἰσχύνῃ γὰρ ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν, verum & ista αἰσχύνη ad φιλανθρωπίαν, seu ad φιλανθρωπίας, officia compellere illos dicetur, in hoc enim ipso ἐφιλανθρωπεύοντο, quòd ἠφείδουν σφῶν αὐτῶν ἐσιόντες παρὰ τοὺς φίλους. Huius vero christianę virtutis exemplum & specimen recitat Eusebius hist. eccl. lib. 7. cap. 20. vbi christiani homines in illa pestilentia, qua pagani se inuicem, & carissimi quique deserebant, charitatis officium, & humanitatis præstitere, misericordiæ, ut ipse inquit, ex hoc martyrium capere præsumẽtes: multi ex patribus nostris pro nimia charitate dum absque vlla cunctatione infirmos visitare non desinunt, & non solum uisitare, sed & ministrare, & exhibere officia, quæ dominus prçcepit, serpente morbi contagione, cum illis pariter, quibus ministrare voluerant, interibant, affectu enim quodam dilectionis attracti, & velut participare dolores cũ dolẽtibus cupientes, alienas in se mortes haud segniter transferebant, &

effecti sunt eorum, vt dicit Apostolus περίψευμα, & quæ sequunt, quæ si quis Græcę malit audire, ita sonant. οἱ οὖν πλεῖστοι τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν διὰ ὑπερβάλλουσαν ἀγάπην, καὶ φιλαδελφίαν ἀφειδοῦντες ἑαυτῶν, καὶ ἀλλήλων ἐχόμενοι ἐπισκοποῦντες ἀφυλάκτως τοὺς νοσοῦντας λιπαρῶς ὑπερετούμενοι θεραπεύοντες ἐν χριστῷ συναπηλλάττοντο ἐκείνοις ἀσμενέστατα τοῦ παρ' ἑτέρων ἀναπιμπλάμενοι πάθους, καὶ τὴν νόσον ἐφ' ἑαυτοὺς ἕλκοντες ἀπὸ τῶν πλησίον, καὶ ἑκόντες ἀναμαστόμενοι τὰς ἀλγηδόνας, καὶ πολλοὶ νοσοκομήσαντες, καὶ ῥώσαντες ἑτέρους ἐτελεύτησαν αὐτοί, τὸν ἐκείνων θάνατον εἰς ἑαυτοὺς μεταστησάμενοι ἢ τὸ δημώδες ῥῆμα μόνης ἀεὶ δοκοῦν φιλοφροσύνης ἔχεσθαι ἔργῳ δὴ τότε πληροῦντες, ἀπιόντες αὐτῶν περίψημα. Paulus etiam Diaconus lib. 2. cap. 4. de gestis Longobardorum simile quiddam narrat, fugiebant filij parentum insepulta relinquentes cadauera, parentes autem obliti pietatis viscera natos relinquebant æstuantes, si quem forte antiqua pietas perstringebat, ut vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus, & dum obsequebatur perimebatur, dum conferre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat, vt videres sæculum in antiquum redactum silentium.

αἰσχύνη γάρ. Pudore enim.] Hic magna se se nobis offert difficultas, & nodus pene inextricabilis, & labyrinthus: nam videtur speciem virtutis facere pudorē, cum dicat eos, qui aliquid virtutis profiterentur pudore deterritos, ne officium miseris, ac ministerium denegarent, præstitisse omnē operam, neq; vlli labori pepercisse. Platonem fortasse secutus, qui in 5. de rep. timorem, & Pudorem optimos dicit esse custodes rerumpub. & Protagoram, qui ciuitatum vincula, & ornamenta statuit Pudorem, & iustitiam, quòd alter virtutis amore coercet, altera formidine penæ deterret, & Menandrum, qui dixit,

πᾶς ἐρυθριῶν χρηστὸς εἶναί μοι δοκεῖ, idest,

Probus videtur erubescens quilibet.

Et Diogenem, qui erubescenti puero dixit, fili, hic est virtutis color, à quo non dissimile illud Pythiæ Aristotelis filiæ responsum, quæ interrogata de optimo colore, eum esse dixit, τὸν διὰ αἰδῶ τοῖς ἐλευθέροις ἐπιγιγνόμενον,

Qui ob verecundiam ingenuis oboritur.

An pudet sit virtus.

Sed contra ex industria Aristoteles lib. 4. Eth. c. 15. disputat, &

& virtutem minime esse ostendit, ita inchoans sermonem, περὶ δὲ αἰδοῦς ὥς τινος ἀρετῆς οὐ πρέπει λέγειν, idest, de pudore tanquam virtus sit aliqua, non opus est uerba facere. multisque probat argumentis non esse uirtutem. primum est ex ipsius natura, quia scilicet magis est πάθος, quam ἕξις, idest, affectus non habitus; omnis virtus est habitus, pudor neque est habitus, neque etiam dispositio, quę quodammodo habitus imperfectus, & inchoatus, uerum est merum πάθος, perturbatio, & affectus, ergo pudor non est virtus, neque de eo, ut de uirtute agendum, minorem rursus & assumptum probat duobus modis, primo ex toto per definitionem pudoris hoc pacto: omnis metus est, πάθος, sed pudor est φόβος ἀδοξίας, idest, timor infamiæ, ergo pudor est perturbatio. secundo ex his quæ referũtur ad ipsum totum, & sunt accidentia, nam corporis affectiones consequuntur perturbationes animi non habitus, pudoris accidentia sunt corporeę affectiones, quia per pudorem color corporis immutatur, suffunditur enim rubore, ergo accidentia pudoris, ut ẽt timoris, sunt notæ perturbationis animi potius quam virtutis, alterum est ex personis, in quibus inest, quæ considerantur, vel secundum corpus, vel secundum animum, secũdum corpus venit in considerationem ætas, & ita arguitur, virtus consentanea est, & congruit omni ætati: pudor non omni ætati, ergo pudor nõ est virtus, minorem probat, quia conuenit iuuenibus tantum, in quibus laudatur verecũdia, quia scilicet, πάθει, potius quam λόγῳ, idest, ratione viuunt, & contra senibus contraria ratione uitam ducentibus λόγῳ, scilicet, non πάθει, non conuenit. nemo enim unquã senem quod erubescat, laudauit, sed potius vituperatur, quia scilicet, ætas ingrauescens vltro voluptatum illis fructum adimit, ac interdicit, quare ab omni turpitudine alieni pudore non indigent, secundum animum vero ita arguitur: pudor est comes vitiorum non virtutis, ergo uitium potius quam uirtus. declaratur antecedens directè hoc pacto, si congrueret viro bono, αὐτοφυῶς, à virtute promaneret, sed non emanat, quia neque πρᾶξιν, neque προαίρεσιν comitatur boni viri, & cum virtute agentis, nam pudor sequitur malas, & inhonestas actiones, vel re uera κατ' ἀλήθειαν, vel κατὰ δόξαν, opinione, ita etiam turpem cogitationem, & vitiosum institu-

tum,

tũ, ſicut Sappho probauit Alcæo reſpondens, qui dicebat ſe quid illi velle dicere, ſed pudore cohiberi, ſi vir bonus eſſes, ea cogitares, quę proferre non puderet: ergo viro bono non congruit pudor; oblique uero refutandis contrarijs ſententijs & argumentis aduerſariorum; quæ duo. primum ab effectu, quia uel actiones turpes comitatur, uel cogitationes, ad utrumq; pudor bonus quia illas tacita conſcientia flagellat, his ſuperueniens, a turpibus frenat actionibus, reijcit vero, quia pudor ſequitur actiones hominum ſponte male agentium, vir bonus nunquam ſponte male agit, vel ſi per vim, vel ignorantiam deceptus admiſerit (vt in mixtis accidit actionibus) non pudere laudabilius, alterum à contrario affectu, qui eſt impudentia, quæ omnium confeſſione mala: ergo pudor bonus; negata refutat argumentum conſequẽtia, cauſam tamen non affert, tanquam notam ex antedictis prætermittens. Quæ ita conciliantur inter ſe, vt dicamus pudorem non eſſe quidem re vera virtutẽ, quia neque que habitus, ſed tantum affectus, quia tamen mediocritatẽ admittat, ipſo teſtante Ariſtotele in 4. ad Eudemũ, vbi agit de affectuum mediocritate, quos dicit eſſe quaſi ſatellites virtutum, & accenſos præeuntes, virtuti ſimilis videtur, & proinde virtus naturalis φυσικὴ ἀρετὴ non ἐπίκτητος, acquiſita dici poteſt, vt ex eodem Ariſtotele conſtat de omnibus affectuum mediocritatibus dici poſſe, & ob eam cauſam ipſe ẽt Ariſtoteles lib. 3. cap. 11. abſolute videtur appellaſſe virtutẽ ipſam pudorem his verbis: ὡμοίωται δ' αὕτη μάλιστα τῇ πρότερον εἰρημένῃ, ὅτι δι' ἀρετὴν γίνεται. διὰ αἰδῶ γὰρ καὶ διὰ καλοῦ ὄρεξιν, ideſt, ſimilis videtur hęc illi, quę primo loco dicta eſt, quia ob virtutem fit: propter pudorem enim, & propter honeſti appetitionem, quare non eſt Thucydidis Ariſtoteli aduerſaria doctrina; videtur enim ipſe etiam Thucydides non proprie uirtutem efficere pudorem, ſed potius virtutis adminiſtram, atque ſatellitem, cum dicat virtutem profitentes pudore illius comite deterritos, ne officium uirtutis, quod eſt humanitas, denegarent. Sed hac ſedata controuerſia alia & fortaſſe maior tanquam ex hydræ capite emanat. Videtur enim hic non eſſe pudor ille ingenuus uirtutis comes, atque ſatelles, ſed potius illa ab eruditiſſimo ſcriptore Plutarcho exagitata dyſopia, nempe pudor uitioſus, qui eſt eiuſmodi,

Qũo pudor ſit virtus.

ut redundet in damnum affecti,& arguit animi effœminatā imbecillitatem,quæ verecundiæ honesto uocabulo prętexit mollitiē suam, quę cum nullā postulationem possit, aut audeat reijcere, in grauissima se mala sępe dimittit, huius exēplum dicit esse mulieres,quæ pudore denegandi,pudicitiam amittunt, ut Creon, qui Medeæ vnū diem petenti perdidit domū suam præ pudore denegandi: sic multi, qui dū mortem, aut venenum sibi parari suspicātur, pudore inepto à salute retinenda deterrentur, ut Dio, qui non ignorans à Calipo sibi strui insidias,sed pudori ducens ab amico, & hospite sibi cauere, perijt,vt Antipater Cassandri filius,qui cū cœna excœpisset Demetrium,uocatus postridie ab eo,quòd puderet sibi habitam fidem illi non habere, interfectus est, vt Polysperchus Alexandri Magni è Barsina filius, præ pudore denegandi inuitanti ad cœnam Herculi,qui Cassandro centum acceptis talentis erat eum pollicitus interficere, ab accumbentibus strangulatus est. Nam his similes uideri possunt hi à Thucydide nominati, qui precibus ægrotantium inducti præ pudore denegandi ministerium,in apertissimū sese periculum dimittebant. Sed responderi facile potest illum pudorem non fuisse comitem uirtutis, neque administrum,sed potius fatuitatis,quia periculum subibant sine ulla uirtutis specie, hic humanitatis officium obibant,& præstabant pietatem,quam denegare nefarium, & ideo pudore impediebantur, ne scilicet desererent egenos, & auxilium implorantes, quod fuisset uitium, ut contra uirtus id,quod debitum erat, humanitati præstare, & ita non δυσωπία illa Plutarchi, sed uerus pudor appellandus, & legitimus veræ uirtutis comes, atque administer: & fręnum aduersus cupiditatū illecebras. Dixit enim Plato in Phœdro, & in Symposio,uitam nostram esse similem itineri, in quo dirigendo auriga sit ratio, affectus uero superiores, & inferiores sint duo equi,alter candidus,alter niger,diuinamq; prouidentiā, ut nos à turpibus reuocaret,& ad honesta quasi adhibito calcari excitaret,pudorem, ac magnanimitatem animis nostris ingenuisse, ut ratio tāquam auriga,more suo,pudore quasi fręno cupiditates nostras quasi equos indomitos, & efferatos cohiberet, ac à turpi uoluptatum uia abduceret, quāuis sua sponte rapidi ad illam, etiā incitati naturæ stimulo prouocantis

Qui sit pudor vitiosus, & dysōpia.

uocantis ferrentur procliues, contra magnanimitatis adhibitis quasi calcaribus, ac stimulis ad ardua quæque, dummodo honesta, & præclara impelleret: quid uero sit αἰσχύνη, & quibus maxime rebus, & causis soleant homines uerecundia affici, & pudore, declarat Aristoteles in 2. Rhet. ubi agit de omnibus affectibus, unde hæc repetenda.

ἐσιόντες, Ingredientes.] Hic Henricus Stephanus dicit propositionem πρὸς esse omissam à Librario, deinde addit, quãuis Scholiastes dicens, λείπει, intelligat suo more ita deesse, vt dicendum sit ab ipso Thucydide esse omissam, subaudiendum videlicet, illam relinquente. In quo miror unde illi ibi mentem venerit desiderare hic particulam πρὸς, cum sit omnino superuacanea, quamuis enim supra dixerit προσιόντων, hic tamen alio placuit modo enunciare ἐσιόντες, cum præsertim sequatur particula eiusdem naturę παρὰ, & arbitror hic in Henrici Scholijs esse Librarij erratum vere, quia etiam ea, quæ sequuntur, minime conueniunt, nam Scholiastes Græcus, quem citat, non dicit hoc in loco λείπει particulam πρὸς, sed in sequẽtis periodi membro, ὀλοφύρσεις, vt dicat πρὸς τὰς ὀλοφύρσεις, καὶ ἐξέκαμνον.

ἐπεὶ καὶ ὀλοφύρσεις, Quoniã & lamentationes.] Plures sunt αἰτιολογίαι in hac periodo conglobatæ prima est, qua declarauit, cur qui virtutis essent studiosi, potissimum pestilentia corriperentur, quia scilicet pudore denegandi amicis ministerium petentibus, nulli parcebant labori: succedit altera causa, cur scilicet tantam vim haberet ille pudor, vt ipsos in tantum demitteret discrimen, atque periculũ, quia scilicet familiares, & necessarij eos deserebãt, & ne simili se illi quoque scelere commacularent deserendi amicos, pudore afficiebantur, ne vt serui, ipsi quoque cum fortuna recederent ab amicis afflictis, ne vero tãtæ culpæ affines, & sceleris quoque videantur domestici: tertia adhuc affertur αἰτιολογία, quod scilicet magnitudine malorum iam defatigati, ac victi manus dabant, & semetipsos cum dominis deserebant, excusso ex animis cum metu ipso, & malo, officio omni, ac pietate, & esse locũ hunc amplificationis insignẽ notat Franciscus Portus, huncq; locum & ipse animaduertit paulò aliter esse cõuersum à Lucretio, imò inuersum: nam quod hic dicit initio, ille iacit in postremum. Ita enim ait:

Qui fuerant autem præsto contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaq; lassorum vox mixta voce querelæ,
Optimus hoc læti genus, ergo quisque subibat.

τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον, Domestici exhausti labore tandem negligebant.] Vis mira huius verbi τελευτάω, quę latino nullo verbo potest exprimi, vt neque etiā illud μέλλω: nam coniunctū cum alijs verbis significat tandem, augens verbi adiuncti significationem. Sic in primo, simili vsu pronuntiauit eisdem pene verbis, & sententia, de remedijs, quæ nihil conferebant, verba faciens, τελευτῶντες αὐτῶν ἀπέστησαν ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικώμενοι, idest, tandem illa adhibere destiterunt à malo victi. Illud autem verbum ἐξέκαμνον, est translatum, vt arbitror, à fabris, qui crebris ictibus ferrū tundentes, vbi defatigati iam sunt, dimittunt ferrum ictibus emollitū iam, & ab opere desistunt, ac sedent. Ita enim familiares iam lassi, iam defessi, crebris lamentationibus, & querelis ægrotantium, quibus iam satisfacere non poterant, non commouebantur amplius, & eos deserebant clamantes, & dolentes, tanquam sibi consulturi, & à malo iam illos occupante deuicti, ac profligati. Quod ita esse declarant subsequentia verba, cum dicat, quòd οἱ διαπεφευγότες, idest, ij, qui iam euaserant periculum, miserebantur, τόν τε θνήσκοντα, καὶ τὸν πονούμενον, idest, morientem, & laborantem: alterum enim refertur ad clamantem, & conquerentem de familiaribus dominum, alterum ad seruum deferentem, & sibi consulentem à malo magno iam superatum. Omnibus vero de caussis abiecisse misericordiam hos familiares ex Aristotele possumus colligere, nempe desperatione rerū, & salutis, & timore: is enim enumerans eos, qui vel mouentur misericordia, vel non mouentur. Inter eos, qui minime mouentur, recenset illos, quorū perditæ res, ac salus prope desperata, οὔτε οἱ παντελῶς ἀπολωλότες ἐλεοῦσιν, & paulò post μήτ' αὖ φοβούμενοι σφόδρα, idest, neque timentes valde, causamq; reddit οὐ γὰρ ἐλεοῦσιν οἱ ἐκπεπληγμένοι διὰ τὸ εἶναι πρὸς τῷ οἰκείῳ πάθει, idest, misericordia non mouentur, quoniam de propria salute cogitant, & sunt solliciti. Sic Diodorus Siculus dicit ægrotis assidentes victi in morbum incidebant, vt grauis laborantibus calamitas esset, cum nemo inseruire miseris vellet: neque

Qui non cõmouentur misericordia.

que enim prorſus alieni inter ſeſe deſtituebant, ſed frater fratrem, amicus familiarem, ob ſuimet ipſius formidinem negligere cogebantur, Græce ſic: οἱ τοῖς κάμνουσι παρεδρεύοντες ἐνέπιπτον, εἰς τὴν νόσον ἅπαντες· ὥστε δεινὴν εἶναι τὴν συμφορὰν τῶν ἀῤῥωστούντων μηδενὸς θέλοντος ὑπηρετεῖν τοῖς ἀτυχοῦσι, οὐ γὰρ μόνον οἱ μηδὲν προσήκοντες ἀλλήλους ἐγκατέλειπον, ἀλλ᾽ ἀδελφοὶ μὲν ἀδελφούς, φίλοι δὲ τοὺς συνήθους ἠναγκάζοντο προΐεσθαι διὰ τὸν ὑπὲρ αὐτῶν φόβον.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Ἐπιπλέον δὲ ὅμως οἱ διαπεφευγότες τόν τε θνήσκοντα, καὶ τὸν πονούμενον ᾠκτίζοντο, διὰ τὸ προειδέναι τε, καὶ αὐτοὶ ἤδη ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι, δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε, καὶ ἐμακαρίζοντό τε ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ αὐτοὶ τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ, καὶ ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον ἐλπίδος τι εἶχον κούφης μὴδ' ἂν ὑπὸ ἄλλου νοσήματος ποτὲ ἔτι διαφθαρῆναι.

THVCYDIDES.

Magis illi qui euaserant, & morientem, & laborantem miserebantur, tum quia malum ante experti cognoscerent, tum quod ipsi iam in tuto essent: bis enim eundem hominem morbus non ita corripiebat, vt interficeret. Et beati ab alijs dicebantur, & ipsi subito gaudio elati etiam in sequens tempus spem quandam leuem habebant, se neque ab vllo alio morbo amplius interfectum iri.

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

TRIA personarum genera,& hominum notauit Thucydides, qui ægrotantibus ministrarent. Primum familiares,ac domesticos,qui rursus vi morbi deuicti,& defatigati satietate lamentationes, & querelas morientium audiendi,illis desertis,sibi consulebāt. Secundum amicorū virtutis officia colentium, qui pudore, & verecundia commoti desertos non patiebantur in summa rerum difficultate, amicos, sed suis ministerijs, atque officijs adiuuabant, propria etiam neglecta salute. Tertium eorū; qui neque familiares,ac necessarij,neque amici erant,sed similitudo fortunæ,& morbi conciliarat,eos scilicet, qui iam à periculo euaserant, & securi degebant; duasq; affert caussas,quibus isti magis,quàm cæteri cōmouerentur, & opem ferrent, quamuis apertis hoc postremum verbis non dicat, sed res ipsa per se loquitur: inanis enim fuisset illa misericordia,quę nullam tulisset opem factis. Prima est cognitio morbi ante experti,altera securitas,q̄ iam in tuto essent; nam periculum proprium,& discrimen,in quod inciderant domestici,eos sibi cogebat consulere,ac morientes deserere; non cognitum vero malum amicos reddere poterat minus sollicitos, cum non arbitrarentur tantis vrgeri incommodis, ac malis, quæ clamarent ægroti: facile enim cum valemus, consilia ægrotis damus,neque creditur damnum ab his,qui nunquam illud experti sunt.

οἱ διαπεφευγότες, Qui euaserant.] Aristoteles 2. Rhet. vbi recen-

recenset eos, qui solent misericordia cõmoueri, enumerat τοὺς πεπονθότας ἤδη, καὶ διαπεφευγότας, idest, qui antea idem sint passi malum, & euaserint.

τὸν θνήσκοντα, Morientem.] Scholiastes Græcus interpretatur τὸν θάνατον, idest, mortem, vt sequens verbum τὸν πονούμενον, idest, laborantem, τὴν ἀσθένειαν, idest, imbecillitatem, seu etiam morbum: significat enim vtrumque verbum ἀσθένεια. Et per imbecillitatem voluit fortasse Interpres innuere veram eorum esse sententiã, qui putant in pestilẽtia statim, ac primo ipso aggressu, ac inuasione vires corporis, & vitale robur τὸν ζωτικὸν τόνον frangi, ac debilitari: de qua re supra crebra facta est mentio. Referuntur porro hæc verba alterũ ad desertos dominos morientes, alterum ad familiares, ac domesticos deserentes, ob vim inuadentis seipsos quoque morbi. Henricus Stephanus hoc loco ita notat. Ne suspicemur eum scripsisse non τὸν πονούμενον, sed τὸ πονούμενον, vtpote exponentem τὴν ἀσθένειαν, vetat expositio verborum præcedentium, cum his verbis τόν τε θνήσκοντα, eodem modo significari τὸν θάνατον velit.

πονούμενον, Laborantem.] Verbum medicũ, quo frequentissime vtitur Hippocrates pro ægrotare, & πόνος pro ipso dolore, & cruciatu morbi ponitur, quo vsus etiam supra Thucydides κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος, idest, descendit in pectus malum. Vbi nos multa attulimus, quæ non sunt frustra repetenda, & ex Galeno etiam significare ostendimus τὴν κακοπάθειαν, ἣ κακοπαθοῦσιν οἱ κάμνοντες ἐν ταῖς ὀξέαις νόσοις, idest, cruciatum, quo conflictantur ægroti in morbis acutis.

ᾠκτίζοντο. Miserabatur.] Aristot. 2. Rhet. definit misericordiã λύπην ἐπὶ τῷ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ, καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, idest, molestiam perceptam ex opinione mali interitum, vel dolorem afferẽtis indigno illa fortuna, quod quidem malum sibi suisque impendeat, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειε παθεῖν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινα, quam Cicero 4. Tusc. ita adumbrauit, misericordia est egritudo ex miseria alterius iniuria laborãtis, quam adhuc strictius ponebant Stoici definientes (vt ponit Laertius in Zenone) λύπην ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι, molestiam, tamquã pro iniuria laborante, ex qua definitione facile deprehẽdi potest causam fuisse in his, vt misericordia eorum homines commouerentur, nam oĩa aderãt, quæ

Qui excitent misericordiã.

solent

ſolent eſſe ἐλεεινὰ, τὰ ὀδυνηρὰ, φθαρτικὰ, ἀναιρετικὰ, θάνατοι, σωμάτων κακώσεις, νόσοι, ἀσθένειαι, ἀναπηρίαι, quæ dolorē inferunt, quæ interitum, quę pernitiem, mortes, corporum cruciatus, morbi, ægritudines, membrorum priuationes, quæ omnia enumerantur ab Ariſtotele eodem loco. aderant præterea omnes vel plures conditiones, quæ ſolent in perſonis eſſe miſericordiā excitaturis, erāt enim γνώριμοι, i. cogniti, ὅμοιοι, ſimiles, idque multis modis, quidam ætate, quidā moribus, quidam habitibus, vt doctrina, virtutibus, quidam dignitatibus, quidam genere. Conciliabat præterea eiuſdem periculi imago, atque diſcriminis: nam (vt 1. Rhet. inquit Ariſtoteles) τὰ κακὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους, mala cōciliant homines, quod repetiuit in 5. de repub. his verbis συνάγει, καὶ τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς φόβος, conciliat etiam inimiciſſimos communis timor.

διὰ τὸ προειδέναι τε, Quia malum ante experti cognoſcebant.] Eiuſdem fortunæ ſimilitudo, & eiuſdem mali communio quāuis præteriti ſolet homines conciliare, & miſericordiam excitare. Sic apud Vergilium Dido,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Fortunę ſimilitudo conciliat animos.

Vbi etiam poſitum verbum pro ſuo relatiuo verbo, nempe ſcio; nam teſte Seruio, repetenda eſt negatio, iterum, ut dicat, non diſco iam, ſed ſcio: quia ſcilicet non ignaram mali.

Me quoque per multos ſimilis fortuna labores,
Iactatam hac demum voluit conſiſtere terra.

Et alibi Troiani multa paſſi dicunt,

His lachrymis vitam damus, & miſeri ſcimus vltro.

Sic etiam apud Sophoclem in Oedipo Coloneo Theſeus pollicetur Oedipodi ſe illum recepturū libenter expulſum domo, & peregrinantem, multiſq; incommodis affectum, quòd didicerit vſu, & experientia id præſtare officium, cum ipſe quoque grauia mala perpeſſus ſit in alieno ſolo, & regione. Ita enim ait:

ὡς οἶδ᾽ ἔγ᾽ αὐτὸς, ὡς ἐπαιδεύθην ξένος,
ὥσπερ σὺ χ᾽ ὥς τις πλεῖστ᾽ ἀνὴρ ἐπὶ ξένης
ἤθλησα κινδυνεύματ᾽ ἐν τῷ μῷ κάρᾳ,
ὥστε ξένον γὰρ οὐδέν᾽ ὄνθ᾽, ὥσπερ σὺ νῦν
ὑπεκτραποίμην μὴ οὐ συνεκσώζειν σε. idest,

Edoctus ipſe noui, & hoſpes qualis es

Tu

Tu Oedipe pericula iam peregrino in solo
Numero carentia in meum subij caput,
Quare hospitem nullum è domo eiectum sua,
Qui es ipse nunc, seruare non inducerer.

Aristoteles in 2. Rhet. vbi agit de aff. misericordiæ, τῦ ἐλέους, dicit eos esse ad misericordiam procliues, ὅταν οὕτως ἔχῃ ἀναμνησθῆναι τοιαῦτα συμβεβηκότα ἢ αὐτῷ, ἢ τῶν αὐτοῦ, idest, cum ita se habet, ut recordetur sibi, aut suis eiusmodi mala contigisse.

ἐν τῷ θαρσαλέῳ εἶναι. In tuto essent.] Omnes cum valemus facile consilia ægrotis damus dicit Terētius, perfuncti enim periculo, vel ab illo longe remoti delectantur sua securitate, & miserantur eos, qui exagitantur adhuc: quorum alterum attigit Lucretius lib. 2.

Suaue mari magno vexantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare periclum,
Non quia vexari quemquam sit iucunda voluptas,
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.

Quibus in verbis nō videtur denegare posse coniungi misericordiā, cum voluptate sui, & securitate, quia illi qui sunt in periculo proprio excutiunt metu, & solicitudine propriæ salutis aliorum misericordiam, vt ante dicebamus de domesticis dominos deserentibus.

Δὶς γὰρ τὸν αὐτόν. Bis enim eundem.] Locus hic Thucydidis magnas excitauit turbas inter medicos, magnasque controuersias, quæ vtrinque suos habent propugnatores, & aduersarios. tres vero potissimum feruntur, prima an pestilentia bis eundem inuadat, & maiori an minore cum periculo. secunda an faciat ἀναστροφήν, idest, recidiuam, tertia an assuescere quis possit pestilentijs, ita vt semel atque iterum morbo liberatus assuetudine patiendi minus lædatur: quod attinet ad primum multi sunt, qui secus iudicēt, ac asserit Thucydides. Marsilius Ficinus in antidoto epidem. capit. 24. ita refutat. Nec putet qui semel ab hoc morbo liberatus est, se deinceps non posse hoc in casu perire, quia præsenti anno ter vnum ex Florentinis nostris hic morbus inuasit, qui secundo perfecte liberatus, tertio mortem euadere non potuit. Eodem iterum anno in mēse Septembri liberaui quādam mulierculam à peste, sana equidem erat, vt cæteri, qui

An pestilentia bis eundem corripiat

sæpe

sæpe sospites extiterant, vt cum inter morbosos versaretur post diem decimũ octauũ iterũ infecta periit. M. Antonius Montisianus Medicus Florentinus subscribit Marsili testimonio, & ait quæstione 22. aliud tamen agens, & obiter. vidimus in pestilentia, quæ per Florentiam anno 1527. grassabatur, in qua ad septuaginta fere millia corporum absumpta sunt, nonnullos bis, terue ab illa inuadi, & tãdem mori, alij etiam alias complures huiusmodi recitant historias, Laurentius vero Ioubertus tantum abest, vt sententiã hãc probet, vt etiam asseueret, eos qui semel à pestilentia fuerint correpti fieri ad illam suscipiendam denuo promptiores: contrariam sententiam cum Thucydide multi tenent. Massarias eam tuetur, qui primo libro rationem reddens cur Vespillones inter peste correptos sine periculo versentur, ita disputat. Huius rei causæ cum aliæ ab alijs afferãtur, certiorem illam, & veriorem cæteris esse nos existimamus, quòd ij plerique antea pestilentia laborauerint, si quidem communi fere omnium consensione, longioreque experiẽtia iamdiu confirmatum esse videtur, vt nemo bis pestilenti morbo afficiatur, quod priuatim annotauit Thucydides, qui hoc imprimis nomine quicumque euaserant, beatos ab alijs æstimatos fuisse tradit, ac si illi nulli amplius mortis periculo essent obnoxij, quod quidem priuilegium quamquã maiori ex parte verum, neque prorsus à ratione alienum esse nos arbitramur, illud tamen quod apud nos res ipsa monstrauit, haud perpetuo verũ esse, & quandoque fallere censendum est, in quibus postremis verbis solutionem, etiam attulit controuersiæ. Diomedes Amicus cap. 20. citat Thucydidis hunc locum, & probat sententiam, & causam etiam affert; tandem. n. ait, verior fortasse est Thucydidis obseruatio, quia iam qui pestem euaserant, pura habebant corpora, & virtutes fortes, alioqui minime tantum motum vicissent. Ioannes Heurnius in libello de peste huius facti eam dicit esse causam, quòd is humor, qui facile pestem concipit, totus fuerit in illo morbo euacuatus, alij quoq; multi in vtramq; partem sunt auctores sententiarum, sed breuitatis studio prætereo, hoc vnum afferens pro solutione controuersiæ, quòd scilicet neutrum perpetuo verum, sed ut plurimũ obseruationem Thucydidis veram esse, si legitime fuerint sa-

Qqq nati,

nati, & deinceps sibi consulant, ac prospiciant in ratione victus, ne rursus paratum ad ignem pestilentiæ corpus reddāt, vel plenitudine, ac copia humorum, vel cacochymia, neque impedimento est, quod in vno aut altero euenisse obseruarit Ficinus, aut quiuis alius; nam cum ars medica sit coniecturalis, non ideo illius dogmata euertuntur, si in vno, aut altero, aut etiam pluribus non respondeant, dum maiori ex parte vera sint. Altera cōtrouersia examinatᷓ à Philippo Ingrassia parte 4. tract. de pestilentia cap. 25. vbi narratur quosdam, qui bubonem pestilentem experti iam erant, eo denuo tentatos; & concludit Ingrassias eos, qui bubone iterum recrudescente recidiuam patiebantur, non integre fuisse sanatos, neque vero conualescentes dici potuisse, quia scilicet, hic morbus recidiuam non faciat recte curatus, nō negat tamē eundem locum morbi ueneno debilitatum, posse rursum collecta materia etiam post annum sexagesimum corripi bubone, eum tamen non fore pestilentem, aut contagiosum, & ex hoc Thucydidis loco, & auctoritate concludit perfectè sanatos, & qui integram recuperarint ualetudinem ex morbi sæuitiè uendicatam, melius esse affectos quā antea, & minus obnoxios ipsi pestilentiæ duabus de causis primo, quòd morbi naturæ iam assueuerint, nam ab assuetis uulgo etiam iactatur, non fieri damnum; secundo quòd fomes ille, & quasi esca humorum ad suscipiendam pestem idoneus, ac paratus desit, utpote consumptus iam plane, & euacuatus: idemque non negat fieri posse, imò multis euenisse ostendit in illa peste, ut post integram sanationem, denuo inficerentur, & tandem etiam neglecta ipsorum ab ipsis salute, non euitandis occasionibus contagij interijsse, & hoc in singulis est intelligendum, nam generatim dari in pestilentijs quandam quasi recidiuam, & ἀναςροφὴν, in prima parte est demonstratum uel ex ipsius Thucydidis in hac ipsa pestilentia testimonio, licet possimus etiam de illa dicere non esse ueram recidiuam, quia scilicet, nō integre desierit atque cessarit, sed solum latuerit ad tempus, mox collectis uiribus se denuo prodiderit maiori cum damno. tertia demum proponitur à Fracastorio lib. j. de morbis contagiosis, de qua se uerba facturum postea pollicetur, sed non præstitit, quod ego sciam: ait. n. c. 12. in fine, Quosdam porrò uidimus,

An pestis faciat recidiuam.

mus, qui in medijs pestilentiis uersantes securi esse consueuere, de quibus quædam suo loco dicemus, & utrum consuescere pestilentijs possimus: de qua quæstione facit etiam uerba Massarias, lib. 1. ubi quærit, unde nam plerique, imprimis uero Vespillones, chirurgi, & alii infelici huiusmodi seruitio destinati ministri, dies, noctesque in media pestilentia uersantes à tanto periculo illæsi conseruentur, quòd enim fiat reconditorum medicamentorum ui, quę secreta appellant, ridet hoc, & dicit ex quorundā opinione id esse assuetudini tribuendum, ait enim. Alij magis prudenter, & subtiliter in longiorem usum, & familiaritatem hoc referre consueuerunt, quasi uero huiusmodi homines huic pestifero commercio diutissime assueti, quendam ueluti habitū contrahant, unde sine ullo timore uitam hilariter uiuant, & periculum omne despiciant, quando nemo est qui longioris consuetudinis uim non facile intelligat, & illam ueluti alteram naturam esse nesciat, quod etiam uidetur Ingrassias probare, qui, ut dictum est, in consuetudinem refert, quòd bis non afficiantur contagione, sic in aliis morbis contagiosis, ut gallico tradunt, scribunt enim nonnulli illos minus infici, qui quotidie inter scorta infecta uersantur, & rei venereę perpetuam operam nauant, cōtrahunt enim assuetudine quasi quendam habitum, quo minus lædantur. Hæc quęstio similis uidetur illi, quæ in cōtrouersiam reuocatur, & disputationem, an aliquis assuescere possit ueneno, ut nutriatur: nam quidam fieri posse arbitrantur exemplo usi illius puellæ, de qua Auicennas, quæ ab infantia nutrita uenenis, uenenum etiam aliis osculo, saliua, & coitu indebat, & anus Galenicę, quę cicutæ, uel napello, ut quidam dicunt assueta, illo nutriebatur, & aliis quibusdam similibus exemplis, contra docti quidam uiri omnino negant, de qua quæstione multis, et non indocte lib. 3. Antonius Portus. cap. 14. 15. & 16. ut uero soluatur à nobis hic nodus, dicimus, quòd quemadmodum docti probant, ueneno non posse nutriri quempiam, quamuis sit magna uis consuetudinis, ut scilicet, interdum efficiat ne noceat, & facilius illius incommoda superentur, sic nos assuescere pestilentiis homines non posse arbitramur, minus tamē lædi posse à causis sentimus, quare in aere pestilenti qui assueti sunt, minus incommodi

An consuescere pestilentijs, qs possit.

An aliqs nutriri possit veneno.

patiuntur, & non tam cito inficiuntur, ut hi, qui cum illo nullam habuerint congruitatem, quod uero isti non lædantur in pestilentia, id acceptum referendum puto corporum temperamento, quod sit dissimile inquinamentorum pestilentium seminariis, sic narratur in quibusdam pestilẽtiis, ut his, quas recitat Euagrius, & Nicephorus Callistus, quosdam dedita opera cũ infectis uersantes, ut inficerentur, non potuisse, quãuis cum peste laborantibus degerent, contrectarent, atque etiam concumberent, alios uero in eadem pestilentia, uel solo aspectu ægrotantium correptos, uel etiã timore, & imaginatione, sic legimus extitisse pestes, quæ minus læderẽt senes, quam reliquas ætates, quasdam in quibus solum viri, nullæ fœminæ, quasdam contra, in quibus tantum virgines, & grauidæ periclitarentur, cæteri non itẽ, quasdam etiam, quæ solum aliquam nationem, vt de ea ferunt, quæ Basileæ grassata olim est, quæ tantum Heluetios inficiebat, Italorum, & Gallorum neminem, vt de illa etiã, quæ tãtum gentes, & paganos vexabat intactis christianis, de qua Euseb. hist. eccl. 9. c. 8. quasdam magis diuites, quasdam magis populos, & plebem. Alexander Traianus lib. 2. de m. gal. capit. 18. testatur in Indijs occiduis pestis genus esse, quæ Indos tantum inficiat, atque interimat, nostrates vero; & si cum eisdem passim versentur, nihil offendere, sic quasdã tm̃ bruta vexare legimus, & inter hæc quasdã tantũ boues, vel porcos, vel alias species, quasdam etiam solas arbores, & quasdam rursus omnibus communes, & hominibus, & brutis, & ipsis etiam piscibus, de quibus tamẽ magna cõtrouersia, vtrũm afficiantur pestilentia, cum neget Aristoteles 8. de historia animalium c. 19. & vtrum omnes pisces, nam licet de lacustribus, & palustribus constet, quidam tamen sunt qui putent in mari alto degẽtes, & in fluminibus petrosis ab omni esse pestilentia immunes, huiusmodi vero fuisse pestem hanc Thucydidiam nempe omnibus communem animantibus colligi potest ex verbis Thucydidis asseuerantis supra, quadrupedes, & alites quascumque, quæ attigissent & gustassent insepulta corpora pestilentia interijsse.

Pestes q̃ magis vnum genus quam aliud corripuere.

ὥστε καὶ κτείνειν. Ita vt interficeret.] Non negat Thucydides posse iterum semel liberatum pestilenti morbo rursus in illud incidere, sed non tantam vim afferit habuisse, vt interfi-

terficeret, secundo loco, quod de eadem pestilentia debet intelligi: nam in alia nihil vetat, id vero euenire dicendum, quòd non integre sit expurgatus, & resolutus fomes materiæ in venis delitescentis aptæ ad concipiendam pestilentiæ flammam, & ignem, quia (vt dicebat Hippoc. in aphoris.) τὰ καταλιπόμενα ἐν ταῖς νούσοισιν ὑποςροφώδεα, quæ reliquuntur in morbis reuersiones facere consueuerunt, neque tamen recidiua dici potest aut debet, sed nouus morbus, noua pestilentia iudicanda, veluti cum quis morbillis, & variolis (qui morbus pestilens ab Arabibus ēt dicitur, & à recentioribus coniungitur cum pestilentia; Razesq; inscripsit de his librum περὶ λοιμικῆς, idest, de morbo pestilenti) secundo capitur, aut tertio, quod interdum euenire tradunt medici, quoties prima vice non bene fuerint repurgata corpora à terrea illa fæce sanguinis in vtero matris cōtracta, id enim accidit sanguini, quod vino, quod vbi ferbuit & iam perspicuum factum est, perturbari iterum potest, nisi fuerit primo rectè expurgatum, perfecta vero emendatio non fit aut naturæ imbecillitate, aut materiæ vitio, & contumacia, aut pororum angustia, aut causæ excitantis leuitate, in his enim non dicitur recidiua, sed nouus morbus, & ut in his imminuta primo aggressu materia minus periclitantur secundo loco, ita etiam in pestilentia, quamuis iterum inficerentur, id erat absque periculo interitus, quia facili negotio recuperabāt valetudinem, cum causa morbi leuis esset, & in summis tantum putrefactio, non interna conclusa, & sordida, de qua dictum est supra.

ἐμακαρίζοντο. Beati dicebantur.] Non absolute, quia vt Ouidius præclare.

——————Dicique beatus.
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet,

Qua sententia præclarus Poeta Sophocles Oedipum Tragœdiam aliarum reginam conclusit dicens.

——— Μηδὲν ὀλβίζειν πρὶν ἄν,
Τέρμα τοῦ βίου περάσῃ, μηδὲν ἀλγεινὸν παθών. idest,
——— *Neminem beatum dixeris,*
Vitæ ante finem vllo sine exactum malo.

Sed præ comparatione sui, nam minus malum loco boni accipitur, & qui in extremo discrimine versantur felices eos

præ-

In peste beati esse dicuntur mortui.

prædicant, qui sunt vacui ab eo periculo, in quo ipsi sunt, & non in eadem naui, quamuis etiam mortui: sic dicit Zosimus in Galieno cum pestis Barbaros inuasisset minores visas populis longe calamitates sibi illatas, & beatos se prædicabant atque etiam ciuitates captas, quamuis viduatas ciuibus. λοιμὸς ἐπιβρίσας ταῖς πόλεσιν οἷος οὔπω πρότερον ἐν παντὶ χρόνῳ συνέβη τὰς μὲν ἀπὸ τῶν βαρβάρων συμφορὰς μετριωτέρας ἀπέφηνε, τοῖς δὲ τῇ νόσῳ κατειλημμένοις εὐδαιμονίζειν ἑαυτοὺς ἐδίδου, καὶ ἑαλωκυίας ἤδη πόλεις ἀνδρῶν παντάπασιν γενομένας. sic Diodorus Sic. libro 14. de peste Carthaginiensium. ὥσθ᾽ ὑπὸ πάντων μακαρίζεσθαι τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ τετελευτηκότας, idest, vt ab omnibus beati prędicarētur, qui in bello occubuissent. sic apud Vergilium prædicantur beati iam extincti dum in mari iactatur procellis Aeneas.

———— O terque quaterque beati.
Quis ante ora Patrum Troiæ sub męnibus altis,
Contigit oppetere. ————

sic in tertio de Polyxena.

O felix ante alias Priameia Virgo,
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis,
Iussa mori. ————

& in decimo Aeneadis Euander.

———— Tuque ò sanctissima coniux,
Felix morte tua, neque in hunc seruata dolorem.

Sic apud Homerum Vlisses in 5. Odyss. vnde Vergilius illam accepit Aeneæ.

Τρὶς μάκαρες δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ᾽ ὄλοντο,
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες, idest,
Ter Danai atque quater felices, mœnibus altis,
Sub Troiæ qui animam magnis effudistis atridis,

Et Diod. Siculus bibliothecæ lib. 14. quinque aut sex ad summum diebus grauibus affecti tormētis interibant, vt ab omnibus beati dicerentur, qui in bello mortem oppetijssent: fuit vero hæc opinio Metrodori, & Epicuri, qui ponebant (teste Plutarcho in libello, quod nō est iucūda uita sec. Epi.) οὐσίαν τ᾽ ἀγαθοῦ, καὶ ἀκρότητα τὴν τοῦ κακοῦ φυγὴν, substantiam boni, & summum gradum, mali fugam, idemque Epicurus eodem teste dicebat, ποιοῦν ἀνυπέρβλητον γηθος τὸ πεφυγμένον μέγα κακὸν, idest, gignere incomparabile gaudium, magnum

gnum euitatum malum. Plato vero refutans horum opinionem concedebat esse iucundas malorum, & molestiarũ vacuitates, sed tamẽ non esse verum, & summum bonum, sed quandam quasi σκιογραφίαν adumbrationem, eos uero ignoratione, τὸ μέσον ἄκρον ἡγεῖσθαι καὶ πέρας, idest, medium summum existimare, & extremum.

Τῷ παραχρῆμα περιχαρεῖ. Subito gaudio elati.] τὸ περιχαρὲς pro περιχάρεια, insperatus euentus spe replet animos, & ἄγει θυμὸν εἰς ὑπερβολάς, & animum deducit ad excessus, vt hoc loco ad quodammodo immortalitatis spem. Euripides dixit insperata gratiosa.

ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς,
φανεῖσα μᾶλλον ἢ τὸ προσδοκώμενον.
Quæ præter euenere spem mage grata sunt,
Mortalibus, quam quod sciebant fore.

Græcus Scholiastes interpretatur τῷ ἐνεσῶτι περιχαρεῖ, insurgente, insperato, & inopinato gaudio. Henricus in marginali annotatione dicit videri deesse præpositionem πρὸς, aut relictam, esse subaudiendam, ante τῷ παραχρῆμα, hoc sensu, tunc uero ipsi præter gaudium, quod in præsens percipiebant etiam leuem quandam spem in posterum habebant, se nec ab ullo alio mortis &c. & in annotationibus mox etiã asserit veram hanc fore lectionem.

ἐλπίδος τι ἔχον, Spem quandam habebant.] Quatuor in spe inesse solent, bonum quod speratur, difficile, & arduum, quia alioqui non esset bonum, iuxta illud Platonis τὰ καλὰ χαλεπά, idest, pulchra, & bona difficilia, quòd sit futurum: nam de præteritis non est spes, quemadmodum neque consultatio: & quòd sit possibilis, ex his, quæ fieri possunt: nam ἀδύνατα, idest, quæ fieri nequeunt, stulti est sperare: nam (vt dicit ille Philosophus) τοῖς σκέλεσι, καὶ ταῖς ἐλπίσι τὰ δυνατὰ δεῖ διαβαίνειν, idest, & cruribus, & spe incedendũ, quantum res ipsa patitur, licet etiam spes multa fingat; quare Plato dicebat spes esse somnia vigilantium, quod nonnulli Pindaro, quidam Menandro ascribunt: quò respiciens Vergilius de Amantibus dixit:

An qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Quatuor insunt in spe.

Et ideò cum hoc penè ex his esset, quæ fieri nõ possunt, quia nunquam accidebat, vt quis à nullo morbo conficeretur, & fieret

fieret quodammodo immortalis: ideo quamuis penè immortalitatem sibi viderentur adepti, euitata peste, leuis tamẽ erat spes, si modo erat, quia erat ἀδύνατον: & est mira amplificandi ratio, cum in his quoque spes emergeret, quę sperari nequaquam ratione possent, respondetq; hęc spes superiori desperationi ex aduerso.

κούφης, Leuis.] Epithetum nouum spei. Sic Horatius epistola 5. ad Torquatum:

Mitte leues spes, & certamina diuitiarum.

Vbi arbitror ab Horatio dictum, quasi Philosopho ridente, & carpente hominum stultitiam, & leuitatem, qui prætermisso bono, spe aluntur futurorũ, Menandri fortasse recordatus, qui leues dixit homines nutriri spe.

Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι τοὺς κενοὺς βροτῶν. idest,

Spes nutriunt mortalium leuissimos.

Scholiastes Græcus nouam affert interpretationem, τῆς κουφιζούσης αὐτοὺς ἀπὸ τῆς λύπης, idest, leuantis ipsos à molestia, vt sit nomen verbale pro participio: præclara equidem sententia, nam sola spes malis hominũ medetur: quare elegantissime Tibullus de illa ait:

Iam mala finissem læto, sed credula vitam,

Spes fouet, & melius cras fore semper ait, &c. Quam sententiam ex Theocrito expressit, qui ita ad fiduciam exhortatur.

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον. idest,

Fidendum bone Batte, feret melius lux crastina forsan.

Et Hesiodus fingit solam spem in vase Pandoræ relictã mortalibus ad solatium. Ouidius de Ponto etiam lib. 1. Eleg. 6. eleganter persequitur spei effectum hunc.

Hæc Dea cum fugerent sceleratas numina terras

In dijs inuisa sola remansit humo.

Hæc facit vt viuat fossor quoque compede vinctus,

Liberaq; à ferro crura futura putet. Et quæ sequuntur plurima. Menander præclare in hanc sententiam:

ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζεθ' ὑπὸ τῆς ἐλπίδος. idest,

Spes misero in aduersis salus vna est viro.

Est porrò ita interpretatũ, Poeticum epithetum ab effectu: dicunt enim mortem pallidam ab effectu, quòd pallidos efficiat. Neque nouum debet in Thucydide videri, cum constet de industria Poeticam in verborum delectu licentiam, & grauitatem adamasse.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον πρὸς τῷ ὑπάρχοντι πόνῳ
καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ, καὶ οὐχ ἧσσον
τοὺς ἐπελθόντας, οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύ-
βαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτωμένων, ὁ φθόρος ἐγίγνε-
το οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλά, καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσ-
κοντες ἔκειντο, καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ περὶ
τὰς κρήνας ἁπάσας ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ,
τά τε ἱερὰ οἷς ἐσκήνηντο νεκρῶν πλέα ἦν, αὐτοῦ ἐναπο-
θνησκόντων:~

THVCYDIDES.

AFflixit vero ipſos magis præter præſentem la-
borem, etiam comportatio ex agris in oppi-
dum, & non minus ipſos aduenientes: Cum enim
non ſuppeterent ædes, ſed in tugurijs æſtuoſis tem-
pore anni æſtiuo habitantibus, ſtrages fiebat nullo
ornatu aut ordine, ſed mortui illi ſuper alios mo-
rientes iacebant, & in vijs volutabantur, & circa
fontes omnes ſemimortui aquæ deſiderio, & tem-
pla ipſa, in quibus tabernacula conſtruxerant, mor
tuis erant corporibus referta, qui ibidē moriebātur.

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

PROPRIAM mali,& pestilētis morbi Vrbē suapte natura vexantis, & vastantis vim hactenus expressit, atque ita amplificauit ex adiunctis, vt iam videretur esse cumulatum,& nihil addi ad miseriam posse,aut ad augendam calamitatem. Hæc enim fuere capita amplificationis in vniuersū post enumerata symptomata. Primum,à morbo,quòd nullus alius eo tempore sæuiebat morbus,& si quis esset in hunc conuerteretur. Secundum,à personis affectis,quòd & neglecti pariter,& curati diligenter interibant, cum nemini parceretur. Tertium,à medicamentorum erepto præsidio, quia nullum proderat. Quartum,à corporis virtutibus nihil iuuantibus. Quintū, ab animi consternatione,& desperatione. Sextum,à contagio,quo corripiebantur sibi mutuo ministrantes. Septimum; à timore, quo factum,vt soli,metu deterriti cum alijs versandi, morerentur,& deserti. Octauum, à vacuitate multarum familiarum. Nonum,à virtute præditorum hominum verecundia, præ qua,ne desererent officium,interibant. Decimum, à familiarium,domesticorumq; contemptu in dominorum salute spernenda, & sua ipsorum procuranda. Vndecimum, ab inuidia elapsorum iam, quos beatos prædicabant ægroti: & quamuis illorum misericordia mouerentur maxime; suam tamē magis ægri calamitatem prę illorū fęlicitate deplorabant: nunc, cum nulla amplius accessio fieri posse videretur

Amplificationis pestilētiæ capita.

deretur tantis malis, rursus externis causis dicit amplificatã, & auctam pestilentiã, à concursu scilicet eorum, qui ex agris omnia in oppidum comportabant, propter terrores populationis iniectos ob incursiones à Peloponnensibus factas in Atticam: quod mira eloquentia mox explicat, & exaggerat ab inopia ædium, à locorum angustia, ab anni tempore, ab ordine perturbato, à mortuorum copia, à moriendi ritu, à sæuitia symptomatis siticulosi adigentis ad omnia sectanda, à templorum indebite, & sine pietate vsurpato cultu, & ab alijs, quæ sequuntur.

ἡ ξυγκομιδὴ, Comportatio.] Liuius lib. 3. locũ hunc adumbrauit, & additis etiam versicoloribus pigmentis explicauit vberius. Creati Coss. L. Aebutius, P. Seruilius Kal. Sext. vt tunc principium anni agebatur, Consulatum ineunt. Graue tempus, & forte annus pestilens erat, Vrbi, agrisque, nec hominibus magis quàm pecori, & auxere vim morbi terrores populationis, pecoribus, agrestibusq; in Vrbem receptis. Ea Colluuio mixtorũ omnis generis animantium, & odore insolito vrbanos, & agrestem confertum in arcta tecta æstu, ac vigilijs angebat, ministeriaq; inuicem, ac contagio ipsa vulgabat morbos. Diodorus Siculus Biblioth. lib. 12. Cæterum Atheniensibus in aciem descendere, manusq; cũ hoste conferre haud fuit animus, verũ intra mœnia se continentes computrescente veluti per situm, & immobilitatẽ corporum temperamento, auraq; spirabili infecta in pestilentem morbum incidere. Nam recepta in Vrbem fugientium vndique per trepidationem omnis generis multitudine, cum propter angustiam loci per habitacula incommode, ac passim sine vllo ordine promiscue constipati essent, varij varijs vitæ modis haud sine causa incidebant in morbos, quippe conuolutum ex colluuie, & corruptũ, tetrumq; olentem spiritum trahentes, concreto iam exęstuanti circũundique per quandam præfocationem æthere intra pręcordia acceptum virus concipiebant. Hæc ex Latino interprete, quæ non omnia in Græco contextu Diodori, sed multa suppleuit ipse ex Thucydide in his postremis. Audite Gręcũ Diodori contextũ: οἱ δὲ ἀθηναῖοι παρατάξασθαι μὲν οὐκ ἐτόλμων συνεχόμενοι δὲ ἐντὸς τῶν τειχῶν ἐνέπεσον εἰς τὴν λοιμικὴν περίστασιν. πολλοῦ γὰρ πλήθους συνεῤῥυηκότος εἰς τὴν πόλιν διὰ τὴν στενοχωρίαν

Agrestiũ in urbem concursus pestis augendæ occasio.

εὐλόγως εἰς νόσους ἐπιπίπτον ἕλκοντες ἀέρα διεφθαρμένον. videtis quo modo breuissimam Diodori dictionem exaggerauit, & auxit Interpres, vt hinc videre quilibet possit, quàm sit parum tutum confidere versionibus, & Græcas literas contemnere. Idem in xiiij. pestilentia exercitum inuasit, accessit ad diuinam calamitatem id quoque quòd plurima hominum millia eodem confluxerant, quòdq; anni tempus erat ad ægritudines efficacissimũ, & illa præterea æstas, nimijs feruoribus exarsit, quin & locus in causa vehementioris cladis fuisse videtur: nam & antea Athenienses ibidem metati è morbo, quòd locus paluſtris, & cauus erat, multos mortales amiserant; quę sic Græcę efferunt à Diodoro (hic nihil addidit ex suo Interpres) ἐνέπεσεν εἰς τὸ στράτευμα ἡ νόσος, συνεπελάβετο δὲ καὶ τῇ τῆς δαιμονίου συμφορᾶς μυριάδας εἰς ταὐτὰ συναθροισθῆναι, καὶ τὸ τῆς ὥρας εἶναι πρὸς τὰς νόσους ἐνεργότατον, ἔτι δὲ καὶ τὸ ἔχειν ἐκεῖνο τὸ θέρος καύματα παρηλλαγμένα ἔοικε δὲ, καὶ ὁ τόπος αἴτιος γεγονέναι πρὸς τὴν ὑπερβολὴν τῆς συμφορᾶς, καὶ γὰρ ἀθηναῖοι πρότερον τὴν αὐτὴν ἔχοντες παρεμβολὴν πολλοὶ διεφθάρησαν ὑπὸ τῆς νόσου ἑλώδους ὄντος τοῦ τόπου καὶ κοίλου. Lucretius, qui hoc loco parum videtur à Thucydide aberrasse: hoc tamen elegantissime reddidit.

Nec minimum partim ex agris ægroris in vrbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia conueniens ex omni morbida parte,
Omnia complebant loca, tectaque, quo mage eos tum
Confertos ita aceruatim mors accumulabat.

Pericles Athenienfib. quasi pestis auctis, auctor insimulatus.

Huic quoque rei cladem fere omnem, & vastitatem à pestilentia illatam Athenienses acceptam referebant accusantes Periclem auctorem belli, & tantæ agrestium recipiendæ intra mœnia multitudinis, ac turbæ. Locum vero integrum Plutarchi recitabo, vt singulis singula possimus comparare. Πρῶτον μὲν ἡ λοιμώδης ἐνέπεσε φθορὰ, καὶ κατενεμήθη τὴν ἀκμάζουσαν ἡλικίαν, καὶ δύναμιν. ὑφ᾽ ἧς καὶ τὰ σώματα κακούμενοι, καὶ τὰς ψυχὰς παντάπασιν ἠγριώθησαν πρὸς τὸν Περικλέα, καὶ καθάπερ πρὸς τὸν ἰατρὸν ἢ πατέρα τῇ νόσῳ παραφρονήσαντες ἀδικεῖν ἐπεχείρησαν ἀναπεισθέντες ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, ὡς τὴν μὲν νόσον ἡ τοῦ χωρητικοῦ πλήθους εἰς τὸ ἄστυ συμφόρησις ἐργάζεται θέρους ὥρᾳ πολλῶν ὁμοῦ χύδην ἐν οἰκήμασι μικροῖς, καὶ σκηνώμασι πνιγηροῖς ἠναγκασμένων διαιτᾶσθαι δίαιταν οἰκουρὸν, καὶ ἀργὸν ἀντὶ καθαρᾶς, καὶ ἀναπεπταμένης

πλαμένης τῆς πρότερον, τούτου δ' αἴτιος ὁ τῶ πολέμω τὸν ἀπὸ τῆς χώρας ὄχλον εἰς τὰ τέιχη καταχεάμενος, καὶ πρὸς οὐδὲν ἀνθρώποις τοσούτοις χρώμενος. ἀλλὰ ἐῶν ὥσπερ βοσκήματα καθειργμένους ἀναπίμπλασθαι φθορᾶς ἀπ' ἀλλήλων, καὶ μηδεμίαν καταβολὴν μηδ' ἀναψυχὴν ἐκπορίζων, ideſt, Primum quidem peſtilens incidit tabes, & depopulata eſt florentem ætatem, & robur, à qua afflicti corpora morbo inſanientes ſæuire aggreſſi ſunt ab inimicis perſuaſi, quòd morbum agreſtis turbę concurſus in Vrbem efficit, æſtatis tempore, multis ſimul confuſe in arctis tectis, & habitaculis æſtuoſis coactis vitam viuere deſidem, & otio ſam pro pura, & aperta, qua antea fruebantur. Huius vero auctorem eſſe eum, qui in bello ex agris turbam intra mœnia receperit, & ad nullos vſus homines exercet, ſed ſinit tanquam bruta paſcua concluſos repleri inuicem tabe, & nullam permutationem mali, aut reſpirandi libertatem tribuit. Hoc vero verbum ξυγκομιδὴ intelligendũ non ſolum de rebus anima carentibus, de quibus proprie dicitur, ſed etiam de animatis: parentes enim liberos geſtabant, & ponitur pro concurſu.

Τὸ ἄσυ. Oppidum.] Nomen hoc proprium Ciuitatis Athenarũ & peculiare: ipſi enim teſte Stephano primi inuenerũt nomina ἄσυ, καὶ πόλις, tamen à Thucydide & hoc loco potiſſimum ſuperior ſignificatur vrbis pars, & à mari remota, vt contra diſtinguat à Pyræo, Phalero, Munichia, quæ erant maritimæ partes Ciuitatis, quemadmodum teſtatur Acatius in deſcriptione regionum Atticæ apud Thucyd. ſic Plutarchus ὥςτὴν μὲν νόσον ἡ τοῦ χωρητικοῦ πλήθους ἐιστὸ ἄσυ συμφόρησις ἐργάζεται, quòd morbum agreſtis multitudinis concurſus in oppidum efficit. Idemq; erat ἄσυ, quod ἀκρόπολις, vt etiã ex Xenophonte comprobatur in 2. Hellenicorũ, vbi dicit ex Pyræto cum armis aduenisse ἀκρόπολιν, & ſacra Palladi feciſſe, mox cum deſcendiſſent Duces, Thraſybulus allocutus eos, qui remanſerant in arce, ὑμῖν ἔφη ὦ ἐκ τοῦ ἄσεως ἄνδρες, vobis dico, qui opidum uiri incolitis. ibi enim apertiſſimis uerbis oſtendit idem eſſe ἄσυ, quòd ἀκρόπολις, Aemylius probus in vitis Græcorum Imperatorum retinet nomẽ hoc ipſum, & Aſty appellat latinitati donato vocabulo. Ariſtoteles in Poetica, ubi agit de Tragędia, & Comędia quarũ inuentionem ſibi vendicabant Dorici Peloponneſij ſumpto

ἄσυ nomẽ proprium Ciu. Ath.

pto argumento à vocabulo δρᾶν, quod est doricum, unde dicta sunt δράματα, illa poemata; dicit alio adhuc vsos argumento ad Comœdiæ sibi laudem vsurpandam, dicebāt enim dictam non a κωμάζειν, vt volebant Athenienses, quod est lasciuire, sed ἀπὸ τῶν κώμων, quæ est vox dorica, τῇ κατὰ τὰς κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως, idest, ab errore uago comicorum per pagos, cum essent ab vrbe eiecti: ubi per ἄστυ intelligit ipsam arcem, in qua nobiliores habitabant per κώμας, pagos, & vicos, quos uocabant Attici δήμους, alij Græci περιοικίδας, cuiusmodi fuisse dicit P. Victorius interpres, Sunium Pyræum, & huiusmodi.

ἐν καλύβαις πνιγηραῖς. In tugurijs æstuosis.] Arcta tecta dixit Liuius. Plutarchus eodem epitheto dixit, σκηνώμασι πνιγηροῖς, idest, habitaculis æstuosis; solent uero plerumque homines ignorata præcipua morborum causa domos ipsas & habitacula accusare, quòd preclare animaduertit Ouidius, qui ita de pestilentia correptis in 7. ait.

—— Fugiuntque Penates;
Quisque suos, sua cuique domus funesta videtur,
Et quia causa latet, locus est in crimine notus.

Sic Athenienses accusabant Periclem, quòd illos tuguriolis conclusos quasi iumenta retineret se se mutua vi morbi replentes, ἐν οἰκήμασι μικροῖς, καὶ σκηνώμασι πνιγηροῖς. Plutarchus in Pericle, quod vero hoc anno suffocatus hic aer, qui à Græcis dicit πνῖγος regnaret etiam sine occasione arctorū tectorum apparet ex Hippoc. in 3. Commen. in 3. Epidem. vbi pestilentem hanc constitutionem generatim describit, & per singulas anni partes, nam de æstate sic ait, cont. 6. θέρος αἴθριον, θερμόν, πνίγεα μεγάλα, idest, æstas serena, calida, suffocationes æstuosæ magnæ, quomodo uero fiant hi æstus declarat Galenus in Commen. ubi ait, φύσει οὔσης ἐπὶ τῆς θερινῆς ὥρας θερμῆς, ὅταν ἄπνοια προσγένηται πνῖγος ἐξ ἀνάγκης ἕπεται. γίνεται δὲ τοῦτο μήτε τῶν προδρόμων καλουμένων πνευσάντων, μήτε τῶν ἑπομένων αὐτοῖς, οὓς καλοῦσιν ἐτησίας, idest, cum natura sit æstiuum tempus, calidum, cum uentorum cessatio accesserit, suffocatio necessario consequitur, fit uero hoc neque prodromis uocatis uentis flantibus, neque his, quieos consecuti uocantur etesiæ. Id etiam confirmat Diodorus Siculus, qui testatur in hanc constitutione nō flasse Etesias uentos,

Aer suffocat' τὸ πνῖγος regnauit in pestilentia Athen.

uentos, & propterea fuiſse æſtum ingentem. Galenus lib. 1. de differentijs febrium, cap. 4. citat hunc locum, oſtendens ex aere horum tabernaculorum ſuffocato, & æſtuanti datā occaſionem febri peſtilenti, repertis nempe corporibus paratis ad ſuſcipiendam labem: eius hæc ſunt verba, ἔςι δ' ὅτε κατάρχει μὲν ἄμετρος θερμασία τοῦ περιέχοντες ὡς ἐπὶ τοῦ καταλαβόντος ἀθηναίους λοιμοῦ, καθὰ φησὶν ὁ Θουκυδίδης: ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ θέρους διαιτωμένων ὁ φθόρος κατὰ τὸ σῶμα ἐγίνετο, τῷ δ' εἶναι τοὺς ἐν τῷ σώματι χυμοὺς ἐκ μοχθηρᾶς διαίτης ἐπιτηδείους εἰς σῆψιν ἀρχὴ τοῦ λοιμώδους γίνεται πυρετοῦ, ideſt, interdum regnat immoderata caliditas ambientis, vt ea, quæ Athenienſes oppreſſit peſtilentia, quemadmodum recitat Thucydides, ſed in tugurijs æſtuoſis, tempore æſtiuo habitantibus, peſtis in corpore genita eſt. Quia vero ſunt in corpore humores ex prauo victu parati ad putredinem, peſtilentis fit initium febris: vbi attingit etiam alteram cauſam, nempe aeris peſtilentis, ſiue vaporis inquinati, ant alterius ſeminarij ex Aethiopia defluxi. Quod etiam in dubium reuocat, quaſi certius fuerit, ex aere hoc ſuffocato ortam peſtē, ait. n. τάχα δὲ καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ἐξ αἰθιοπίας ἐῤῥύη τινὰ σηπεδονώδη μιάσματα τοῖς ἐπιτηδείως ἔχουσιν σώματα βλαβῆναι πρὸς αὐτῶν αἴτια πυρετοῦ γενησόμενα, ideſt, Fortaſſe vero etiam per continuum ex Aethiopia fluxere quædam putredinoſa inquinamenta habentibus paratum corpus ad ſuſcipiendum ab illis noxam, cauſa febris futura. In quo animaduertendū, quòd Galenus in recitādis illis Thucydidis verbis paulò ſecus duo pronuntiat, nempe ὥρᾳ θέρους, ideſt, tempore æſtatis, nam legitur apud Thucydidem ὥρᾳ ἔτους tempore anni, quod tamē vt infra dicetur, idem eſt. Et κατὰ τὸ σῶμα. Quod verbum nō eſt in Thucydide, ſed eius loco eſt οὐδενὶ κόσμῳ: ſed eſt fortaſſe μνημονικὸν ἁμάρτημα, hoc præſertim poſtremum, quo vitio nulli ex præſtantiſſimis viris caruere, vt ſupra demonſtratum eſt, & præſertim in aliorum ſententijs recitandis, in quibus facilis eſt vnius alteriusve vocabuli lapſus, vel additi, vel prætermiſſi, vel paulò ſecus enuntiati. Sic Plutarchus aduerſus Coloten Platonis locum afferens de Deo in 4. de legibus, ſententiam quidem refert, ſed verba quædam immutat. Nam cum dicat Plato, Deum habere principium, finem, & media, τῶν ὄντων ἁπάντων, ipſe dicit τοῦ παντός, & alia

Thucydidis verba paulò ſecus pronūciata à Galeno.

alia multa. Videtur autẽ, quòd Thucydides dicit fuisse augmentũ pestis sæuius grassantis explicare Galenus, quòd fuerit febris pestilens addita ipsi pestilentiæ: nam in prima parte est declaratum pestem esse posse sine febre, vt etiã exploratum est posse esse pestilentem febrem sine peste, quæ inter initia (vt præclare ait Trincauelius in caput Galeni quartũ scribens) est tantummodo pestilens, tandem in pestem transit: docet uero Galenus eo loco febrem pestilentem posse oriri ab aeris intemperie, & potissimũ calida, usus auctoritate Thucydidis, non tamen de ea agit propria ratione ibi: sed exempli causa, cum esset propositũ de causis agenti procatarcticis febriũ, ostendere, quo pacto ex aere febres oriantur: quod quoniam ita se habere multis potest Galeni locis demonstrari, nempe ex nimio aeris calore gigni febres pestilentes etiã & pestem: ideo non erit ab instituto alienum paucis declarare ex eodem Galeno, quomodo id fiat, cum præsertim omnes hos modos, & causas simul conspirasse in hac sæuissima pestilentia ex Thucydide colligi possit: quod etiã testatur Trincauelius in Cõmentario de differen. feb. cap. 4.

Quib. modis ambiẽs aer nos possit calefacere & febrem gignere.

Ambientis igitur aeris status duobus nos modis potest calefacere per se, per accidens: per se autem, cum est calidus suapte natura, & primo nos calefacit, ut in diebus canicularibus, idque tribus modis, uel cum circumfusum περιεκεχυμένον, contingens cutem extimam illam calefacit, & illa mox subiectas proximas partes, & aliæ alias, quoad cor, & uniuersum corpus incalescat, uel διὰ ἀναπνοὴν, cum inspiratur, & trahitur ita calidus ad cerebrum, ad pulmones, ad cor, inde in uniuersum postea corpus dispergitur. Vel cum per diastolẽ trahitur ab arterijs, & per eas ἑλκούσας, ait Galenus, τι καὶ τῆς οὐσίας αὐτῆς τοῦ περιέχοντος ἀέρος attrahentes aliquid etiam ex substantia ipsa ambientis aeris, cor cum illis consentiens simul afficiunt συνδιατίθενται, & calefaciunt: per accidens uero calefacit cum putredinis causa est, & putrefactionem excitat in animãtium corporibus, quod fit duobus modis, uel ex se, uel ex admixione halitus, & corporis putridi, aut inquinamenti pestilentis: ex se uero auctor esse potest putredinis tribus modis. Primo, cum corpus non est εὔπνουν, id est, transpirabile. Secundo, cum est περιττώδες recremẽtis plenum, & uitiosis succis ex praua diẹta contractis, quod utrumque

erat

erat primus ſcopus ab eo propoſitus in curanda peſtilentia, nempe ut hæc duo alterũ haberet, altero careret, contrario modo (in primis enim aucto calore, humores cum difflari non poſſint, computreſcunt, præſertim ſi aer ambiens ſit adeo *ἄμετρος*, ut omnes innati caloris uires frangat: in alteris uero cum aptiſſimi ſint ex qualibet leui occaſione computreſcere, facile tanquam ignem eſca, concipiunt putredinẽ) Tertio, cum in arctis degunt homines tectis, & tuguriolis æſtuoſis, ubi addita etiam multitudine cohabitantium non eſt facilis perſpiratio, ſed aer eſt quodammodo ſuffocatus, & oppreſſus. Fit uero putredinis auctor, cum habet permixtos halitus, & cum *ὑπὸ σηπεδονώδους ἀναθυμιάσεως ἐμιάνθη* à putredinoſa exhalatione eſt infectus, ut cadauerum inſepultorum, ut fit in bello, uel *τελμάτων, ἢ λιμνῶν*, ideſt, cloacarum, uel paludium, uel *χαρωνείων βαράθρων* dicit in proœmio Epid. Quod uero peſtis gigni poſſit, & peſtilens febris ex nimio calore declaratum ſæpe à Galeno, ſed potiſſimum in proœmio Epid. initio (quæ pars quia Græce non extat: deſideratur enim in impreſſis Baſileæ, ac Venetijs, Latina uerba referam) ubi generatim de omni ametria ita dicit. Ambiens nos aer ſi immoderatius calefiat, uel frigeſcat, uel ſicceſcat corporis ſymmetriam, quæ ſanitas eſt, confundit, interturbat, ac corrumpit: & licet omnes exceſſus in quatuor qualitatibus id poſſint præſtare, maxime tamen ſolet ipſe calor nimius præſertim cum humiditate coniunctus peſtem, & febrem peſtilentem excitare, quod nominatim ipſe oſtendit in primo *περὶ κράσεων* de temperamentis, cap. 4. ubi confutat eorum medicorum, philoſophorumq; ſententiam, qui dicebant ver eſſe calidum, & humidum, accommodantes ſingulis anni temporibus ſingulas quatuor qualitatũ ſyzygias. Ait enim *εἰ καὶ σύμπαν τὸ ἔτος ὑγρὸν, καὶ θερμὸν γένοιτο, μέγιστον ἀνάγκη συμπεσεῖν οὕτω λοιμὸν, οἷον ἐν τῷ τρίτῳ τῶν ἀποδημιῶν διηγεῖται*, ideſt, ſi uero etiam totus annus fiat humidus, & calidus, maximam neceſſe eſt incidere ita peſtilentiam, qualis in 3. Epid. explicatur, quibus ex uerbis colligitur de hac ipſa Thucydidia peſte idem ſentire, cum probatum ſit, illam deſcriptam in 3. Epid. eam eſſe, quæ hic à Thucydide deſcribitur: quod uero talis extiterit, declarat ibi Galenus ex ſymptomatibus enarratis: quę omnia effectus erant putredinis, quę

Peſtis ex nimio calore gigni tur.

à solo humido calidum uincente gigni potest: quæ quidem nos omnia cum Thucydidijs ante comparauimus. Sic Aetius Tetr.2.lib.1.idem asserit his uerbis: ἐστὶ δ᾽ ὅτε ὑγρότερος, καὶ θερμότερος ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀὴρ γιγνόμενος, λοιμώδη κατάστασιν φέρει, τῷ δ᾽ εἶναι τοὺς ἐν τῷ σώματι χυμοὺς ἐκ μοχθηρᾶς διαίτης εἰς σῆψιν ἐπιτηδείους, ἀρχὴ τοῦ λοιμώδους γίνεται πυρετοῦ, ideſt, interdũ humidior, & calidior ambiens nos aer factus peſtilentem conſtitutionem inducit: quod uero ſint contenti in corpore humores ad putredinem parati ex prauo uictu, initium fit peſtilentis febris. Quæ poſtrema uerba cum ſint ex Galeno accepta de Thucydidia peſte, per conſequens etiam antecedentiã de illa intelligenda, licet ibi Galenus humiditatis nõ faciat mentionem ſubintelligendam relinquens, cum putredo fieri non poſſit, niſi ipſum calidum uincatur ab humido. Titus Liuius lib. 25. dicit æſtum fuiſse peſtilentiæ cauſam, tempore Autumni, & locis natura grauibus, multo tamen magis extra urbẽ, quàm in urbe intoleranda uis æſtus per utraque caſtra omniũ ferè corpora mouit, ubi licet humiditatis nullam faciat mentionẽ, ſubintelligendum tamen cum dicat grauibus natura locis, hoc eſt paluſtribus, & humidis. Sic ortam illam acerbam peſtem ex tali conſtitutione narrat Ouidius lib.7.

Principio cælum ſpiſſa caligine terras
Preſſit, & ignauis incluſit nubibus æſtus,
Dumq; quater plenis expleuit cornibus orbem,
Luna quater plenum tenuata retexuit orbem,
Lætiferis calidi ſpirarunt æſtibus auſtri.

Sic Sillius Italicus, qui addit præterea exhalationibus etiam fœdatum fuiſse aerem.

Criniger aſtriferis Titan feruoribus auras,
Et patulam cyanem, lateq; paluſtribus vndis,
Stagnantem ſtygio cocyti oppleuit odore,
Temporaq; Autumni latis florentia denis
Fœdauit, tepidoq; accendit fulminis igni,
Fumabat craſſus nebulis caliginis aer, (ecce humiditas)
Squalebat tellus vitiato feruida dorſo,
Nec victum dabat, aut vllas languentibus vmbras,
Atque ater picea vapor expirabat in æthra.

Sic Lucanus.

Traxit

Traxit iners cælum fluidæ contagia pestis,
Obscuram in nubem, tali spiramine Nessus
Emittit stygium nebulosis aera saxis,
Antraq; letiferi rabiem Typhonis anhelant.

Quibus comparationibus caloris vis significatur. Antonius ab Altomari in lib. de feb. pest. citat hunc locum, & conatur ostendere ex Thucydidis verbis, aerem fuisse corruptum in substantia: post enim multa sic ait: In hac pestilentia ea corpora in febres pestilentes inciderunt æstatis tempore, quæ in suffocatis (ob domorum penuriam) colebant tugurijs, seu cauernis: propterea quòd haud quaquam perflatum recipere posset aer in eisdem cauernis, seu tugurijs inclusus, ex immodicoq; calore præcedente putris, suffocansq; redditus est, & ita substantia immutatus, quemadmodum in cæteris pestilẽtijs. Videbatur enim hic locus maxime aduersari suæ sententiæ, qui putat pestem non posse fieri, nisi ex pestilenti aeris statu, cum diceret Thucydides ex calore profectam pestilentiam. Hanc vero constitutionem æstatis ita in substantia immutatam, vt æstus intemperantia fiat pestilens. Mesue appellauit constitutionem æstatis venenosam. Nam ita inquit de syrupo ex acido citri, febribusq; pestilentibus, præsertim constitutione æstatis venenosa, & pestilentiæ opitulat̃. Hic vero magna sese nobis insinuat, atque fit obuiam controuersia in libris ferè omnium, qui de peste scripsere, exagitata, vtrũ scilicet, & quomodo aer putrescere possit, ac corrumpi: videtur enim innuere id Thucydides esse factum, & Galenus ita intelligit, Plutarchus subscribit, Diodorus Siculus expressissimis verbis testatur, dicens de hoc ipso facto (vt vidimus) verba faciens ἕλκοντες ἀέρα διεφθαρμένον, idest, attrahentes aerem corruptum: nam id videtur Philosophiæ naturalis, ac veritatis dogmatibus aduersari. Auctor enim est Aristoteles Probl. sect. 25. probl. 19. neque ignem, neque aerem putrescere. Quærit enim διὰ τι ὕδωρ μὲν καὶ γῆ σήπεται, ἀὴρ δὲ καὶ πῦρ οὐ σήπεται, idest, propter quòd aer quidem; & terra putrescit: aer vero & ignis non putrescit? quinimo etiam nullum simplex elementũ posse putrescere autumant Physici, pro qua soluenda dubitatione dicendum aerem simplicem, & in propria sphæra, ac loco elementari, vt aiunt, non putrescere, sed solũ aerem in extrema hac, & infima regio-

Altimar. vult aerẽ corrumpi in substãtia pestis tempore.

An aer possit, & quõ putrescere.

ne, vel etiam in media situm putridis inquinamentis, ac vaporibus infectum posse putrescere, non autem in suprema regione collocatum, & igni finitimum, quem etiam solum dicebat Aristoteles 4. Met. esse vacuum, & immunem à putredine, quia scilicet solus inquinamenta nulla suscipit, vel suscepta absumit, & emendat. Putrescit igitur aer simplex; sed commixtus, & impurus redditus, nempe vt est corpus ex aere puro, simpliciq; compositum, necnon aqueis partibus, & terrestribus fumis, ac nebulis, siue fuligine, ac caligine coinquinatum, igneis licet etiam partibus confusum: nam hoc pacto obnoxium est putredini, quæ est passio, & symptoma corporis solum mixti non simplicis, ac puri puti: hoc enim pacto apud nos sunt elementa impura, inuicem permixta, atque confusa. Sed succedit alia adhuc dubitatio, si corrumpitur aer, ac putrefit, vtrum corrumpatur solum, & immutetur manifestis qualitatibus, quas vocant materiales, vt est calidum, frigidum, humidum, siccum, quod nonnulli contendunt tantum fieri: an vero etiam secundũ occultas, & quas vocant spirituales (In quo duo sunt genera opinionum, alia nempe eorum, qui putant à superiorum corporum influxu, aspectu, positione, & coniunctione accipere veneficã quandam impressionem, ac vim, quæ pestem gignat, quod maxime fieri dicunt Astrologi, contra quam sententiam multi insurrexere medici doctissimi, & nequaquam astrorum opera maculari, ac infici aerem posse, gignive pestem asseuerãt; alia eorum, qui putant, abdito quodam & inexplicabili modo, ac prope diuino (ut uocat Hippocrates) aerem infici, ac coinquinari, & uenenum illud in aere diffusum, ac propagatum, auctorẽ esse pestis, ac contagij, siue id ex cælo, siue aliunde proficiscatur, ac ueniat, cæcam.n. omnino, & occultam, ac abditam uolunt esse inquinationis originem, & proinde admirabilem. Qua in sententia uidetur fuisse Fernelius vir doctissimus, & eloquentissimus) an uero tota sui substantia corrumpatur, ut ex Auicenna quidam probant. Qua in sententia (ut audistis) fuit Altimarus, & alii complures. In hac uero quæstione admodum implicata, ut cito me expediam, dicendum puto, omnibus modis posse aerem corrumpi, ex Galeni, Hippocratisq; doctrina: & proinde etiã pestẽ gigni, & ex manifestis, & ex occultis causis. Quod facile probabit,

An aer putrefens solũ immutetˀ manifestis qualitatibus, an etiam occultis.

etiam Historiarum testimonio, si mentẽ adhibeamus: quasdam enim inueniemus profectas pestes ex manifestis qualitatibus, deprauato aere, ut nimio æstu, nimia humiditate, & permixtis etiam inuicem constitutionibus, aliarum causas astrorum coniunctionibus assignatas, aliarũ ignoratas omnino, in alijs ipsam corruptam fuisse aeris substantiam; quæ omnia breuitatis studio prætereo: nimis enim esset longũ, atque putidũ ista persequi. Aliud porrò antequam ab hac parte discedam, libet admonere, quod attinet ad aerem hũc suffocatum, Græce dictum πνῖγος, sentire scilicet nonnullos inde etiam factũ, & auctum, eo quòd adhibentes alieno tempore Hippocraticum remediũ ex igne incenso in tugurijs, aeris inquinamẽta augebant, & proinde morbus crescebat, ac magis propagabatur. Huius opinionis auctorem inuenio Philippum Ingrassiam, qui parte 3. cap. 3. reddens causam, cur Panormi non adhibitum fuerit æstatis tempore Hippocraticum remedium incendendi ignes, dicit ea de causa factum, quia humores corporis tali remedio essent magis inflammati, & apertis poris facta via patentior, atque aditus pestilentibus inquinamentis in aere uagantibus, Thucydidis id probans testimonio, qui dixerit auctam pestem Athenien sem huiusmodi incendijs incongrue, & intempestiue factis, & ne quis putet alium locum intellexisse, in margine citatur lib. 2. de bello Pelop. Eius hæc sunt uerba: *Anzi sarebbe stato mortal danno vniuersale, brucciandosi con tal eccessiuo calore di aere gli humori del corpo, & aprendosi anco i pori, la onde più entrasse ogni malitia: perciò narra Thucidide, che per tale incendij, fatti nel tempo estiuo, più iniquamente procedeua la pestilenza.* Quem sensum, quomodo ex uerbis Thucydidis, & hoc loco fuerit expiscatus non uideo, nisi coniectura ductus ita factum fuisse iudicarit propter Hippocratis remedium, & proinde quasi à Thucydide pronuciatum mox lapsus memoriola, ut fit, ipse attulerit: uel fortasse apud aliud quempiam legerit scriptorem antea, deinde scribens pro illo Thucydidem scripserit uitio memoriæ, seu potius reminiscentiæ: nam (ut aliàs uos docui) non est nouum in recitandis Thucydidis sententijs auctores labi, & hallucinari: secus enim ac sunt posita, siue scripta, multa à multis pronuntiata, & inuersa fuisse ostendimus.

Aer suffocatus reddit' ex incendijs secundum quosdam.

Lib. 2. de bello Pelopon.

Ingrassiæ lapsus in citando Thucydide.

ὥρᾳ ἔτους, Tempore anni.] Apud Plutarchum, & apud Galenum,

lenum, qui citat hunc locum, vt diximus, legitur ὥρα θέρους: sed arbitror fuisse in Galeno μνημονικὸν ἁμάρτημα, vt etiam de altero verbo diximus, addito κατὰ σῶμα: nam cum recordaretur Galenus Thucydidem dixisse ὥρα ἔτους, medico vsum vocabulo, qui ὥραν appellant primam partem æstatis, vnde fructus horarij, appellant, vt alterum ὀπώραν, cum locum describeret, & fortasse libri copia non adesset, sensum reddidit, quasi scilicet Historicus vsus medico vocabulo non fuisset. De anni vero diuisione, & partibus repetenda quæ diximus in priori parte, quemadmodum etiam de tempore, quo frequentius solet oriri pestis, & sæuire, inter quæ maxime æstas numeratur: quare etiam Liuius lib. 37. loco graui, & tempore anni (medium enim æstatis erat) ad hoc insolito odore, ingruere morbi uulgo, maxime in remiges cœperunt, &c. Sic Scholiastes Græcus interpretatur hæc uerba, τῷ θέρει δηλονότι, id est, æstate nimirū; quem tamen Henricus non probat: ait enim, ego ita potius uerba Thucydidis explicauissem πνιγηραῖς διὰ τὴν ὥραν τοῦ ἔτους, θέρος γὰρ ἦν.

διαιτωμένων, Habitantium.] Repetenda sunt quę diximus in uerbo δίαιτα. Plutarchus magis attice διαιτᾶσθαι δίαιταν dixit.

οὐδενὶ κόσμῳ, Nullo ordine.] Nullam habitam neque ætatis, neque dignitatis, neque loci, neque sexus, aliarumve rerum rationem ostendit, & innuit; sed quemlibet ibi exhalasse animam, & expirasse, ubi sors tulisset, & dedisset occasio. Sic Ouidius 7. Metamorph.

Semianimes errare vijs, dum stare valebant,
Aspiceres, flentes alios, terraq; iacentes,
Lassaq; versantes supremo lumina motu,
Membraq; pendentis tendunt ad sydera cæli
Hic illic, vbi mors deprehenderat, exhalantes.

Galenus (ut dictum est) in citando hoc loco omisit hæc uerba, & posuit κατὰ σῶμα in corpore.

καὶ νεκροὶ, Et mortui.] Videtur primo intuitu nescio quid pugnans inesse his uerbis, dum dicit, quòd mortui alij super alios morientes iacebāt: nam si mortui iam, quomodo morientes? sed nihil absurdum, si diuidantur, apparebit, ut dicat mortuos iacuisse, & alios super alios morientes aceruū, & cumulū magis explesse, ut illud morientes non referatur

ad

ad mortuos, ſed ad exprimendum πάθος cadentium ubique, & ſine ullo ordine, eſtq; ἐπεξήγησις, & explicatio quaſi, ac σαφηνισμὸς ſuperioris uerbi nullo ordine, habetq; magnum pondus, ac momentum ad miſericordiam commouendã. Lucretius pathetice, & eleganter expreſſit hanc partem explicatam latius à ſe, atque prolixius. Ait enim:

Exanimis pueris ſuper exanimata parentum
Corpora nonnunquam poſſes, retroq; videre
Matribus, & patribus natos ſuper edere vitam.

Sillius Italicus attigit etiam hanc partem, ſed breuiter.

——————— Cumulantur aceruo
Labentum, & magno cineres ſeſe aggere tollunt.

Et Lucanus non prætermiſit, qui ait:

——————— Turbaq; cadentum
Aucta lues, dum mixta iacent incondita viuis
Corpora, nam miſeros vltra tentoria ciues
Spargere funus erat. ———————

Liuius etiam uidetur hunc locum ad πάθος attigiſſe lib. 25. Iacerentq; ſtrata exanima corpora in conſpectu ſimilem quoque mortem expectantium, mortuiq; ęgros, tum metu, tum tabe, ac peſtifero odore corporum conficerent. Vbi per illud exanima corpora uidetũ uoluiſſe exprimere Græci uerbi uim, quemadmodum etiam fecit Lucretius: nam νεκρὸς ita appellatus eſt (ut auctor aſſerit Etymologici proprio loco, & in verbo ἀθρέμβολα) παρὰ τὸ νὲ, quod eſt στερητικὸν μόριον, ideſt, priuatiua particula, & τὸ κὴρ, quod eſt anima; quaſi ſine anima. Lilius Gregorius Gyraldus eſſe idẽ dicit νεκρὸν, quod apud Latinos cadauer à cadendo dictum: ad quod reſpexere duo Poetę citati Lucanus, & Sillius. Idem aſſerit, à quibuſdam verti latine mortuale, & morticina, vt apud Hieronymum in ſacra Scriptura. Alii deductum volunt à particula νη priuatiua, quaſi dicat νέκηρος, deinde per contractionem νεκρὸς, ſed hoc parum refert: ſunt enim quatuor particulæ ſimiles νε, νη, ut in uerbo νῆστυς, ideſt, ἄνευ, σιτίων, ſine cibis, νω, vt in uerbo νωθρὸς, ideſt, ἐστερημένος τῶ θορῶν, ideſt, priuatus motu, νο, vt in verbo νόσος, ideſt, μὴ σόος, uel priuatus σόον, ideſt, ualetudine, nullaq; alia litera habet hoc priuilegium priuatiuum, præter unum α, qui multis utitur prærogatiuis prę ter hanc. Vel dici etiam poteſt, quia hoc uerbum uſurpatur

Quatuor particulę priuatiuę apud græcos.

etiam

etiam de rebus inanimis (unde νεκροκορίνθιοι dicuntur uasa corinthia fracta, vt idẽ Gyraldus ostendit) Thucydidẽ addidisse ἀποθνήσκοντες, morientes, vt de uiuis corporibus, & animatis intelligeretur illam stragem, cumulumq; iacentiũ fuisse, uel adhuc possumus dicere quæsitum à Thucydide in ἀντιθέτοις venustatẽ, vt significaret ita cõfectos morientes, ut licet adhuc spiritus retineretur, ita tamen erat affectus, ut nihil à mortuis discreparet, & sic erant morientes mortui: sic contra Sophocles in Antigona dixit, ἔμψυχον νεκρόν, idest, animatum mortuum. οὐ τίθημ' ἐγὼ ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν, idest, hunc ego viuere minime, sed animatum esse mortuum puto.

ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, Vijs volutabãtur.] Late explicat locũ hunc Lucretius postponẽs sequẽti de fontibus cõtextui.

Multaq; per populi passim loca prompta, viasq;
Languida semianimo tum corpore membra videres
Horrida pædore, & pannis cooperta perire,
Corporis illuuie, pellis super ossibus vna
Vlceribus tetris prope iam, sordiq; sepulta. Et supra dixerat:
Multaq; humi cum inhumata iacerent.
Corpora corporibus, &c.

Ouidius varie expressit hoc πάθος.

Prosiliunt, aut si prohibent consistere vires
Corpora deuoluunt in humum, fugiuntq; penates
Quisque suos. ——————— Et mox:
Semianimes errare vijs, dum stare valebant
Aspiceres, flentes alios, terraq; iacentes.

Notent vero Græcæ linguæ studiosi verbum hoc ἐκαλινδοῦντο esse æolicum: æoles enim uertunt α in υ, & è contra etiã υ in α, & ex κυλίω fit καλίω, & consonantium πλεονασμῷ fit καλινδῶ, estq; verbum ferè poeticum, cuius genus adamata scimus à Thucydide Homeri œconomiam imitante.

περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας, Ad omnes fontes.] Locus hic mihi uidetur perdifficilis explicatu, & nodus penè gordiano illo implicatior: nam in prima parte huius narrationis dixit Athenienses, cum primum cœpit grassari pestilentia in suspitionem uenisse, ne putei à Peloponnensibus fuissent ueneno infecti: Nondum enim erant, inquit, fontes. Hic uero dicit ad omnes fontes uolutatos ægrotos aquæ desiderio:

hæc enim mere pugnantia uidentur: non enim credibile est à principio veris, quo inchoata est pestis ad horã, & tempus æstatis, tot fuisse Athenis confectos fontes. Sed solui potest, si dicatur vel abusum nomine fontium pro puteis Thucydidem, vel intellexisse de celebri illo fonte dicta olim Callirrhoe, mox vero ἐννεακρούνῳ, quem fuisse δωδεκάκρουνον, idest, duodecim fistularum dicit Suidas, qui à Pisistratidis regibus fuerat intra arcẽ receptus: de qua arce cum hic loquatur, ibi vero loqueretur de Pyræo Portu longe ab hac parte remoto, iam videtur explicata difficultas: illud vero omnes referetur ad ipsas fistulas, circa quas volutabantur, aquę desiderio affecti, quam cum fortasse non possent haurire ita copiose, vt vellent, semimortui illius cupiditate iacebant: quamuis dici etiam potest bibentes vsque ad expletionem semimortuos iacuisse, cum superesset tamen desiderium bibendi, quamuis expleti iam amplius non possent bibere, Silanos vertit Lucretius, ex quo confirmatur nostra explicatio de fistulis Callirrhoes fontis in arce positi, quidã Tullios vertunt, licet Tullij proprie magis dicantur sanguinis proiectiones arcuatim erumpentis. Ennius Aiax misso sanguine tepido Tullij efflantes euolant.

Contradictio de fõtibus in Thucydide tollit.

ἡμιθνῆτες, Semimortui.] Semianimes dicit Ouidius, quo verbo vsus etiam in sua versione Acacius, & ipse etiã Valla cum Henrico Stephano. Portus vertit ad verbum expressius, semimortui, Lucretius expressit interclusa anima, & præclare: nam proprie semimortui dici possunt, quibus anima intercluditur, vt in syncope, & in eo morbo, quem ἄπνουν vocauit Emped. & in hystericis affectibus, & præfocationibus. Hoc vocabulo vsus Eusebius Pamphili libro 7. Eccl. histor. vbi gentium describit in pestilentia mores, & crudelitatem, à Christianorũ pietate longe dissimilem. καὶ ἀπέφευγον τοὺς φιλτάτους κἂν ταῖς ὁδοῖς ἐῤῥίπτουν ἡμιθνῆτας. Et refugiebãt amicissimos, ac in vijs proijciebãt semimortuos. Hoc vero loco accipi potest hoc vocabulum duplici modo nempe, vel relatum ad verbum præcedens semimortui volutabantur, quasi dicat semimortui vi morbi non poterant recti incedere fracti viribus, sed quoquomodo volutabãtur adacti siti, & desiderio bibendi, vel relatũ ad subsequens vocabulum τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ, idest, aquæ desiderio, & siti, vt

accommodauit Lucretius, quasi dicat semimortui bibendo præ dulcedine in potu percepta, & siti sedanda, tanquam vero Philosophus, seu Medicus, non dixit mortuos, sed semimortuos, cum apud Medicos sit hoc dogma constitutum, quòd sitis ex se neminem iugulat, quãuis sit molestissima: quare iure merito reprehenditur à Mercuriali Altimarus, quòd dixerit, quandoque siti homines perire, ductus auctoritate Galeni, quem perperam dicit intellexisse, qui 1. de sympt. causis, 7. ait quosdam ex potu aquarum salsarum incidisse in profluuium alui, & mordicatione cruciatos tandẽ perijsse; nam non dicit Galenus hos perijsse ex siti, sed propter alui fluxum, & mordicationem cum siti, & licet aliquis forte ex his ægrotis nimium bibendo distentus, mortuus sit, non tamen propter sitim, sed propter errorem in potu mortuus esse dicendus.

Sitis ex se neminem iugulat.

ὕδατος ἐπιθυμίᾳ, Aquę desiderio.] Lucretius elegantissime expressit hunc locum.

Multa siti prostrata viam per proq; voluta
Corpora Silanos ad aquarum strata iacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquai. Ouidius.
——— Paßim, positoq; pudore,
Fontibus, & fluuijs, puteisq; capacibus hærent,
Nec sitis est extincta prius quàm vita bibendo,
Inde graues morbo nequeunt consurgere, & ipsis
Immoriuntur aquis, aliquis tamen haurit & illas.

Notetur vero hoc loco auctoris artificium, qui cum in symptomatis recensendis supra, nomine proprio sitim dixerit addito epitheto, ἀπαύστῳ δίψῃ, idest, siti insedabili, hic variandæ orationis causa, definitionem pro nomine vsurpat, aquę desiderio: nam nihil aliud esse tradũt Philosophi, ac Medici sitim, quam ἐπιθυμίαν τοῦ ὑγροῦ, idest, desiderium humidi, vel, vt Arist. 3. de anima, etiam frigidi, inter quæ humida principem sine controuersia locum sibi vendicat aqua: licet non inficiar à siticulosis desiderari etiam alia interdum humida, vt vinũ, & alia: sed hæc potissimũ solet, & potest etiã sitim sedare: quare recentiores quidam antiquorum definitionẽ quasi vberius explicantes, & interpretantes dixerunt sitim esse appetitum immoderatum materiæ potulentæ ex tristi sensatione, de qua legendus uobis Mercurialis in sua praxi.

Sitis quid sit.

Hic

Hic porrò in dubium reuocari potest, ex qua causa esset orta hæc sitis, nempe an ab externis causis, vt æstu illo, & aere suffocato, quem scimus sitim generare: quare omnes æstatis tempore magis sitiunt, an vero internis, quæ rursus dupli ces, in toto corpore, vt febres ardentes, quæ depascentes humidum totius, etiam ventriculi humidũ absumunt, & hinc fit sitis, vel in pręcipuis corporis partibus, vt potissimum ore ventriculi, qui cum sit locus naturalis sitis, etiam vitiosæ debet esse locus, vt corde, pulmone, iecore, renibus, & alijs. Quibus oblique quodammodo fit sitis, & κατὰ συμπάθειαν, quia ex illorum calore afficitur, & exsiccatur os ventriculi, sitisq; fit: sed respondendum, vtrasq; causas hoc tempore conuenisse, & externarum vi auctas etiam interiores, & proinde maiorem extitisse vim sitis huius, quàm aliarum: & rursus aliud hoc loco dubitandum occurrit, an scilicet internę istæ causæ essent simplices intemperies, nempe aut calida, aut sicca, vel vtraque simul, an cum materia: & respondendum materiam adfuisse coniunctã, & hanc multiplicem, nempe humores biliosos, salsos, omnes calidos, & pestis etiam venenum, tum intus genitum, tum foris attractum: nam uenena quoque omnia ferè sitim gignunt.

Quib. ex causis oriatur sitis in peste, an externis, an internis.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο νεκρῶν πλέα ἦν αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων, ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ οἱ ἄνθρωποι, οὐκ ἔχοντες ὅ τι γένωνται, ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο, καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων ὁμοίως. νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον. περὶ τὰς ταφὰς, ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἠδύνατο, καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων διὰ τὸ συχνοὺς ἤδη προτεθνάναι σφίσιν. ἐπὶ πύρας γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον, οἱ δὲ καιομένου ἄλλου, ἄνωθεν ἐπιβαλόντες, ὃν φέροιεν, ἀπῄεσαν.

ET templa, in quibus tabernacula construxerant, mortuis erant plena, qui ibidem moriebantur: præter modum enim sæuiente malo, homines non habentes quid agerent, in eam mentem versi sunt, vt sacra, sanctaq; omnia pariter negligerent, legesq; omnes sepulchrorũ perturbatæ sunt, quibus antea vtebantur, sepeliebantq, vt quisque poterat, & multi ad impudentia sepulchra animũ conuerterunt penuria necessariorũ, quod iam frequentes sibi domestici ante occubuissent. In alienas enim pyras alij anteuertentes eos, qui extruxerant, & imponentes suũ mortuum, ignem accendebant, alij dum cremaretur alterum, suum ipsi cadauer, inijcientes, quod ferebant, abiere.

FABII PAVLINI COMMENTARIVS.

AMPLIFICAT adhuc ab adiunctis, & tantam fuisse vastitatem, ac stragem, & internecionem ostendit, vt non solum loca omnia profana cadaueribus essent referta, sed etiã sacra, & ipsa templa Deorum, in quibus præ locorum, & ædium inopia, quasi violata religione coacti fuerant sibi tabernacula constituere, in quibus, cum passim vi morbi nimium augescente, & vires colligente morerentur, ac caderent habitantes, replebantur ipsa templa cadaueribus, neque præ inopia rerũ ad funus, & exequias necessariarũ quisquam erat, qui efferret, sed omniũ rerum orta perturbatio, atque confusio animos quoque ad negligentiam, contemptumq; legum humanarum, diuinarumq; conuerterat, vt iam nihil sacrum, nihil sanctum, nihil religiosum adeo esset, vt eius ratio haberetur, præsertim in sepeliendis mortuis, de quibus cum quædam extarent leges, & ritus, omnes violati sunt, quod amplificat, & probat exemplis, cum scilicet non quemadmodum deberet quisque, aut vellet, sed quoquo modo posset etiam sine vllo pudore, aut verecundia suos mortuos efferret, & cremaret: licet enim omne æquum, & fas postularet, vt quam quisque suis sumptibus sibi, ac industria parasset pyram, ea vteretur, tamen violato iure, & sanctitate religionis, alius, qui anteuertisset, abutebatur, & igne subiecto alienos mortuos, & cadauera cremabat, vel si etiam auctorem pyræ, & dominum, incenderet

cenderet sæpe alius, & quiuis fortasse terræ etiam filius repẽte iniectus à deferentibus suos passim omnibus, ardebat, & ignoratos cineres cum suis carissimis, qui pyram extruxerat, colligere cogebatur.

ἐσκήνοντο, Tabernacula collocarant.] Deductum à σκηνὴ, idest, scena, verbum σκηνῶ, quæ à σχῶ, idest, contineo, dicta ἡ κρατοῦσα, καὶ φυλάττουσα ἡμᾶς, locus, qui nos continet, ac tuetur. Præclare vero ad significandam vitæ temporariæ breuitatem vsus est verbo à scenis deducto, quasi scilicet fabulæ similis esset in scenis recitatæ, ac tragœdijs ille euentus subitus nunc viuentium, ac florentium, paucis post horis, vel diebus miserè iacentium, ac perfunctorum hoc vitalis peregrinationis momento: quæ quidem similitudo eleganter solet à magnis viris, & oratoribus vsurpari ad vitæ breuitatem significandam. Sic Cicero de Senectute ait: Hi mihi videntur fabulam ætatis peregisse, neque tanquam inercitati histriones in extremo actu corruisse. Et alibi etiam comparat senectutem, & finem vitæ actui scenæ. Quinimo ipsum corpus nostrum appellatur σκῆνος, & σκήνωμα, teste Etymologici auctore, παρὰ τὸ σκηνὴν εἶναι τῆς ψυχῆς, quòd sit quasi quædam scena, & tabernaculum animæ. Omnem vero hanc in templis habitantium turbam agrestium fuisse, & aduenarũ ostendit Lucretius, qui æditorum auaritia fortasse, & lucri cupiditate abuti permittentiũ templorum ipsis spatijs, in ipsis tabernacula collocarant. Ita enim ait ille:

Scenę cõparata humana vita.

Omnia denique sancta Deùm delubra replebat
Corporibus mors exanimis, onerataq; paßim
Cuncta cadaueribus cælestum templa manebant,
Hospitibus loca, quæ complerant æditüentes.

αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων, Ibidem commorientium.] Aemytius Portus dicit latenter accusari hoc loco Deos suos, qui nullam opem tulerint morientibus quasi in sinu, & complexu suo, in templis nimirum. Sed ego potius existimo significare Deorum tacitam vindictam, atque ultionem, qui spreti ab illis ibidem commori eos permittebant, & tot calamitatibus implicari, ac miserijs patiebantur, ut ibidem pœnas darent, ubi impietatem admisissẽt, & religionem uiolassent templorum in profanos usus usurpato domicilio.

ὑπερβιαζομένου, Supra modum cogente.] Αἰτιολογία, cur scilicet

licet in templis passim nulla habita sacrarũ rerũ ratione, aut habito Diuis debito honore, in templorũ ipsis tabernaculis procumberent, & mortui iacerent: quia scilicet uis morbi tanta erat, ut omnẽ illis cultum, metumq; Deorũ expectoraret, & commota mente ad impia quæque facinora impelleret, & ad contemptum diuinarum quarumcumque rerũ, & humanarum: nam templorum sanctitas uiolabatur profano cultu, & mortuis cadaueribus, neque religioni habebatur sacras etiam etiam res ad profanos usus adhibere, & alia huiusmodi scelera patrare, & his se inquinare parricidiis: quod etiam ui doloris tribuit Lucretius, qui ita ait:

Nec iam relligio Diuûm, nec numina magni
Pendebantur enim, præsens dolor exuperabat.

Καὶ ἱερῶν, καὶ ὁσίων. Et sacra & sancta omnia.] Differunt hæc duo inter se sacrum & sanctum, ἱερόν est, εἰς τιμὴν θεοῦ ἀποτετμημένος τόπος, in Dei honorem præcisus locus, Romani latius omnia diuino cultui mãcipata, sacra appellabant, ait enim Trebatius quicquid deorum ergo habetur, sacrum est, siue ædes, siue ara, vel signum, locus, aut pecunia, siue quicquid aliud more, institutoque ciuitatis rite dijs consecratum foret, a quibus vero fieri posset consecratio legendi sunt Iurisconsulti, & Alexander ab Alexandro Gen. dierum lib. 6. cap. 14. idem vero sacrum, ac religiosum erat quodammodo, licet hoc verbum sit latius, de quo Aulus Gell. lib. 4. cap 9. & Macr. lib. 3 cap. 3. & origo templorũ, ac sacrarum ædium a sepulchris deducta est, testibus Eusebio ac Lactantio, quos citat Lilius Gregorius Gyraldus de vario ritu sepeliendi & Clemens Alexandrinus testatur superstitione victos animos vocasse templa, quæ prius hominum sepulchra fuerant condita magnificentius, vt in Arce Atheniensi (ne longius abeamus ab Historico) Cecropis sepulchrum fuit testante Antiocho in nono Historiarum, & in Templo Palladis, iacebat Erichthonius, sanctũ vero teste Vulpiano de verb. sign. dicitur illud, quod neque sacrum, neque profanum est, sed sanctione aliqua firmatum, vt sanctæ leges, idest, sancitæ & confirmatæ, vel sanctione roboratæ, vel (vt ait Macrobius 3. cap. 3.) quæ non debent pœnæ sanctione corrumpi, græce dicitur ὅσιον ab ἅζομαι, quod est σέβομαι, idest, veneror, quasi ἅσιον; ut leges sanctæ dicuntur, idest, venerandæ.

Sacra quæ sint.

Sanctum quid sit.

καὶ

ὅσιον siue sanctũ tribusmodis potest intelligi.

Καὶ ὁσίων. Sancta.] Tribus modis hoc loco explicari hoc verbum commode potest, triplexque aptari sensus. primus vt supra dictum est quòd significat sancta omnia, quasi coniuncta sacris. Secundus ut interpretemur profana, sic enim græci dicunt ὅσιον χωρίον, i. profanum locũ, βέβηλον καὶ μὴ ἱερὸν, quo vsus Aristophanes in Lysistrata, ὦ ποθεινὴ ἀληθεία ἐπίσχες, τοῦ τόκου ἕως ἂν ἐς ὅσιον ἀπέλθω χωρίον, idest, o venerãda Lucina præsis partui, quoad in profanum abeat locum, sic ὅσια χρήματα, idest, pecuniæ nõ sacræ, vt Hyperides χρήματα τάτε ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια. pecuniæ sacræ, & profanæ, sic Isocrates τοῖς ἱεροῖς καὶ τοῖς ὁσίοις, sacris, et profanis, sic Demosthenes etiã vsus, & alij quamplurimi coniungentes hæc duo quasi ἀντίθετα. Didymusque teste Suida dicit διχῶς λέγεσθαι τὸ ὅσιον τότε ἱερὸν καὶ τὸ ἰδιωτικὸν, idest, dupliciter dici sanctum, & sacrũ, & priuatum, quod alius dixit, τὰ δημόσια ὅσια, idest, popularia profana: qua etiam notione sanctum dici apud latinos testatur Macrobius lib. 3. cap. 3. vbi ex auctoritate & testimonio Trebratij in decimo Religionum refert sanctum interdum esse idem, quod sacrum, idemque quod religiosum, interdum aliud, quod nec sacrum, nec religiosum est, sed incorruptum.

Vt sancta ad vos anima atque istius nescia culpæ,
Descendam. ——————

Quamuis etiam sacrum, & religiosum vsurpetur contrario sensu. sic Maro.

Auri sacra fames.

Sic versus ille religentem esse oportet religiosum nefas, i. superstitiosum, hoc vidit Portus qui interpretatus est, sacra & profana. Tertius demũ vt intelligatur de iustis, q̃ persoluunt mortuis, sic Suidas interpretatur, ὁσία ἡ ἐπὶ θανάτῳ τιμὴ, honor, qui debetur morti: & mox ὁσίαν κηδείαν, idest, funus, & funebria, sic Etymologici auctor ĩ verbo ἀφοσιώσας, &c. quare quidam ceremonias intelligunt significari, ac ritus, quib. vterentur in sepeliendis mortuis, & hoc videtur modo intellexisse Scholiastes Græcus, qui admonet legi posse etiam θηλυκῶς, idest, fœminino ritu, ὁσιῶν, nam ὁσίων est, οὐδετέρως, à neutro, τὸ ὅσιον, Henricus Stephanus in suis Scholijs, ac notis tam in ipsum contextũ, quam in Scholia Græca reijcit Scholiastes hanc sententiã, quòd sit scribendum ὁσιῶν, à fœ-

fœminino, duasque affert in posterioribus causas, quibus id non probat, primo generum dissimilitudinem, quia si rectè dicitur ἱερὰ καὶ ὅσια, non pari pacto dicetur ἱερὰ καὶ ὅσίαι, quæ præter diuersitatem generis, habent aliud discrimen, quòd alterum substantiuum, alterum est adiectiuum. Secundo qa non vt ἑνικῶς, idest, singulariter dicitur οὐχ ὁσίη, ita numero multitudinis πληθυντικῶς, dicitur rectè οὐχ ὅσίαι, neque versum allatum Homeri, id probare qui dicit.

οὐχ ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν

Οὐκ ἔχοντες ὅτι γένωνται. Non habentes quid agerent.] Cōfusam mentem, & perturbatam significat, qua abalienati quodammodo, & insanientes non ui morbi, (quamuis symptoma sit pestilentiæ quoque commota mens, sed de sanis adhuc loquitur) sed diuina ira, quæ vbi primum pœnas repetit a sceleratis hominibus spretæ relligionis, & uiolatæ, mentem illis eripit, & consilium.

Leges sepulchrorum variæ

Καὶ νόμοι. Et leges.] Iura, & leges sepulchrorum apud omnes gentes maximi semper habita momenti; sed potissimū apud Græcos & Romanos, & variæ apud veteres de ritu sepeliendi, & de sepulchris, & eorū sanctitate, ac de mortuis leges, & ritus recitantur, quas non erit alienum hic colligere, vt locus iste totus magis illustretur: ex Platone in Minoe colligitur primo Antiquos Athenienses defunctos domi sepelisse, quod etiam de Romanis constat, vnde larium & penatum religio remansit, qui ea de causa à gentibus colebātur, verum ea mox consuetudo, & ritus tum apud Græcos tum apud Romanos lege duodecim tab. sublata est, & antiquata, ut tetra, ac fœda. hominem mortuum in urbe ne sepelito, neuè vrito, quę citatur à Cicerone 2. de legibus: quare etiam nomina quædam remanserunt, vt efferendi, græcè προθέσεις, ἐκφοραί, quatuor de causis, primo ne tabes aerē Vrbanum inficeret, & daretur occasio pestilentiæ, secūdo, ne licentia familiari sepeliendi daret delinquēdi, & occisos occultandi occasionem, tertiò vt transeuntes Viatores ad laudes accenderent, & ad pręclara obeunda ꝑ patria admonerentur, quartò, quod addit Cicero, ne rogi ignib. vrbs aliquando conflagraret, Vestales tantum, & Imperatores hac lege immunes reseruati, & quidam ob virtutis priuilegium, ut de Fabricijs, & Valeriis, Publicola, & Tuberto dicit

Antiqui domi sepeliebant.

Extra vrbem sepeliebãt græci.

Cicero 2. de legibus. Quod vero greci extra vrbẽ sepelirent, & præsertim Athenienses, id demonstratur Aeschinis testimonio, qui Timarchum quendam vniuersum patrimoniũ profudisse ostendit, neque illi etiam fundo pepercisse, quẽ mater orauerat, ne abalienaret, ut si nihil aliud inde commodi caperet, saltem mortua haberet, vbi sepeliri posset, & Platonis, qui in duodecimo de legibus vetat fieri sepulchrũ in loco fœcũdo, & apto ad culturam, ex agro culto, eoq; qui coli possit, dicit Cicero, vllã partẽ sumi sepulchro vetat, & Marcellini, qui in vita Thucydidis dicit illius sepulchrũ fuisse extra Vrbem prope cyllam, & apertissimè à Seruio sulpitio in quarto epistolarum fam. vbi certiorem facit Ciceronem de interitu Marcelli. Ab Atheniensibus locũ sepulturæ intra Vrbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione se impediri dicerent, neque tamen id antea cuiq̃ concesserant, quod proximum fuit, vti in quo uellemus gymnasio eum sepeliremus, nobis permiserunt, nos in nobilissimo orbis terrarũ gymnasio Academiæ locum delegimus, ibiq; eum combusimus, postea que curauimus, vt iidẽ Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Primumq; consuetudo fuit terra humãdi ꝙ Cicero testatur. Athenis ille mos à Cecrope, ut aiunt permansit corpus terra humandi, quam cum proximi fecerant, obductaq; terra erat, frugibus obserebatur, vt sinus, & gremium quasi matris, mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum, vt viuis redderetur: quare apud Xenophontem octauo pædiæ Cyrus mandat corpus suum terræ mandari sine auro & argento, ait enim, τὸ δ᾽ ἐμὸν σῶμα ὦ, παῖδες ὅταν τελευτήσω μήτε ἐν χρυσῷ θεῖτε, μήτε ἐν ἀργυρῷ, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε, idest, corpus meum filij, cum obiero neque in auro collocate, aut argento, sed terræ quamprimum reddite, sic Numam Regem conditum narrat Cicero, qui hunc morem vehementer laudat. At mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur, redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur, eodemq; ritu in eo sepulchro, quod procul ad fontis aras regem nostrum Numam conditum accepimus, gentemque Corneliam vsque ad memoriam nostram hac sepul-

Humandi mortuos mos antiquissimus

pultura ſcimus eſſe vſam : Duas alias leges apud Aelianum Inuenio atticas de humãdis corporibus, ita enim inquit lib. 5. νόμος καὶ οὗτος ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας, καὶ τοῦτο δ᾽ ἦν φυλαττόμενον παρ᾽ αὐτοῖς, ideſt, lex & hæc attica eſt quicunque in inſepultum corpus inciderit hominis, inijciat illi terram, ſepeliat vero ad occidentem reſpiciẽtes, & hoc ſeruabatur ab his, maxima enim (quod ad primum attinet) erat apud illos cadauerum cura, vt ſepulturæ mandarentur præſertim vero eorum, qui in bello occubuiſſent, adeo vt ſi quis ducum bello peremptos ſepulcho honeſtare neglexiſſet, capitis etiam pœna puniretur, & Nicias Athenienſium Imperator omnem ſubſiſtere fecit exercitum, vt duos tãtum peremptos milites ſepeliret, Chabrias profligatis ad Naxon Spartanis amiſit occaſionem delendæ vniuerſæ claſſis hoſtilis, vt cadauera legeret. Cimonq; filius Miltiadis ſe captiuum exhibuit pro patris ſepultura : quare etiam ad ſummum ſupplicium irrogabatur ſepulturæ priuatio, eccleſia etiã impietatis dãnatos priuat iure ſepulturæ, & apud Iuriſconſ. priuatio ſepulturæ eſt maxima pœna l. 1. in fi. C. de his qui parentes, aut liberos occiderunt. apud Græcos (vt teſtatur Xenophon. 2. ἑλλην.) Sacrilegi, & Proditores, quibus nullum maius excogitari ſcelus poteſt, ſepulturæ priuatione damnabantur, vt de Phocione conſtat, & alijs reis proditionis, quorum cadauera extra fines atticos proiecta, quod & ex noſtro patet Thucydide, qui in primo dicit Themiſtoclis oſſa ab amicis clam in attica ſepulta, κρύφα ἀθηναίων, quia, ſcilicet. οὐκ ἐξῆν θάπτειν ὡς ἐπὶ προδοσίᾳ φεύγοντος, ideſt, (ut verbis vtar Aemylii probi idem ab hoc acceptum referentis in uita Themiſto.) quoniam legibus non cõcederetur ſepeliri, quòd proditionis eſſet damnatus, quæ verba Thucydidis Marcellinus pronũtiat de ipſo Thucydide in eius vita, quare apud Sophoclem Menelaus uetat ſepulchro condi Aiacem ſuſpectum proditionis exercitus : ſic etiã eos ſepulturæ honore priuabant, qui ſe ipſos interfeciſſent, quia ſcilicet, (ut aiebat Pythagoras, & repetiuit Cicero de ſomnio ſcip.) non eſt iniuſſu Imperatoris ex ſtatione & prеſidio decedendum, qđ ẽt Gyraldus annotauit, quaſi (inquit ille) ex Egiſippo non expectantes Dei patris imperium, merito

Qui ſepulturæ honore priuarentur.

matris gremio hoc est ſepulcro priuati, ſic parricidæ & matricidæ: quare etiam extat apud Euripidem generalis lex de non violandis mortuis in Antigona, κἀκεῖνο κέκριται, μὴ ἐφυβρίζεσθαι νεκρούς, ideſt, illud & conſtitutum eſt mortuos non eſſe violandos, hæc à Solone conſtituta lex, ſic enim in eius uita Plutarchus, ἐπαινεῖται δὲ τοῦ σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν, καὶ γὰρ ὅσιον τοὺς μεθεστῶτας ἱεροὺς νομίζειν, καὶ δίκαιον ἀπέχεσθαι, τῶν οὐκ ὑπαρχόντων, καὶ πολιτικὸν, ἀφαιρεῖν τῆς ἔχθρας τὸ ἀΐδιον, ideſt, laudatur & Solonis illa lex, quæ vetat maledicere mortuo, pium enim eſt mortuos ſacros exiſtimare, & iuſtum eſt abſtinere ab iniuria eorum, qui non ſunt, & ciuile auferre ab inimicitiis immortalitatē, de uiolatione autem ſepulchrorum extāt multæ leges apud Roman. & multa exempla, quot uero modis uiolentur declarat Tholoſanus in iuris ſyntagmate. lib. 34. cap ult. Quod uero attinet ad ſecundum de uertendis cadaueribus ad oriētem, Polybius lib. 8. hiſto. auctor eſt apud Tarentinos id religioſiſſimè obſeruatū, cū ēt dicat totam ideo Ciuitatis partē orientalem fuiſſe plenam monumentis, τὸ γὰρ πρὸς ἕω μέρος τῆς τῶν ταραντίνων πόλεως μνημάτων ἐστὶ πλῆρες, i. pars ea Tarētinorum ciuitatis, quæ ad auroram ſpectat monumentis plena eſt, & illud maxime comprobat Solonis factum de Salamina, quam ut probaret iuſte ab Athenienſibus poſſideri, κατασκάψας (inquit Laertius) τινὰς τάφους ἔδειξε τοὺς νεκροὺς πρὸς ἀνατολὰς ἐστραμμένους, ὡς ἦν ἔθος θάπτειν ἀθηναίοις, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς τοὺς τάφους πρὸς ἕω βλέποντας, ideſt, erutis quibuſdā ſepulchris oſtendit mortuos ad orientem conuerſos, ut moris eſt Athenienſibus ſepelire, & ipſa ſepulchra ad auroram idē dr̄ ēt à Plutarcho, in quo tn̄ inoleuit error, vt ēt in Luciano ſupra cum dicat πρὸς ἑσπέραν, de Athenien. cum dicēdū, πρὸς ἕω Verū cū apud Athenien. funerū ac ſepulchrorū magnificentia ad luxum vſque increbuiſſet, Demetrius eam lege minuit, vt teſtatur Cicero 2. de legibus, non ſolum pœna, ſed etiam tem pore, ante lucem enim iuſſit efferri, & ſepulchris nouis finiuit modum: nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui niſi Columellam tribus cubitis ne altiorē, aut menſam, aut labellum, & huic procurationi certū magiſtratum præfecit, mox inuectus mos urendi, cuius meminit Lucianus in diſputatione de luctu, & Homerus in 1. Iliadis vbi dicitur, quòd,

Athenienſes vertebāt ſepulta cadauera ad oriētem.

αἰεὶ δὲ

αἰεὶ δὲ πυρκαὶ νεκύων καίοντο θαμειαί, idest,
Ardebantque pyræ flamma crepitante frequentes.

Et in 6. vbi Patrocli corpus vritur, mox sepulchro mandat, huius instituti causam eam fuisse nõnulli dñt, q͂ in bellis ab hostibus erui cognouerunt, & ideo ne periculum hoc subirent inuentum, vt vrerentur, quod fortasse apud Romanos potuit euenisse, nam constat Scyllam dictatorem primum ex gente Cornelia voluisse cremari, veritum talionem èruto C. Marij Cadauere: vt Pli. testatur lib. 7. cap. 54. vbi etiam ipse huius nostræ est opinionis auctor, qui ait ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti, terra cõdebantur, at postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tũc institutum. Eustathius in Hom. duas affert causas huius ritus, primam, πρὸς ἔνδειξιν τοῦ τὸ μὲν θεῖον τοῦ ἀνθρώπου ἀναφορηθὲν ὥσπερ ἐν ὀχήματι τῷ πυρὶ προσμίξαι τοῖς οὐρανίοις, τὸ δὲ γήϊνον κάτω μεῖναι, idest, ad demonstrandum, quòd hominis diuina pars elata tamquã in vehiculo igne cęlestibus admisceretur, terream vero infra manere, alteram, πρὸς ἁγνισμόν, idest, ad purificationem, quia scilicet, igne purgaretur, quod Euripidis & aliorum probat testimonio, Græcus Homeri Scholiastes eandem videtur innuere, cum dicat antiquitus corpora mortuorum cremata, διὰ τὸ ἀπέριττα γίγνεσθαι, idest, vt uacua à recrementis essent: vnde uero apud Græcos vrẽdi hic mos, & cremandi corpora consuetudo fuerit profecta, ibidem Eustathius, & etiam alter Græcus Scholiastes Homeri narrant, nempe ab Hercule, qui primus necessitate adactus cremauit Argiuum Lycimnij filium, cum enim Hercules colligeret exercitum profecturus Ilium, ad vindicandam Laomendõtis perfidiam, qui sibi promissos equos ob seruatam Hesionem filiam à monstro Cete, nolebat persol uere, petijt hunc sibi à patre socium ac familiarem dari, cum inficiaretur pater, quippe qui alterum filium amiserat sub ipso Hercule apud Lacedęmonem Ponum nomine, Hercu les iure iurando pollicitus est se eum illi restituturum, ac reducturum, cum vero hic occubuisset (vt fit) in itinere, quo iure iurando quo uis modo solueretur, & promissa patraret, illum combussit, & cineres, atque ossa patri reddidit, ex qua etiam historia colligit Eustathius, & notat alium ritum græcorum, quòd scilicet, sola ossa reseruabant, & sepeliebant in cre-

Mos vrendi corpora cur & quãdo iuectus

crematorum memoriam, ἕλληνες τοὺς νεκροὺς ἔκαιον τὰ ὀστᾶ μόνα κατέχοντες, καὶ θάπτοντες εἰς μνήμην τῶν καιομένων, vbi etiam hic auctor aliud ad rem nostram maximè accommodatum notat, quòd scilicet, præcipuo quodam priuilegio pestilentia correptorum corpora cremabantur, vt in eo bello, cœteri, qui occubuissent canibus relinquerentur, & vulturijs præda, vt in eodem primo libro testatur Homerus.

——— ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι,
οἰωνοῖσί τε πᾶσι, ———

& alibi etiam vt in 5.

—— πολλοὺς δὲ κύνες, καὶ γῦπες ἔδονται,
Τρώων. ——— idest,
Multosque canes, & rostro vultur adunco,
Troianos lacerabit, &c.

Patria lex Athen. cremandi corpora.

Patriam hanc Atheniensium legem cremandi corpora dicit Thucydides noster in superioribus, vbi agit de ritu sepeliendi publicè mortuos pro patria in bello: nam cum dixisset, πατρίῳ νόμῳ χρώμενοι, idest, patria lege utentes, Scholiastes grecus, ita explicat, τὸν πάτριον νόμον πληροῦντες περὶ τῆς τῶν ἀθηναίων ταφῆς, δηλονότι καύσαντες τὰ σώματα, οὗτος γὰρ ἦν νόμος ἀθηναίοις, καὶ πᾶσιν ἕλλησιν, idest, patriam legem implentes de Atheniensium sepultura, uidelicet cremantes corpora. Hæc enim erat lex apud Athenienses, & omnes Græcos, quod etiam significauit Sillius Italicus lib. 13. ubi breuissimè persequitur uarios sepeliendi ritus, ait enim.

Cecropidæ ob patriam mauortis sorte peremptos,
Decreuere simul communibus vrere flammis.

Ceremoniæ sepeliendi apud Græcos.

Quibus uero ceremonijs in sepeliendis uterentur ex Luciano, & Homero colligi potest: nam obolum dicit additum in ore mortui, quem danacem appellatum dicit Gyraldus à Danais, idest, uita functis, uel quòd δάνα, arida dicuntur: item de lauandis, ungendis, uestiendis, rebus odoratis apparandis, & aliis huiusmodi. Alexander dicit fuisse morem ut proximus sanguinis, dũ traheret animã ægrotus exhalantis spiritum osculo exciperet, flatumque hauriret, mox decedẽtis oculos, & ora clauderet, nefas esse existimantibus à uiuis morientium oculos spectari, idem dicit apud Græcos per decem & septem dies, totidemque noctes seruata corpora antequam cremarentur, ut Romani per septem tantum interim

rim ara constituta acerra dicta, in qua odores incendebant, idem ueste alba cadauer indutum fuisse testatur, quem etiã colorem fuisse luctus græcis dicit, scribunt quidam apud Argiuos, Syracusanos, Sicyonios idem seruatum, ut in ueste alba lugerent, pyras uero pro personæ dignitate fuisse uarie ornatas tradunt, ferali ante imò undique constituto cupressu, quem adhibitum quidam uolunt, ut grato odore nidorem cremati corporis abigeret, & temperaret: apud Romanos lege duodecim tabularum fuit cautum, ne de lignis politis extrueretur, quod etiam ex Solonis legibus desumptũ fatetur Cicero 2. de legibus vt cætera in duodecim tabulis, minuendi luctus, lamentationesque funeris translata sũt de Solonis fere legibus. Hoc plus (inquit) ne facito, Rogũ ascia ne polito, & mox extenuato sumptu tribus licinijs, & vinculis purpurę tollit etiam lamentationem, Imposito pyræ cadauere vestes odoramenta, & cara quædam illi imponebantur, & qui sanguine coniunctior facem auersus pyrę inferebat, & ardebat, interim amici, & coniuncti comas tõdebant, & in ignem inijciebant, ut in Parrocli funere factũ narrat Homerus, in quo etiam canes & serui cremati sunt, antequam vero cremaretur cadauer, oculi eius aperiebantur, ut cœlo paterent supini, interim mulieres lamentabantur, & facta præclara defuncti decantabant, quod genus lamentationis Græci Ialemum dicunt, Romani nænias, & interdum propinquus aliquis ex superiore loco mortui laudes concinna oratione prosequebatur, in quo genere cum inuectus esset mos barbarus inter mulieres, vt pectora percuterent, genas laniarent, & alia huiusmodi, quæ narrat Lucianus. οἰμωγαὶ, κωκυτὸς, δάκρυα, στέρνα τυπτόμενα, σπαραττομένη κόμη, φοινισσόμεναι παρειαί, ἐσθὴς καταῤῥηγνυμένη, κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πασσομένη, &c. i. gemitus, vlulatus, lachrymæ, pectora pulsata, diuulsa coma, sanguilentæ genæ, vestis discissa, & puluis capillis inspersus. Solon hæc omnia sustulit, & ad moderationem redegit, de quo ita Plutarchus in eius vita. εὐσταλεῖς ἐποίησε τὰς ἱερουργίας, καὶ περὶ τὰ πένθη πρᾳοτέρους θυσίας τινὰς εὐθὺς ἀναμίξας πρὸς τὰ κήδη, καὶ σκληρὸν ἀφελὼν, καὶ τὸ βαρβαρικὸν, ᾧ συνείχοντο πρότερον αἱ πλεῖσται γυναῖκες, τὸ δὲ μέγιστον ἱλασμοῖς τισὶ καὶ καθαρμοῖς καὶ ἱδρύσεσιν καθοργιάσας, καὶ καθοσιώσας τὴν πόλιν ὑπήκοον τοῦ δικαίου καὶ μᾶλλον εὐπειθῆ πρὸς ὁμόνοιαν

νοιαν κατέστησε, id est, frugalia instituit sacrificia, & circa luctus mitiora sacra, quædam statim immiscẽs ad exequias, & ablato duro ac barbaro more, quo prius utebantur mulierũ maxima pars, quod caput fuit, placationibus quibusdã, & expiationibus, & statuarum erectionib. ad mysteria, & religionem deducens vrbem iustitiæ obsequentem, & ad concordiam magis propensam, & accommodatam reddidit, quidã scribunt in luctu apud Græcos viros comam aluisse, mulieres totondisse: apud Romanos lege etiam uetitum lugere matronas, & eiulare, quam legem dicit Cicero, ut multas alia ex Solonis legibus eisdẽ propè verbis sumptas. Mulier genas ne carpito, neue lessum funeris ergo habeto, erat uerò lessus lugubris eiulatio. à Pittaco ẽt uetitam frequentiã asserit in luctu, ait enim, sublata etiam celebritas uirorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur, habet enim luctum concursus hominum, quo circa Pittacus omnino accedere quemquam uetat in funus aliorum. Vergilius elegãter in funere Miseni in 6. multa attigit, sed hæc erat priuati funeris põpa. Publici uero præclare ita describitur à Thucydide in hoc ipso secundo libro. Athenienses patria lege utentes publicè funus fecerunt eorum, qui in bello primũ mortem oppetiuerunt, hoc modo ossa mortuorum proponũtur, facto ante triduum tabernaculo, & infert suo quisq; cadaueri, quod vult cum vero efferũtur, arcas ex cupresso ducũt, vehicula ex singulis tribubus singula, in quibus insunt ossa singularum, unus uero thorus uacuus fertur stratus nõ extantium, quique inter cœsos inuenti non fuere, imponit autem qui uult siue ciuis, siue hospes, & fœminę adsũt propinquę in funere eiulantes, condunt uero in publico monumento, quod est in pulcherrimo urbis suburbio (semper enim ibi sepeliũt occisos in bello præter Marathonios, quibus ob singularem uirtutem ibidem struxere monumẽtũ,) vbi vero eos humauerint terra, vir delectus à Ciuitate, qui & doctrinæ opinione, & dignitate præcellat, habet laudationẽ consentaneam illorum meritis, qua audita abeunt. Pollux 8. lib. onomastici alterius ritus meminit Græcorum in mortuis, nempe vasis, quod ante fores ædium vbi iacebat cadauer, plenũ aqua ponebatur, quã se exeuntes abluebant, diceba turque, ὄστρακον ἀρδάνιον, ostra cum Ardanium ab ἄρδω, quod

Pompa funeris publici apud Athen.

quod est rigo eius hæc sunt verba, καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι ἐξιόντες ἐκαθαίροντο ὕδατι περιῤῥαινόμενοι, τὸ δὲ προὔκειτο ἐν ἀγγείῳ κεραμέῳ ἐξ ἄλλης οἰκίας κεκομισμένον. τὸ δ᾽ ὄστρακον ἐκαλεῖτο ἀρδάνιον, idest, & qui ad ædes lugentis perueniebant, exeūtes purgabantur aqua irrorati, hęc vero proposita erat in Vase figulino, ex alia domo allata, & hoc vocabatur ostracum ardanium, & ibi etiam dicit appellari περίδειπνον, ἐπὶ τῷ πένθει σύνοδον, idest, ad luctum conuentū, quod tamen a conuiuio, & epulo funebri dictum alij putāt, quod dabant potentiores, & qui conueniebant, parentes & lugentes consolabātur, cuius meminit etiam Lucianus in luctu, quod alio vocabulo dicebatur χοαί, vt nonnulli volunt, licet significet etiam aliud, Latini dicunt parentalia, & silicernia, quod silentio peragerentur, Donatus dicit esse cœnam, quę infertur dijs manibus, meminit ardanij, & huius ritus etiam Suidas, qui ita ait in verbo ἀρδάνιον, ἐτίθετο δὲ καὶ πρὸ τῆς θύρας τῶν τετελευτηκότων τοῖς εἰσιοῦσι καὶ ἐξιοῦσιν ἵνα περιῤῥαίνονται, idest, ponebatur etiam ante ianuam mortuorum ingredientibus, & exeuntibus, vt aspergerentur, apud eundem eodem in loco nempe lib. 8. onomastici alius ritus legitur nēpe quòd innuptorum monumentis puella constituebatur lauacrifora, ait enim. τῶν δ᾽ ἀγάμων λουτροφόρος τῷ μνήματι ἐφίστατο κόρη, ἀγγεῖον ἔχουσα ὑδροφόρον ἢ ὑδρίαν ἢ πρόχουν, ἢ κρωσσόν, ἢ κάλπιν, idest, innuptorum vero lauacri fora ad monumentum constituebatur puella, vas tenens aquigerum, vel hydriam, vel peluim, vel vrnam, vel situlam, additque hanc imaginem quæcunque ea fuisset ab Isæo appellatam, ἐπιστήμην: nam vulgo neutro genere dicebantur, ἐπιστήματα, & στῆλαι ἐπιτάφιοι, idest, colūnæ sepulchrales, & cuiuscumq; generis columnæ erigebantur defunctis, apud Aristophanē fit mentio in ἐκκλησιαζούσαις, alterius ritus, siue moris apud Græcos obseruari soliti, de coronandis scilicet mortuis: nā inducit virū conquerentē de vxore, q̄ mane diluculo surgēs abreptis illius indumentis eum quasi defunctū iam & mortuū reliquisset dicēs, μόνον οὐχὶ στεφανώσας, οὐδ᾽ ἐπιθεῖσα λήκυθον.

Modo non coronatum, additoque lecyto.

vbi Scholiastes in margine explicans verbum στεφανώσασα, addit εἰώθασι γὰρ τοῦτο ποιεῖν ἐπὶ τῶν νεκρῶν, idest, consueuerūt enim hoc facere in mortuis, & Cicero in oratione pro

Ostracū Ardaniū quid sit.

Mos coronandi mortuos.

L. Flacco idem docet Græcos facere solitos, exponens quid contineretur plebiscitis Smyrnæorum, quæ fecerant in Castritium mortuum: primũ vt oppidum introferretur, quod alijs non conceditur, deinde vt ferrent ephæbi, postremo vt imponeretur aurea corona mortuo, quam rem etiam annotauit Petrus Victorius, Var. lect. lib. 2. cap. 7. multa alia potuissem colligere, & obseruare in hoc genere, sed hæc in præsentia satis erunt, si harũ estis cupidi epularum legite libellũ supra memoratum Gyraldi, & Alexandrum ab Alexandro libro tertio, ex quibus multa adhuc poteritis expiscari.

Tribus de causis inuẽta sepulchra.

περὶ τὰς ταφὰς, Circa sepulchra.] Tribus de causis inuenta sepulchra possumus dicere; primũ, vt posteri admoneantur sibi etiam esse moriendum: deinde, vt admoniti de funere sancte sibi viuendum putent: tertio, vt arceatur cadauerũ aspectus fœdus, & odor, qui communem viuentium societatem possit lædere aere inquinato: quam potissimum causam fuisse dicit Seneca, cum viuorum non mortuorum causa inuentũ sit sepulchrum, quod maxime probat Franciscus Petrarcha de remedio vtriusque fortunæ, cap. vlt. Hanc vero legum, rituum, & ceremoniarum perturbationem in sepeliendo notat eleganter etiam Lucretius his versibus:

Nec mos ille sepulturæ remanebat in vrbe,
Quo prius hic populus semper consuerat humari,
Perturbatus enim totus trepidabat, & vnus
Quisque suum pro re consortem mæstus humabat. Sic Ouidius.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ,
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, etiam reuerentia nulla est,
Deq; rogis pugnant, alienisq; ignibus ardent,
Qui lachryment, desunt, indefletæq; vagantur
Natorum, matrumq; animæ, iuuenumque, senumque,
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.

ἔθαπτον δὲ, Sepeliebat vero.] Quomodo sepeliebant si cremabant? Sed quod supererat, nempe ossa, & cineres humabant, & tunc religionẽ incipiebat habere: nam priusquã gleba inijceretur, locus, vbi crematum corpus, nihil habebat religionis: iniecta vero tumulo gleba, & humatum, & gleba dicebatur, & multa religiosa iura obtinebat. Hæc terra, & gleba

gleba iniecta dicebatur à Græcis χοὴ, teste Suida, qui ita ait: χοὴ, καὶ χοαὶ ἡ ἀποχεομένη τοῖς νεκροῖς γῆ, idest, affusa mortuis terra. Licet paulo ante dicat χοὰς vocari ἐναγίσματα ἐπὶ τοῖς νεκροῖς, idest, expiationes pro mortuis, & mox θυσίαν νεκρῶν, sacrificium mortuorum. Dicebantur vero sepulti, tumulati, humati, conditi, funerati, siti: illudq; etiam apud Romanos discrimen, quòd funus dicebatur cadauer iam ardens, vel incensum, exequiæ, & pompa, dum efferretur, reliquiæ, & bustum iam crematum, conditum iam sepultum: lectuli, & lecti dicebantur, quibus cadauera ad sepulchrum deferebantur. Item feretrum, capulus, sandapila, loculus, Græcè λάρναξ: sepulchrum vero tumulus, Græcè χῶμα, ἡ σορὸς, & τύμβος, teste Polluce. Tumba, & diminute tymbia, & semitymbion: arca, cippus, olla, soliũ, puticuli, quòd fuisse sepulchrũ miseræ plebis dicit Varro lib. 4. de legibus, quòd quasi parui putei corpora continerent, vel quòd in eis corpora putrescerent. Hypogęum genus sepulchri, quod conditorium latine dicitur, seu conditiuum: est enim subterraneum, vt vis vocabuli significat, conchylia interdũ appellata, & ciboria testatur Gyraldus de uario ritu sepeliendi: quæ tamen non annotaui. choragium pro uirginali sepulchro apud Græcos, ut suggrundaria, seu suggrundia infantiũ sepulchra apud Latinos, qui xl. diem non excesserint: quæ nonnulli ἤρια dicũt Græcè appellari, licet ἠρίον sit generale sepulchri nomen. Mausoleum etiam appellatum, usurpato singularis nomine sepulchri ad uniuersale significandũ propter excellentiã.

Sepulchrorum varia nomina, & genera.

ὡς ἕκαστος ἠδύνατο, Vt quisque poterat.] Quando scilicet nequibant ut uolebant: uidetur enim tacite ad hanc sententiam respicere, quod scilicet ubi fieri quod uolumus non potest, ut possumus faciendum, & acquiescendum. Hanc uero sententiã Aristoteli tribuit Stobæus, qui ita inquit: Ἀριστοτέλης εἶπεν ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι ὡς γίνεται, idest, quoniã nõ fiunt res, ut uolumus, oportet uelle ut fiunt, quam Latinam Terentius in Andria fecit eleganter: Quæso ædepol Charine, quoniam id fieri quod uis non potest, uelis id quod possit, à qua non dissimile illud in eadem Comœdia, ut quimus aiunt, quando ut nolumus, nõ licet, quod uidetur expressum ex eo senario, qui apud Græcos circumfertur.

ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. ideſt,
Non viuimus enim vt volumus, at qui poſſumus.

Ad quod reſpexit Petarcha Hetruſco in Epig. xiv. ubi ait:

Vorrei più voler, e più non voglio,
Et per più non poter, fo quanto io poſſo.

Sed eleganter Arioſtus in Caſaria Comœdia Terentiũ imitatus expreſſit Actu 4. ſcena 9.

———————— Et ſe quel che deſidera
Non può hauer, quel che può hauer deſideri.

Huc uidetur ſpectare etiam illud adagium Græcorum, quo præcipitur, ſi non poſſumus bouem, aſinum ducamus.

εἰ μὴ δύναιο βοῦν ἔλαυνε ὄνον

Hanc rem ita expreſſit Lucretius:

Quiſque ſuum pro re conſortem mæſtus humabat.

ἀναισχύντους, Impudentia ſepulchra.] Hoc uerbum mere eſt poeticum, & Homericam redolet licentiam: conſueuit enim ille per metaphoram accommodare rebus ſenſus ex pertibus affectus ipſos hominũ, neque ſolum corporis, ſed etiam animi. Sic de Siſyphi ſaxo dicit λᾶας ἀναιδής, ideſt, ſaxum impudens, de quo magnopere laudatur ab Ariſtotele: habet enim neſcio quid metaphora σεμνὸν graue, & ἐξαλλάττον τὸ ἰδιωτικὸν, ideſt, excedens popularem modum loquendi, ac plebeium, quo maxime delectatus Thucydides; quare poetica eius iudicata eſt ab antiquis locutio; imò etiam in dubium reuocatum eſt, an poſſet uocari Poeta ratione phraſis: de qua re facit in eius uita mentionem Marcellinus his uerbis: διάγε οὖν τὸ ὑψηλὸν ὁ Θουκυδίδης, καὶ ποιητικαῖς πολλάκις ἐχρήσατο λέξεσιν, καὶ μεταφοραῖς τισί. περὶ δὲ πάσης τῆς συγγραφῆς ἐτόλμησαν τινὲς ἀποφήνασθαι ὅτι αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικῆς, ἀλλὰ ποιητικῆς, ideſt, etiam propter ſublime dicendi genus Thucydides poeticis ſæpenumero uſus eſt uerbis, & metaphoris quibuſdam. De tota uero ſcriptione auſi ſunt quidam affirmare, quòd ipſa idea ſcriptionis nõ eſt Rhetoricæ, ſed Poeticæ: cuius rei facit etiam in Poetica mentionem Robortellus: cur uero, & quæ uocet impudentia ſepulchra uidetur magnopere perpendendũ: nam Scholiaſtes Græcus interpretatur ἀλλοτρίας καὶ ξένας, ideſt, alienas, & peregrinas: quæ licet reprehendatur ab Henrico Stephano ita ſcribente, fortaſſe non hæc tantum ſcripſerat, ſed quę

Thucydidis locutio poetica iudicata.

dam adiecerat, alioqui certe debuit αἰσχύνεσθαι, dum illã uocem ἀναισχύντους ita exponeret: ego uero tantum abest, ut putem pudore affici debere Scholiastẽ, & erubescere, ut ille inquit, quòd ita exposuerit, ut potius audaculum ipsum existimem Henricum, qui hanc reprehenderit explicationem, quæ mihi maxime arridet, & germana uidetur: nam si pudor est secundum Aristotelem in 2. de Rhet. λύπη τις καὶ ταραχὴ περὶ τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν τῶν κακῶν, ἢ γεγονότων, ἢ μελλόντων, idest, molestia quædam, & perturbatio circa ea mala, quæ ignominiam, seu dedecus uidentur afferre siue præsentia, siue præterita, seu futura: ἀναισχυντία uero, idest, impudentia, est ὀλιγωρία τις καὶ ἀπάθεια περὶ αὐτὰ negligentia quędam, & imperturbatio circa eadem, cum uetitum esset legibus, & institutis ciuitatis, ut supra dictum, in alienum sepulchrum indere, & ignominiosum non gentili, & proprio sepulchro condi, profecto erat impudentia eorum, qui nõ amplius reuerebantur illam hominum reprehensionem in alienis sepulchris mortuos sepeliendi, & dedecus emergens ex non propria sepultura accepta, quod hominibus conueniebat ad sepulchra conuerso sermone: & circa mortuos impudentiam uersari eodem in loco innuit Aristoteles, cum pudore affici dicit homines, & ignominia notari, quòd ex mortuis aliquid fuerint lucrati, quod dedecus exagitatum etiam dicit prouerbio κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν etiam à mortuo aliquid auferre, & fortasse hoc significauit Thucydides, quòd scilicet sine ullo pudore locarẽtur sepulturæ, in quas præclarissimę cõdi familiæ cõsueßent. Quod uidet innuere Lucretius,

——————————— Et unus
Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.

Quæ sinimpudentia sepulchra apud Thucydidem.

Pro re, idest, pro facultate, redempto iure sepulchri: & hoc pacto conueniet, & consentanea erit definitioni impudentiæ à Theophrasto datæ in characteribus, vbi ita: ἀναισχυντία ἐστὶ καταφρόνησις δόξης αἰσχροῦ ἕνεκα κέρδους, idest, impudentia est contemptio gloriæ sordidi causa quæstus. Et eo magis placet explicatio, quia videntur illis sequentia verba Thucydidis fauere, vbi ait in alienas pyras suos mortuos imponere solitos, & incendere non expectato funere domini, qui pyram extruxerat: & quod de pyris, idem de sepulchris intelligendum. Illud vero verbum ξένας à Scholiaste positũ, significat

cat nõ solum hospitũ,& aduenarum, sed qui nõ essent ex ea familia,cuius esset ius sepulchri: illi enim dicebant ξένοι alieni à familia,quos non licebat in familiæ sepulchro condere: quare Nobilitas Thucydidis arguit ex sepultura: fuit.n.cõditus in Cela in Cimonis sepulchris,cũ columna ita inscripta:

Θουκυδίδης ὀρόλου ἁλιμούσιος ἐνθάδε κεῖται. idest,

Thucydides Oroli Halimusius hac iacet vrna.

Ait.n. Marcellinus, Εὑρίσκεται δηλονότι τῆ Μιλτιάδου γένους ὄντως, ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται, idest, deprehenditur ex prosapia esse Miltiadis vere. Peregrinus enim nemo ibi sepelitur, vbi ξένον vocat non eiusdem gentis, & familiæ, quos non fas erat gentilitijs sepulchris condi: erat vero impudentia, aut alienum admittere in gentilitiam sepulturam, aut vi in illas irrumpere, nec reuereri, vel etiam intellexit Scholiastes peregrinas,idest,factas in his locis, quibus non erat mos sepulchra faciendi, vt intra mœnia: quare cum foris propter populationis metum efferre non auderent, impudenter & in domibus,& in ædibus sacris condebant, violata consuetudine, & instituto veteri, vel explicandum impudentia sepulchra, pro iniuriosa, quæ scilicet cum aliorum iniuria essent coniuncta: est enim mater iniuriæ impudentia: quare Cicero in oratione de lege Agraria aduersus Rullum coniunxit hæc duo,iniuriam,& impudentiam in tanta iniuria,tantaq; impudentia quid spectarit.

θήκας, Sepulchra.] Supra enumerauimus multa nomina tum Græca,tum Latina,quibus sepulchrum ab antiquis fuerit appellatum: nam Græcè dictum est ἠρίον, μνῆμα, μνημεῖον, χῶμα, σορός, τύμβος. Varia vero forma,& ex varia etiam materia fieri solita,de quo consulendus Gyraldus.

ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, In alienas pyras.] Hoc est,quod supra innuit esse violatum. Lex enim erat Solonis. τάφον μὴ ἐξαλείφειν, μηδ' ἀλλότριον νεκρὸν φέρειν, idest, neque sepulchrum deleto,neque alienum mortuum inferto. Quod etiam legibus Romanorũ, & Prætoris vetabatur, & erat duplex actio in eum,qui violasset,ciuilis,& criminalis, de quibus Tholosanus in Syntag.lib.24. Hanc vero Solonis legem citat etiam Cicero in 2. de legib. vbi ita ait: De sepulchro autem nihil est apud Solonem amplius,quàm ne quis ea deleat,neve alienum inferat. Lucretius ita vertit hunc locum.

Multaq;

Multaq; vis subito, & paupertas horrida suasit,
Namq; suos consanguineos aliena rogorum
Insuper extructa ingenti clamore locabant,
Subdebantq; faces multo cum sanguine sæpe,
Rixantes potius, quàm corpora desererentur.

Manilius etiã attigit lib. 1. Astron. vbi meminit huius pestis.

———— Fessus defecerat ignis,
Et coaceruatis ardebant corpora membris.

Et Ouidius elegantissime totam hanc rem prosequitur.

Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus, neque enim capiebant funera portæ,
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos, & iam reuerentia nulla est,
Deque rogis pugnant, alienisq; ignibus ardent,
Qui lachryment desunt, indefletæq; vagantur,
Natorum, matrumq; animæ, iuuenumque, senumque,
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.

De varijs vero mortuos tumulandi ritibus, cum alij comburerent, alij suspenderent arboribus, alij exponerent, alij alitibus, alij canibus obiectarent dilacerandos, alij in flumina, & aquas proijcerent, alij in pulueres redacta comederent, alij integros esitarent, & alij alio pacto cõsumerent. Legendus Stobæus sermone cxx. Sillius Italicus lib. 13. & Lilius Gregorius Gyraldus de vario ritu sepeliendi, &c. Hæc vero consuetudo cremandi corpora durauit apud Romanos vsque ad Antoninorum tempora, quibus in plerisque desitum cremari corpora, & terra humari, ac condi sepulchro cœptum est. Nostris vero temporibus in magnis tantum pestilentijs adhiberi mos hic solet comburendi corpora propter multitudinem, ne inficiatur aer, alioqui igne absumi infelicissimum existimatur: quare pœnæ loco irrogari solet sacrilegis, & impijs. Sic apud Persas, & Aegyptios nefas habebatur mortuos comburere, de quo Stobæus sermone cxxij. ex Nicolai Collectaneis de moribus gentium: Persę enim ignẽ esse Deum existimabant: quare nefas putabant Deo cadauer humanũ offerre: Aegyptij alia ratione idem sentiebant: putabant enim esse animatã belluam ignem θηρίον ἔμψυχον, quæ omnia oblata deuoret, atque consumat, & cum est saturata ipsam, & quæ ab eo consumpta sunt, emori.

ΘΟΥΚΥ-

Πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐς τ' ἄλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομίας τὸ νόσημα, ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τις, ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶν τ' εὐδαιμόνων, καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων. ὥστε ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις, καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι, ἐφήμερα τά τε σώματα, καὶ τὰ χρήματα ὁμοίως ἡγούμενοι, καὶ τὸ μὲν προσταλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ οὐδεὶς πρόθυμος ἦν, ἄδηλον νομίζων, εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὴν ἐλθεῖν διαφθαρήσεται, ὅτι δὲ ἤδη τε ἡδὺ, καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὴν κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν καὶ χρήσιμον κατέστη.

PRimumq́, cœpit & ad alia in ciuitate maioris improbitatis scelera auctor esse morbus, facilius enim audebat quisque, quę prius occultabat, ne libidine patrare videretur, cum repentinã rerum cõmutationem aspicerent, & beatorũ subito tamẽ commorientiũ, & eorũ, qui nihil ante possidebant, repente eorũ bona consequentiũ. Quare velociter perfruendũ bonis, & ad voluptatẽ iudicabant momentanea, diemq; vix duratura & corpora, & bona pariter existimantes, & nemo ad obeundos labores pro eo quod videretur honestũ promptus erat, incertũ existimans, an priusquã id assequeretur, interiret: quod vero nouerat iucundũ, & ex omni sibi parte quęstuosum, hoc & honestũ, & vtile cõstituebat.

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

QVANTAM licentiam inuexerit in hominum cœtus pestilentia, in mortuis, tum cremandis, tum humādis elegantissime hactenus persecutus est, cum nihil esse dixerit tam sanctum, ac religiosum, quod non esset in profanos usus adhibitum, & uiolatum omne ius, & omnem ritum, ac consuetudinē in humandis cadaueribus. Nunc pergit denuo amplificare ab externis, nempe ad mortuos non pertinentibus, quantæ fuerit occasio audaciæ, & contemptus legum: ubi enim semel fines quis egressus est, & quasi lineam honesti, ac iusti transiliuit, facile in quoduis scelus sese demittit, atque præcipitat: ostendit enim ex hoc quasi prætextu, ac nomine necessitatis spernendi leges, & instituta sepulchrorum propter uim morbi sæuientis, & rerum necessariarum defectionem, atque inopiam, animos assuetos iam uiolandis ritibus, & legibus, hinc sumpta occasione ad omne genus sceleris, ac improbitatis descendisse, ac esse uolutatos in sordibus quibuslibet, & libidine, cum ea, quæ prius secreto (si quando uicti essent naturæ ad malum procliuis consuetudine, & ui libidinis faces admouentis) agebant, & perpetrabant, tunc aucta ad summum licentia, & cumulata magis atque magis impudentia, palam, & in publico admittere non erubescebant, sed audacissime, & impudentissime nihil dissimulantes, aut cælantes perpetrabant, ut stupra, incestus, uiolationes, & huiusmodi fœda: cum enim uiderent subitam esse,

ac momentaneam rerum vicissitudinem, ac commutationem, vt qui fortunati, felices, ac beati paulò ante haberentur ob diuitias, & bonam valetudinem repente morbo correpti interirēt, & alii inopes, scilicet & miseri magnas diuitias, uel hæreditario iure, uel testamenti, uel quauis alia occasione capientes statim fierent ex miseris beati, & hi denuo etiā simili casu mox ex apice felicitatis præcipitarent, in eam ueniebant sententiam, ut cum essent omnia caduca, & subito quasi umbra elapsura, & euolatura, quod liceret per fas (ut aiunt) & nefas bonis oblatis potirentur, deinde rursus amplificat huius abusus insolentiā à sublato omni uirtutis desiderio, atque studio, quo solerent ante homines incendi, atque efferri. Cum enim uirtus coniunctum habeat laborem: illi uero tunc omnia ad præsentem referrent uoluptatem, & lucrum, profecto nihil erat reliquum, cur pro uirtute labores, ac uigilias sibi tolerandas putarent, cum nequaquā sperarent posse illud assequi, quod esset propositum laborū præmium. Virtutis enim decus vulgo non per se, sed propter præmia expetitur. Totam vero hanc partem, quę sequitur, prætermisit Lucretius.

πρῶτον, Primum.] Adamatam notent adolescentes hanc particulam à Thucydide, & semper ferè positam absolute non habita ratione ad aliud, sic in superioribus sæpe. ἡ νόσος πρῶτον ἤρξατο γενέσθαι, & mox ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον. &c. Sic Latini etiam frequenter utunt̄ ponentes primū, sine alio, ordine subsequēte aduerbio Latino, ut mox, deinde, & est ἀναπόδοτον in uerbis atticorū familiare, ut etiam in sententijs frequentius, ut notauit Corinthus de dialectis, & Henricus Stephanus in eius in illum animaduersionibus. Vel etiam dici potest usurpatum hoc aduerbium pro illius opposito, & relatiuo, nempe deinceps, idest, & deinceps, hoc est, ab hoc malo initium factum est maioribus etiam malis, & occasio.

ἦρχε, Cœpit auctor esse.] Græcus Scholiastes ἀρχὴ γέγονε, initium fuit, & origo, ac si diceret ἀρχὴ κακῶν γέγονε, idest, hic morbus initium fuit scelerum, & malorum causa, in ciuitate, quia scilicet, vt de falsis Philosophorum dogmatibus pronuntiauit 1. Phys. Arist. contex. 10. ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος ἀνάγκη τ' ἄλλα συμβαίνειν, idest, dato vno inconsentaneo, necesse est plura alia consequi, ita in malis, & peccatis, vnum est multis, & plu-

& pluribus initium; quadam enim quasi catena, & affinitatis vinculo coniuncta sunt, vt sese mutuo attrahant, quemadmodum virtutes, quas quadam quasi ex annulis catena cõiunctas pendere dicit Galenus, vt qui vnam habeat, omnes habeat. Sic Ausonius eleganter in quodam epigramate dixit catenatos labores, quod negocium ex negocio seratur, sic chorus apud Sophoclem in Aiace significans labores laboribus cumulari, exclamat:

Mala, & peccata quasi catena coniuncta inuicem se sequunt.

πόνος πόνῳ πόνον φέρει, idest,

Labor labori laborem fert.

Et Homerus quoque dixit ad nostram sententiam hanc accommodatius:

—— πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικται. idest,

—— Vndique malum malo innititur.

Syntaxis vero horũ verborũ hæc est, & hoc pacto dirigenda. τὸ νόσημα ἦρξε ἀνομίας ἐπὶ πλέον, idest, πλέονος, vt Portus notat, ἦρξε ἐς τἄλλα τῇ πόλει, idest, morbus attulit initium impietatis maioris etiam ad alia (mala scilicet perpetranda) παρὰ τὰς ταφὰς præter sepulturas ante cõmemoratas Ciuitati; in hac vero sententia reddẽda discrepant Interpretes, & Valla quidem non videtur assecutus, aut recte expressisse, qui ita vertit, vnde primum incœpit in ciuitate vitium hoc in maius euasurum. Acacius melius, qui sic. Nec minus aliorum scelerum, flagitiorumq; principium fuit ista pernities. Euidentius Portus, qui sic. Hic autem morbus nõ solum hac in re, sed alijs etiam in rebus ciuitati maioris improbitatis fuit initiũ. Nec minus eleganter, aut perspicue reddidit in marginali annotatione Henricus Stephanus, qui ita, principiũq; attulit ciuitati hic morbus ad alia maioris improbitatis mala.

ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα. Facilius enim audebat.] In hac quoque sententia reddenda valde laborant interpretes. Valla nõ assequitur qui ita vertit, facilius enim quis audebat ea, quæ prius occulta voluisset, ne comperta forent inimicis voluptati, melius Henricus in margine, qui ita promptior enim quisque erat ad audendum ea, quæ prius dissimulabat se pro libidine patrare: quo pacto intellexit etiam Portus, qui ita vertit, facilius enim quilibet audebat palam facere, quæ prius pudore impeditus occultabat, ita ut ex animi libidine non patraret: quare Aemylius illius filius ita patrem secu-

tus syntaxim fieri vult, ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τις ποιεῖν, ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο, ὥστε μὴ ποιεῖν καθ᾽ ἡδονήν; sic nos quoq; vertimus secuti aliorum auctoritatem, & iudicium, sed si liceat libere, quid de hoc loco sentiam, exponere, arbitror esse hic atticismum, & abundare, παρέλκειν, particulam negatiuam μὴ, non, quod in Thucydide de οὐ, particula eiusdem naturæ adnotauit Corynthus in Dialectis, & supra etiam abundare ostendimus, & ita erit sensus clarissimus, atque ipsa œconomia, siue syntaxis ita facienda, ἐτόλμα καθ᾽ ἡδονὴν ποιεῖν, ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο, idest, audebat ex animi libidine patrare, quæ prius occultabat, sic videtur etiam intellexisse Acacius, qui ita vertit iam enim quisque apertius cupidini, cui antea recte adhæserat, obsequi audebat, qui etiam videtur locum hunc habuisse suspectum de mendo, cum asteriscum præfixerit huic clausulæ, & fortasse à librario imperito inuectã, & additam fuisse illã particulã, negandi opinari: quod fortasse contigit, vt sæpe solet. est vero αἰτιολογία, superioris membri, quo dicebatur magnam patefactam fenestram, atque aditum ad cætera flagitia, atque scelera ex illa occasione necessitatis violandi iura sepulchrorum, quia scilicet exẽplo hoc ad cæteras quoque leges cõtemnendas, violandasq; adducebantur sublato metu pœnæ, quam sibi à nullo irrogari in hoc peccato animaduertebant.

ἐτόλμα. Audebat.] Audacia sublato metu succedit, & recte Thucydides cum prius pudoris fecisset mentionem, à quo in impudentiam fuerant homines delapsi, nunc meminit audaciæ, quæ sublato, & eiecto metu, ac timore legum ingruit, & se se insinuat in humana pectora: neque mirum ablatis pudore, & metu omnia fuisse perturbata, cũ hi duo sint legũ constituti custodes, vt præclare Plato in 5. de Rep. ostendit ἱκανὼ τὼ φύλακε κωλύοντε δέος τε καὶ αἰδώς, idest, idonei duo custodes prohibẽtes iniurias timor, & pudor, quod etiam elegantissime in Aiace Mastigophoro Sophocles, ostendit his versibus, quibus Teucrum increpat Menelaus,

Οὐ γὰρ ποτ᾽ οὔτ᾽ ἂν ἐν πόλει νόμοι καλῶς,
Φέροιντ᾽ ἄν, ἔνθα μὴ καθεστήκοι δέος,
Οὔτ᾽ ἂν στρατός γε σωφρόνως ἄρχοιτ᾽ ἔτι,
Μηδὲν φόβου πρόβλημα, μηδ᾽ αἰδοῦς ἔχων.

Leges enim numquam bene procederent

In

In Ciuitate, si absit illarum timor,
Nec iam regi rectè valeat exercitus,
Nullum pudorem habens, metumve præ oculis.

ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν. Repentinam rerum commutationem.] Verba maximè accommodata ad inconstantiam fortunæ, & momentaneam fluxarum rerum permansionẽ declarandam, & est argumentum vulgi, quo se ipsum ad voluptates excitat, & inflammat, sapientis enim dicunt esse perfrui oblatis bonis, & vsurpare felicitatem præsentem, quòd si periculum immineat, ne auferantur, & abeant, minime cunctandum; sed oblatam occasionem arripiendam, quæ cum calua sit, nec apprehẽdi elapsa è manibus rursum possit, sola expectantes manet pœnitentia: & ideo se ipsos ad bona præsentia perfruenda, ac degustanda, tamquã mox fugitura repente incendebant, & cohortabantur, imprudẽtiæ notam, & maculam subire se arbitrantes, si prætermitterent. est vero hæc clausula ex illis theatralibus, quæ numerum sua sponte efficiunt, est enim constituta ex antithetis, quæ dicũtur ἀντικείμεναι λέξεις ab Hermogene, quæ partim sunt ὑπάρχοντα, idest, vera antitheta, partim φαινόμενα tantũ, apparentia, & ex his quæ similiter desinẽtia, & cadẽtia, à Græcis ὁμοιοτέλευτα, & ὁμοιόπτωτα vocantur, εὐδαιμόνων) (οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, αἰφνιδίως θνησκόντων) (εὐθὺς τ' ἐκείνων ἐχόντων, quæ postrema, tantum φαινόμενα, non vera antitheta.

αἰφνιδίως θνησκόντων. Subito commorientium.] Dupliciter locum hunc possumus explicare, & intelligere, nempe vel de exiguo tempore videlicet tridui ad summum, quo interuallo magnam partem perijsse demonstrari ex ægrotis potissimũ Hippocratis, quos proponit in tertio, & alibi potest, quod tempus videretur ita breue, vt esset subitum, vel de vere subito, & repentino interitu, quem in pestilentijs sępenumero scimus euenire nullo morbo præcedente, & ne suspitione quidem, & hæc etiam explicatio videtur esse opportuna, & maxime accommodata, in quo duo sunt nobis præstanda. Primum vt doceamus, quòd in pestilentijs id vsu euenire frequentissime consueuerit, vt aliqui repente concidant, alterum, vt qua de causa id fiat, ostendamus, aut saltem quæramus, & inuestigemus: quod ad primum attinet testes primum laudabo Poetas, antiquissimum è doctis (vt inquit

In pestilẽtijs mortes subitæ frequẽtes incidunt.

Probatur testimonio poetarum.

inquit Cicero) qui omnes in descriptionibus pestium hoc factum attigere, nosterq; Maro princeps, & Antesignanus prodeat, qui ita testatur.

Sæpe in honore Deûm medio stans hostia ad aras,
Lanea dum niuea circundatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros,

Ouidius pluribus more suo, & eleganter expressit lib. 7.

——— Quis non altaribus illis,
Irrita thura dedit? quoties pro coniuge coniux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dixit,
Non exoratis animam finiuit in aris?
Inque manu thuris pars inconsumpta reperta est?
Admoti quoties templis dum vota sacerdos,
Concipit, & fundit purum inter cornua vinum,
Haud expectato ceciderunt vulnere Tauri?
Ipse ego sacra Ioui pro me, patriaque, tribusq;
Cum facerem natis, mugitus victima diros,
Edidit, & subito collapsa sine ictibus vllis,
Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros,

Quod etiam paulò ante attigerat dicens,

Inque feris subiti deprehensa potentia morbi est,
Concidere infelix validos miratur arator,
Inter opus Tauros, medioq; recumbere sulco,

Et quæ sequuntur. Lucanus quoque lib. 6. idem euenisse in sua peste testatur.

Iam magis atque magis præceps agit omnia fatum,
Nec medij dirimunt morbi vitamq; necemq;,
Sed Languor cum morte venit, ———

Ioannes Boccacius in suis fabulis idem symptoma in sua peste accidisse auctor est his verbis. *Quanti valorosi huomini, quante belle donne, quanti leggiadri giouani, li quali non che altri, ma Galieno, Hippocrate, ò Esculapio hauerieno giudicati sanissimi, la mattina desinerono co' loro parenti, compagni, & amici, che poi la sera vegnente appresso nell'altro mondo cenarono con li loro passati*, subscribunt poetis Historici. Plutarchus in vita Romuli meminit pestis, quæ subitas mortes inferebat sine morbis. *Λοιμὸς ἐμπίπτει θανάτους μὲν αἰφνιδίους τοῖς ἀνθρώποις ἄνευ νόσων ἐπιφέρων*, idest, incidit pestis mortes quidem subitas hominibus sine morbis inferens.

Historicorum fide.

Agathias lib. 5. idem testatur, qui ita narrat. *ἔνιοι δὲ μήτε θέρμης*

ἠγησάμε-

ἐγκαταμέκης, μήτε ἄλλου ἀλγήματος, ἀλλὰ δρῶντες ἔτι τὰ εἰθισμένα δίκοις τε, καὶ ἀνὰ λεωφόρους οὕτω παρασχὸν καταπίπτον, καὶ ἀθρόον ἄπνοι ἐγίνοντο ὥσπερ τὸν θάνατον σχεδιάζοντες, ideſt, nonnulli uero neque calore præcedente, neque alio dolore, ſed agentes adhuc conſueta, & domi, & per vias ita ſe dante occaſione concidebant, & repente exanimes fiebant, quaſi mortem ex improuiſo, & ſubito per ludicrum vſurpantes. Et paulò ante dixerat, ἔθνησκον τοίνυν οὖν ἐξαπιναίως καθάπερ ἀποπληξίᾳ ἰσχυρᾷ κάτοχοι γενόμενοι. Macrobius ſat. lib. 1. cap. 17. idem dat teſtimonium. Ait enim: Apud Pachynum Siciliæ Promontoriū Apollo Libyſtinus eximia religione celebratur, nam cū Libyci inuaſuri Siciliā, claſſem appuliſſent ad id promontoriū Apollo, qui ibi colit, inuocatus ab incolis, immiſſa hoſtibus peſte, & penè cūctis ſubita morte interceptis Libyſtinus cognominatus eſt. Sigonius lib. 20 de regno Italiæ de peſtilentia anni 556. ſub Narſete, moriebantur plerique repente tam quam apoplexia correpti. Et mox: Nonnulli vero nec febre occupati, nec dolore vllo vexati, dum ſecreto corpora curarent, & domi, & foris vt cuique cōtingebat, cadebant. Idem lib. 1. ponit concionem Gregorij, quam habuit ad populum de peſte dicta Inguinaria, ubi ita hanc rem oſtendit. Vniuerſus populus cæleſtis iræ mucrone confoditur, cum ſinguli repente adeo moriantur, ut non languor impetum mortis preueniat, ſed mors ipſa languoris tarditatem præcurrat, ac perculſus quiſque ante rapiatur, quam ad lamenta pœnitentiæ traducatur. Et ipſe Sigonius mox ita teſtatur ex ſua perſona. Ad cæteros autem caſus, quibus homines fede paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quòd multi cum ſternutarent, alij cum oſcitarent, repente ſpiritum etiā emittebāt: quod cum ſæpius eueniret, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum Crucis ori admouendo præſidium quærerent. Sic in peſtilentia, quæ ſæuijt anno 937. quo tempore Sol ſereno cęlo eſt obſcuratus, & quaſi ſanguineus factus, maxime ſubitanei hominum interitus uiſi ſunt, teſte Maſſeo Balæo. Sed quid plura? noſtra memoria in ſuperiori peſte Venetiis multi nobis aſſeuerarunt conſtantiſſime frequentiſſimas fuiſſe illo tempore mortes ſubitas, & plures ēt Hiſtorici, ac Medici qui de ea ſcripſere, id memoriæ mandarunt.

runt,vt inter Historicos Natalis de Comitibus lib.27. suę historiæ,vbi ita ait: Alios tam repentina vis veneni necabat,vt neque vllum signum natura posset emittere, vel post mortem,cum intra breuissimum spatium expirarent. Mercurialis inter Medicos, qui cap. 18. Prælect. de peste, ita testatur: Interdum à veneno prius iugulantur homines, quam tempus,& locus concedatur putrefactioni, & accensioni, atque tunc mortes contingunt subitaneæ sine vllo signo, sine vllo symptomate,quēadmodū aliquę conspectæ sunt in presenti constitutione. Inter Medicos nemo ferè est,qui de Peste scribat, quin id fateatur, & tanquam signum pathognomonicum quodammodo pestis (si signa huiusmodi pestis dari possunt, quod nonnulli negant) proponant subitas mortes. Est vero lætalissimę pestis signum hoc, de cuius etiam causa magnæ sunt apud Medicos controuersiæ,cum verā causam inuenire sit difficillimum. Sed non erit fortasse vobis iniucundum antequam causas explicem,aliquos etiam ex medica natione audire testes huius veritatis. Audistis Mercurialis testimonium,audite Valeriolam loc.commi. lib.3 cap.18. vbi agit de venenis: Quanta uero pernities ab humorū corruptela intrinsecus quidem nata, & ab aeris contagio, morbidaq; excretione manāte excitetur,dum pestilentes,& exitiales inde creantur morbi, uix sanè dici commode potest. Videas.n.non raro (quæ est uis intro concepti pestilentis halitus) syderatorum instar concidere de repente, eos qui peste correpti sunt,cum alioqui in his, nec pulsus exitialis, nec vrina,nec vix ulla aduersæ valetudinis signa appareāt, saniq; videantur, ac statim loquentes, & incedentes tanquam fulmine icti pereunt, quod à me sæpissime per pestilentis aeris constitutiones obseruatum fuisse,ea præsertim,quæ sub annum 1534. in Galliæ Narbonensis parte grassata est, testari ipse possum. Quam rem alibi etiam sæpius testatur,& potissimum in append.loc.com.cap.2. ubi agit de morbis pestilētibus: audite Cornelium Gemmam testimonium amplum dantem de hac re. Meminerunt autem & aui, & proaui nostri pestis usque adeo uirulentæ,ut in una Bruxellensi ciuitate plures subinde quingentis abstulerit vnica die, utuitam, & uolucres sub nube relinquerent,vtq; assidentes læto conuiuio inter calicem, supremaq; labra tanquam percussi fulgure

Medicorum auctoritate.

gure protinus expirarent. & cumulatim in oppido toto con gesta cadauera currus in orbem commeans circumferret, donec ob vastitatem strata lapidea, atque ædium valuæ musco, & virenti gramine vestirentur, talis potissimum viguit anno 1502. famem, & vehementes aeris intemperies anni proximi comitata: quod etiam alibi testatur his verbis: Lues tam sæua viguit aliquando, vt ceu percussi fulgure repente conciderent: audite adhuc vnū fide dignum P. Salium qui li bro de peste, cap. 5. ita testatur: Ex inspiratione infecti aeris, ac ex valido contagio experientia docuit, aliquos ita efficaciter coinquinari, vt nec præcedente aliqua notabili alteratione, nec post mortem subsequente vllo pestilētis affectus signo, subito peste correpti subito etiam, proinde ac si præsentaneum venenum hausissent, de medio sublati sint. Sexcentos possem alios proferre auctores, vt Iacobum de Partibus, Alexandrum Benedictum, Philippum Ingrassiam, Petrū Parisum: sed hos satis locuples dare testimoniū puto, & nullos à vobis amplius desiderari. Quare iam ad causas indagandas aggrediamur. Herophilus solebat dicere, teste Mercuriali in Praxi, in cap. de paralysi, eos, qui subito moriuntur, perire, quòd cor eorum paralysi capiatur. Philippus Ingrassiar par. 3. cap. 8. duas affert causas repentinæ mortis, sumpta à similitudine flammæ comparatione, Aristotelem imitatus, qui eisdem modis extingui ignem dixit, & calidum innatum, nempe vt illa vel vento dissipata, atque distracta extinguitur, vel comprimente aliquo coarctata suffocatur, ita calidum innatum vel dissipatur, vt in his, qui præ nimio gaudio exanimati intereunt, aut nimia venere abusi, vel concursu spirituum ad cor suffocatur, ut fit in timentibus, quo in genere reponi possunt peste correpti subito, & subito morientes, quod ipse iudicat Ingrassias, & nos supra ostēdimus pestem contrahi ipso metu, & metu etiam homines interire. Huic timori acceptam quoque refert causam repentini interitus Petrus Parisus, qui testatur in Drepanensi illa peste timidos potissimum breui occubisse sine febri, & sine vllo interno, aut externo signo: tunc enim etiam sine pugna natura succumbit, & victi cadunt præ timore, antequā morbi malitia opprimantur. Inter omnes vero timores nullus maior, quàm pestis, quem supra ἀδιόρατον esse dixit Thucydides,

Causæ subitarum mortium in pestilētijs.

Timor, causa mortis subitę.

dides, idest, grauissimum omnium malorum. Et Eusebius lib. 7. appellauit πρᾶγμα φόβου παντὸς φοβερώτερον, idest, rem timore quouis magis timendam. Quidam dicunt omnes in pestilentia subito morientes ephemera pestilenti mori. Qua in sententia videtur fuisse Laurentius Ioubertus, qui ita in libello de Peste inquit: Et spirituosæ quidem harum perniciosissimæ habentur, licet minime pestilentes omnium sint tutissimæ; quibuscum in cæteris ferè conueniunt: maxime vero, quòd neutri adsint vehementiora symptomata, quinimo in pestilenti quandoque nulla prorsus apparent, ne febris quidem, ægris subito inter publica, aut priuata negotia horarum decem, aut viginti spatio morientibus: etenim cū maxima est spirituum corruptela, nequit diutius vita subsistere, quia in illis potissimum robur actionum consistit: ijs vero plane corruptis, qui cordis finibus continentur, mox vires deficiunt nulla spe salutis, cum ad ipsum cor aliunde non veniant, sed in eo gignantur assidue. In eadem hæresi, & opinione est Horatius Augenius in suis epistolis, qui testatur vol. 2. eos, qui tempore pestis ambulantes, ac solita vitæ munia obeuntes de repente moriuntur, ephemera pestilenti sublatos, analogiā habente ad spiritus aeris veneno, quos etiam multi secuti sunt. Quæ opinio refutatur à doctis, nititur enim falso quodam dogmate, quòd scilicet nemo possit mori sine febre, & quòd omnis pestis sit cum febre, quæ tamen sunt alibi à nobis refutata, & quód attinet ad primum: nam de altero plura in prima parte attulimus, nempe, quòd non possit quis mori sine febre, licet videatur Hippocrates fauere huic opinioni, cum dicat in libello de flatibus, quòd febris est omnium morborum comes, & Galenus, qui dixit ex mente Hippocratis 1. Aphor. Cōm. 7. febres à morbis acutis esse inseparabiles ἀχωρίστους: acutissimos vero morbos, qui subito interimant, nemo inficiatur: tamen expressissimis, & clarissimis verbis ostendit Hippocrates posse homines mori sine febri: nam Aphor. 5. Aph. 15. ait: ἢν μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς λάβῃ, idest, si ebrius subito obmutescat quis conuulsus moritur, nisi febris apprehenderit. Ecce quàm aperte mori sine febri testatur? Aphor. 6. Aphor. 51. ὁκόσοισιν ὑγιαίνουσιν ἐξαίφνης ὀδύναι γίνονται ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται, καὶ ῥέγχουσιν,

Epheme ra pestilēs causa mortis subitę.

σιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ideſt, quibuſcumque ſanis repente dolores fiunt in capite, & ſtatim obmuteſcunt, & ſtertunt, pereunt in ſeptem diebus, niſi febris apprehenderit: quis neget hoc loco teſtari morituros ſine febri, niſi ſuperueniat febris, quæ ſoluat? Sexcenta ſunt huiuſmodi loca, & teſtimonia apud Hippocratem, & Galenum: de qua quæſtione poteſtis etiam legere Franciſcum Alphanum in lib. de peſte. Neque tamen pugnantia loqui dicendus Hippocrates, aut Galenus, cum ſupra ſit oſtenſum febrem pronuntiaſſe comitem morborum potiſſimũ acutorum: nam theoremata medica, vt ſæpe ex me vos arbitror audiſſe, raro ſunt ſempiternæ veritatis, ſed vtplurimum tantum, vera ſunt; & Hippocrates ipſe (vt annotauit Galenus multis in locis, ſed potiſſimum in explicatione Aphor.) & deinceps ceteri omnes magni medici, quę, vtplurimum vera ſunt, in uniuerſum pronunciant, quaſi ſemper, & perpetuo vera. Sed hæc opinio, quòd febre ephemera cõfecti moriantur repentino morientes, multos habet aduerſarios: primũ genus eſt eorum, qui omnino negant dari hanc febrẽ ephemeram, & non poſſe ſpiritus putreſcere, autumant, aut putredinem, corruptionemve experiri, quorũ Anteſignanus, & auctor fuit opinionis Conciliator in differen. 94. ubi repugnat omnino dari febrem ephemeram peſtilentem, cuius tamen opinionem, & argumenta multi refutarunt, & poſtremo Mercurialis, ad quem vos reijcio. Aliud genus eſt eorum, qui dari quidem ephemerã peſtilentem concedunt, ſed eam non eſſe cæcam, & abditam probant, ſed manifeſto ſe prodere, ut facit in ſudore, anglico dicto: & ideo falſum eſſe, quòd moriantur febre ephemera. Quod inter cæteros poſtremo loco præſtitit Gerardus Columba Meſſanenſis lib. 1. cap. 33. ubi ualidis probat argumenris febrem ephemeram ſeſe aperte demonſtrare in pulſu, in vrina, in ſpirituum accenſione, in ſyncope, quam incidunt, & multis alijs, ac proinde repentino morientes, non mori ex ephemera. Alij rurſum dixerunt repente mortuos, cum ſani uiderentur, neque ullum ſignum, aut in vrina, aut in pulſu, aut alia re appareret, fuiſſe hectica peſtilenti correptos; & proinde nõ ſenſiſſe ſe laborare, ut in illa tradunt euenire; eſſe uero lætaliſſimã, cum ſubſtantiam cordis depaſcatur, & nullum ſit remediũ,

Poſſe homines mori ſine febre ex Hipp.

Hectica peſtilens cauſa mortis ſubitę.

aut medicina eius labis, ac corruptelæ, quæ cordis substantiam occupauit, teste Galeno de præsagit. ex pul. 4. huius sententiæ facit mentionem Ingrassias par. 2. cap. 16. casu 3. sed hæc quoque opinio à multis exagitatur: quidam enim sunt, qui omnino negant dari febrem hecticam pestilentem: quidam dari quidem concedunt, sed eam quoque sese multis argumentis prodere, & non repente interficere. Alij rursum, qui tenent posse homines mori sine febre, uarijs quoque sententijs diuiduntur, & discrepant inter sese: quidam enim, qui characterismum, & ideam pestis constituunt insignem quendam putredinis gradum tantum, nō uenenum; Fracastorium secuti, subitarum mortium causam acceptā referunt excellentiæ, & gradui supremo putredinis, ex qua tam malos exhalare uapores dicunt, ut cor petentes hominem iugulent repente, etiam sine ulla febre, quòd scilicet locus non relinquatur accensioni febris: in qua sententia fuere Massarias, & Angelutius, quos etiam refutat Gerardus Columba locis memoratis, idest, lib. 1. cap. trigesimo tertio: alij rursus contra probant nescio quid maius esse quam putredinem, quæ cōstituat essentiam pestis, nempe venenum, siue intus genitum, siue foris attractum, & hi quoque varijs sententijs diuiduntur, quidam enim sunt medij inter hos, & febrim ponētes, quorum primus est Valeriola, qui in sua appendice ad loca communia cap. 2. vbi agit de morbis contagiosis, disputat contra Fracastorium, quod scilicet diuersus sit à putredine febris pestilentis characterismus, & vult non putredinem, sed corruptionem esse auctorem mortiū subitarum, quam tamen contingere dicit in febribus diarijs: imo vtitur hoc pro argumento ad suam comprobandam sententiam: ait enim. Esse autem corruptionem partiū magis quam alterationem, illud abunde declarat, quòd plerumq; absque vlla fere partium in suis qualitatibus, temperieque immutatione concidere totum repentino quodam interitu videamus, vt in ephemera pestilenti, cordis spiritibus contagione lętali affectis cernere est, vbi laborantem, nec admodum à natiuo suo statu demutatum, nec ęstuantē, & solita etiam obeūtem munia, bonoq; alioqui pulsu prędītum, & lotia emittentem sanis quam simillima, & ad cibos, & potus somnum bene se habentes repentina tamen

Excellens putredinis grad' causa mortis subitę.

Venenū.

morte

morte corripi (cordis nimirum substantia, ac viribus tetra, ac malefica lue corruptis magis quā alteratis) cernimus, &c. & mox etiam probat ex hoc argumento in putredine non consistere contagionem, quòd in pestilētijs sani alioqui homines de repente concidant, cordis scilicet spiritibus morbida exhalatione affectis: & ideo cōcludit falli omnino eos, qui causam pestilentium morborum vnam statuunt putredinem, in qua tamen re arbitror ego de nominibus queri, & esse altercationem de vocibus, nō de re, vt etiam videtur sentire vir doctissimus, mihiq; coniunctissimus Eustachius Rudius, qui nunc Patauij in demortui Massariæ locum suffectus praxim medicam profitetur, is enim lib. de febr. capit. 30. vbi characterismum febris pestilētis statuit putredinem rei venenatæ cor insigniter lædentis, dicit hanc esse insignē putredinem, & excellentem, quam modo malam putredinem, modo corruptionem vocat Galenus, & qua dicit differre febrim pestilentem ab aliis putridis, idem enim sunt insignis putredo, corruptio, & venenum, uel saltem sese mutuo consequuntur, ita tamē, vt postremū sit venenum, sed redeamus ad institutam disputationem, & propositum nostrum, alij vero sunt, qui sine vlla febri venenum hoc esse auctorem mortis subitæ sentiunt, & in hac sententia fuere clarissimi ex superioribus medicis Gentilis, Iacobus de partibus, & alij, qui, (vt etiam testatur in sua praxi Mercurialis) dicebant in peste aerem venenatum latenter inducere venenum in cor, sub quodam calore tepido, quod venenum prius iugulat homines, quam sese prodat: & hinc euenire nonnulli dicunt, vt ita repentina morte sublati, neque etiam post mortem vllum signum habeant, quale solet in peste peremptis apparere; nam etiā id accidit interdum in venenatis, vt in Alexandro magno, & Cleopatra obseruatum dicunt, quos cum constaret veneno sublatos, nullum tamen in eorum corporibus veneni indicium, aut signum extitit, quam quidem sententiam arbitror omnibus esse veriorem. Alii adhuc magis cæca, & latenti ratione, ac abdita contingere in peste mortes subitas putant, nempe quòd venenum hoc pestilens, non vlla vi deleteria manifesta, & euidenti id agat, sed occulta, & à tota substantia agente in calidum innatum, & per vocatas species interimat, qua in sententia

Species venenata.

tentia

tentia multi fuere recentiorum. Alii adhuc contra acceptũ id referunt imbecillitati naturæ, quæ non audeat aggredi materiam pestilentem, & hinc prius mori, quam ad pugnã, & certamen descendatur, & ideo videri similes sanis repen te mortuos, in qua sententia videtur fuisse Iacotius in Coacis, qui Commen. 1. lib. 3. sect. 2. apho. 47. licet loquatur de febricitantibus ita tamen inquit in hanc sententiam, interdũ quoq; in febre humor deleterius, & veneno similis generatur per corruptionem propriæ substantiæ, aut malignam ꝑ adustionem bilis vel sanguinis, cuius excretionem natura non aggreditur, donec copia, aut malignitate aucta grauius sæuientem huc atque illuc exturbare cogatur, vnde subito lætalia signa adducuntur etiam his, qui ante sani putabantur, non enim vt subita est generatio symptomatum, quæ statim prodit, ita etiam generationis ipsorum causa: quod ante ipsum expressius dixerat Alexander Benedictus cap. 12. de peste, qui reddens rationem, cur in peste correptis vrinæ videantur similes sanis, hanc reddit rationem, & causam; quia morbi materiam pauens natura congredi non audet, nec in prælium descendit facile cum veneno statim moritu ra, sed corporis paululum habenas moderatur, & regit, quę opinio multos habet ex illorum temporum medicis fautores, fuit enim Cõciliatoris loco memorato, cuius auctoritatem plures secuti sunt, sed si velimus ad manifestas causas reuerti (vt quidam faciunt) possumus etiam dicere, huiusmodi mortes contingere in peste ob plenitudinem, quæ, cũ obstructi sint meatus, ob ambientis malitiam; neq; fiat insensilis illa perspiratio, ἢ κένωσις, intus retentis, & cohibitis humoribus, eorũq; exhalationibus, & vaporibus, magis augeatur, & proinde suffocet, ac extinguat, τὸ ἔμφυτον αὐτὸ θερμὸν, idest, ipsum innatum calidum, quemadmodum dicit Galenus euenisse quibusdam Athletis nimium repletis, in bono etiam habitu τῇ εὐεξίᾳ, constitutis, de quibus ita apho. 1. aphor. 3 καὶ ἀπόλλωντό τινες ἐξαιφνήδιον ἤδη τῶν εἰς ἄκραν πλήρωσιν ἀφικομένων ἀθλητῶν. & perierunt quidam subito iam ex Athletis, qui ad summam plenitudinem peruenerant: & hę sunt omnes de subitarum mortiũ causis opiniones, ex quibus potestis eam, quæ vobis magis arrideat tueri, ac retinere: sed me auctore à veneni vi deleteria in aere siti vel intus

Naturæ imbecillitas.

Plenitudo

geniti

geniti non discedetis, illa enim est Hipp. & Galeni doctrinæ magis consentanea sententia.

ὥστε ταχέως ἐπαυρέσεις. Quare velociter perfruendum.] Similem facit consecutionem argumenti, in quadam sua odecula Anacreon, in qua accusatus ab amicis, & mulierculis, quòd senex voluptatibus operā daret, respondit æquum esse, quo propinquior esset morti eo magis perfrueretur bonis, & voluptatibus.

λέγουσιν αἱ γυναῖκες,
ἀνακρέων γέρων εἶ,
λαβὼν ἔσοπτρον ἄθρει,
κόμας μὲν οὐκέτ' οὔσας,
ψιλὸν δέ σευ μέτωπον:
ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν,
εἴτ' εἰσὶν, εἴτ' ἀπῆλθον,
οὐκ οἶδα, τοῦτο δ' οἶδα,
ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον,
πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν,
ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης, idest,

Aiunt ita puellæ.
Anacreon senex es,
Sumens imaginosum,
Lapsas comas videbis,
Glabrani simulque frontem,
Ego comas profectò,
Adsint ne mi, vel absint,
Non noui, at ista noui,
Quòd eo magis decet me,
Ludis senem vacare,
Quo plus propinqua fata.

ἐφήμερα. Momentanea.] Hoc vocabulum maximè accōmodatū ad uitæ breuitatē & caducam ac fluxam rerū conditionē significandā, nam dicit de his rebus, quæ uix unū diē permanent, apud medicos appellatur febris ephemera, quę unico die affligit, & postea cessat non amplius reditura, nam quę quotidie aggreditur, dicitur non ἐφήμερος, sed ἀμφήμερος, uel ἀμφημερινὸς, dicunt etiam hoc nomine duæ quædam herbæ, altera, quòd eius flos unicum diem perduret confestim deciduus, itē altera ita dicta, quòd eodem die perimat: cicuta

cicuta etiam ex hoc, quòd citissime perimat, & unico die dicta est, ἐφήμερον, ut testatur auctor etymologici in uerbo κώνειον, & Gorræus in suis finitionibus, διὰ τὴν ὀξύτητα τῆς ἀναιρέσεως, quo pacto dicunt etiam φάρμακον ἐφήμερον, præsens uenenum, quòd uno die perimat, quod alio uocabulo dicunt, δηλητήριον, τὸ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἀναιροῦν, idest, quod una die perimit, dicitur etiam quoddam alatum animal, ἐφήμερον, quòd unico die uiuat, de quo Arist. 1. de historia animalium cap. 5. & lib. 5. cap. 19. ubi dicit apud Cymmerium Bosphorũ Hypanin fluuium sub solstitio deferre ueluti folliculos acinis maiores, quibus quadrupedes uolucres erumpunt, quod genus in postmeridianum usque diei tempus uiuit uigens, & uolat, mox descendente sole macrescit, & languet, deinde Occidente emoritur, uita non ultra unum diem peracta, & ab hoc animalculi genere quidam practici medici, ut Valescus de Taranta, & alij eum secuti dictam febrim ephemeram contendunt, sic etiam homines à Poetis dicti, ἐφήμεροι, idest, diarii, quod uix sibi unum diem, & ne integrum quidem ualeant polliceri, sic Aristophanes, in nubibus dixit, τί με καλεῖς ὦ 'φήμερε, quid me uocas homo diurnus, ubi cum in persona Socratis hoc dicat, nõ tñ dicit, ut exponit interpres, ὦ θνητὲ, idest, ò mortalis, uel ὁ ἐφήμερα φρονῶν, qui curas mortalia, & fluxa, sed per contemptum uix unius diei uita digne, quasi dicat leuissime, apud Suidam dicitur, ἐφήμεριοι βροτοί, μεθημέρινα εἰδότες, οὐ προορώμενοι τὸ μέλλον, idest, mortales qui in diem norunt uiuere, non prospicientes futurũ, quod uidetur ex Homero acceptum, qui de procis ait, ἐφημέρια φρονέοντες, ubi Scholiastes, τὸ παραυτίκα μόνον φρονοῦντες, οὐ προνοοῦντες τοῦ μέλλοντος, idest, quod adest solum præsens cogitantes, non prospicientes in futurum.

ἐφήμερα quæ dicantur.

προσταλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ. Ad obeũdos labores pro eo quod uideret honestum.] Labor per se est ex rebus potius fugiendis quam expetendis, nisi adsit, τὸ τοῦ ἕνεκα, idest, finis, quod est præmium, quare huius spe suscipiũtur labores, ea sublata nihil reliquum est amplius, ut laboremus, & licet solæ uirtutis desiderio sæpenumero homines subeant labores, & pericula, non per se tamen suscipiuntur illi labores, nec sine præmio, sed præmium est ipsa uirtus, quare recte dicebat Isocrates uirtutis radices amaras, fructus esse Iucundissimos, & Hesiodus.

Τῆς

τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, idest,
Virtutem posuere procul sudore parandam,
Cælicolæ, &c.

Apud quem etiam (vt lib. 5. testatur Valerianus) datum sibi à musis lauri sceptrum laborem, & diligentiam scribentis indicat, propterea quòd veluti sunt amara lauri folia, ita virtutis sudor laboriosus, hinc cum ob momentaneam vitæ breuitatem nemo haberet exploratũ se diutius vitam producturum, & superstitem futurum, detrectabant etiam, & renuebant labores, qui pro honestate & virtute libenter alioqui suscipiuntur, cum scilicet certi essent labores, incertum præmium: nam cum duo sint πάθη, humanæ naturæ πόνος, καὶ ἡδονή, idest, labor, & voluptas, hæc sola cũ sit λεία κίνησις, leuis motus & εὐδοκητὴ πᾶσι ζώοις, idest, omnibus animalibus probata, facile expetitur, & ad eam homines sponte naturæ procliues sunt, labor vero cum sit motus asper τραχεῖα κίνησις, & suapte natura, ἀποκρουστικὸς, idest, vim habens repellendi à se, & reijciendi, facile, & libenter euitatur, quia omnis humana natura (vt Terentius ait.)

A labore procliuis ad libidinem.

Præclare vero dicit, προσταλαιπωρεῖν τῷ καλῷ, quia vt dicebat Plato, τὰ καλὰ χαλεπά, pulchra difficilia, & Scholiastes Græcus interpretans illud δόξαντι καλῷ, τουτέστι τῇ ἀρετῇ, virtuti, addit, αὐτὴ γὰρ μετὰ ταλαιπωρίας γίνεται. ipsa. n. cũ labore, ac difficultate cõparat, hic vero pulchrũ positũ pro τὸ ἀγαθὸν, idest, bonũ & τὸ οὗ ἕνεκα, conuertuntur enim hæc, & ne videretur tamquã philosophus locutus, cuius sententia longe à vulgi opinione diuersa addidit δόξαντι καλῷ, quod videretur honestum, vulgus enim opinione ducitur, & multa nomine virtutis honestat, quæ non sunt vera virtus, & contra, vnde præclara inducitur apud Platonem de Iusto disputatio, vtrũ scilicet, sit melius esse, an videri iustum, cũ is qui videatur esse, licet non sit, fruatur præmijs, & honoribus, & contra qui sit, & non videatur, iaceat, & negligatur: quare Euripides in Theatro εὐδοκίμησε, (inquit Stobæus) laudatus est, quòd dixerit.

τί δ' αἰσχρὸν, ἂν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ; idest,
Quid turpe, nisi ita videtur esse vtentibus?

Cui mox occurrens forte fortuna Plato eum ita redarguit,

vt diceret altero pronuntiato senario.

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ. idest,

Est turpe turpe seu videtur, siue non.

Duo impulsores ad mala, voluptas, & auaritia.

ὅτι ἤδη ἡδύ, Quodq; nouerat iucundum.] Eiectis duobus legum custodibus verecundia, & timore, subsecuti sunt duo satellites malorum, & auctores, atque impulsores ad omne nefas, & scelus, nempe voluptas, & lucri cupiditas, siue auaritia, quibus duobus nihil esse potest pernitiosius, & ad omne malum, & omne scelus patrandum ardentius, quibus tanquam facibus furialibus inflammatur animus cupiditate omnis sceleris, atque rapinæ. Et quod ad primum attinet, nempe τὸ ἡδύ, idest, voluptatem. Præclare in hanc sententiam dictum à Platone est in Timæo: Voluptatem esse μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, idest, maximam mali escam: quod Latinè ita primo vertit Plautus in Mercatore, Sapientum illud dictum te audisse reor sæpius, Voluptas est malorum esca, quod ea non minus homines, quàm hamo capiantur pisces. & mox Cicero de Senectute, rursus vsurpauit, diuinus, inquit, Plato escam malorum voluptatem appellauit, quòd ea videlicet homines capiantur, vt hamo pisces. Per has vero voluptates, & hoc iucundum τὸ ἡδύ intelligit prauas voluptates, & turpes, vt stupra, incestus, & huiusmodi corporis vitio libidinis, & intemperantiæ obnoxij oblectamenta: sunt enim etiam aliquæ honestę voluptates, & cum virtute coniunctæ.

Voluptas malorum esca.

πανταχόθεν κερδαλέον, Quæstuosum ex omni parte.] Alterum ad vitia, & mala auctorem, impulsoremq; fuisse ostēdit lucri cupiditatem, ex quacumque etiam re quæsiti: nam huius desiderio obtenebrato rationis lumine in omne rapiūtur scelus, & nihil est tam nefarium, quod auaritia nō aggrediantur homines, ipsumq; præsertim vulgus, qui quibusdā nefarijs, pestilentibusq; sententijs sese ad rapinas, & expilationes instruunt, & inflammant, cuiusmodi illa est à Iuuenale decantata:

——— *Lucri bonus est odor ex re*
Qualibet. ———————

Quam ex Vespasiani dicto scelerato, & auaritiæ sordibus inquinato deprompsit. Cum enim à filio melioris sententiæ adolescente admoneretur, ne ex re putida, lotio videlicet, im-

 posito

poſito vectigali lucrum faceret, admota ille accepta inde pecunia filij naribus, quæſiuit, ecquid illa puteret? ſimilis quoque illa Ennij.

Vnde habeas, curat nemo, ſed oportet habere.

Et illæ Sophocleæ:

Δίκαι' ἐπαίνου, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου. idest,
Tu iuſta laudes, lucra retineas tamen. Et illud,
Τὸ κέρδος ἡδὺ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἔῃ. idest,
Eſt dulce lucrum, & ſi ſit à mendacijs. Et illud,
Μηδὲν σὺν κέρδει κακόν. ideſt,
Nullum cum lucro coniunctum malum.

Quæ cum à Poetis vulgi perſonas repręſentantibus ſæpenumero dicantur, merito (vt eſt apud Athenæum lib. 3.) de illis conquerebatur Cephiſodorus Iſocratis diſcipulus lib. 3. ſui operis aduerſus Ariſtotelem. Illud autem verbum πανταχόθεν, ex omni parte, habet αὔξησιν amplificationem, & ἔμφασιν vim, quaſi dicat ex profanis, ſacrisq; rebus promiſcue lucrum quæſitum, nulla habita honeſti, & virtutis ratione, imò quaſi in morem, & conſuetudinem receptum, vt nec turpe, nec vitioſum ducerent, ſed laudabile, honeſtis nominibus ſuam contegentes cupiditatem, & facinus, nempe honeſti, & utilis. καλὸν καὶ χρήσιμον, ex quo obiter diſcrimen notandum τοῦ κερδαλέου, & τοῦ χρησίμου, nempe lucri, & utilitatis. Illud enim uitij, hoc cum uirtute coniunctum eſt, & honeſtate: ita enim comparatum eſt natura, ut finitimis uirtutũ nominibus, uitiorum turpitudinem contegamus, honeſta appellatione abutentes. Sic teſte Ariſtotele 3. Rhetoricorũ, latrones λῃσταὶ honeſto ſe uocabulo appellant πορισὰς, ideſt, rei quærendæ ſtudioſos. Et Dionyſij ſeu Liberi patris aſſentatores Διονυσιοκόλακες, ſe vocabant Τεχνίτας, ideſt, artifices. Sic Horatius docet faciendum Sat 3. pro conſeruandis amicis, ut eorum uitia feramus, & finitimo uirtutis nomine cohoneſtemus.

Finitimis virtutum nominib. vitia conteguntur.

Parcius hic viuit, frugi dicatur, ineptus,
Et iactantior hic paulò eſt, concinnus amicis
Poſtulat vt videatur, at eſt truculentior, atque
Plus æquo liber, ſimplex, fortisq; habeatur;
Caldior eſt, acres inter numeretur opinor,
Hæc res & iungit, & iunctos ſeruat amicos.

Sic Lucretius dicit facere amantes, dum amicarum uitia nominibus ornant uirtutum in eodem genere dissimiliũ. Qui locus, quia elegantissimus, libet integrum recitare.

Hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,
Et tribuunt ea, quæ non sunt his commoda vere.
Multi modis igitur prauas, turpeisq; videmus
Esse in delicijs, summoq; in honore vigere.
Nigra melichrous est, immunda, & fœtida, ἄκοσμος,
Cæsia palladion, neruosa, & lignea, Dorcas,
Paruola, pumilio, chariton mia, tota merum sal.
Magna, atque immanis, κατάπληξις, plenaq; honoris:
Balba, loqui non quit, τραυλίζει: muta, pudens est.
At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον fit.
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom viuere non quit
Præ macie. ῥαδινὴ verò est, iam mortua tussi.
At gemina, & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.
Simula, σιλννὴ, ac satyra'st: labiosa, φίλημα.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε. τὸ μὲν κρίνοντες ἐν ὁμοίῳ, καὶ σέβειν, καὶ μή, ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾶν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους. τῶν δὲ ἁμαρτημάτων οὐδεὶς ἐλπίζων μέχρι τοῦ δίκην γενέσθαι βιοὺς ἂν τὴν τιμωρίαν ἀντιδοῦναι. πολὺ δὲ μείζω τὴν ἤδη κατεψηφισμένην σφῶν ἐπικρεμασθῆναι, ἣν πρὶν ἐμπεσεῖν, εἰκὸς εἶναι τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι:~

THVCYDIDES.

DEorum vero metus, vel hominum lex nulla deterrebat, illud quidē iudicantibus ex ęquo esse siue colerent, siue non colerent, quod omnes viderent pariter interire. Erratorum vero nemine sperante, quoad iudicium constitueretur se vitam producturum, vt pœnas daret; multoq; maiorem iam sibi decretam pœnā impendere arbitrantibus, quæ priusquam incideret, æquum iudicabant aliqua vitæ voluptate frui.

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

OMnia omnibus licuisse demonstrauit ad audaciam, magno aditu, & ianua patefacta, ex occasione necessitatis uiolandorum rituum in sepeliendo, cum nihil esset, quod libidinis, ac quæstus causa omnes nõ aggrederentur, nunc aperit, unde tanta fuerit inuecta licentia, nempe ex sublato metu, tum Deorum, tum legum humanarum: sola enim formidine, mali homines à malefactis abstinent, cùm boni uirtutis specie commoti solo pudore absterreantur: de quibus uerba fecit in superioribus, cum dixit, uirtutẽ professos pudore prohibitos noluisse morientibus sua denegare ministeria, ex quo uulgabantur morbi. Explicat uero hanc causam quasi dilemmatis forma, more suo, coniunctim primo, deinde diuisim utrumque pronuncias, nihil eos à facinoribus, & sceleribus frenabat, quia nec Deorum metus aderat, nec legum humanarũ timor: Deos enim negligebant impietate animos occupante, ex falsa opinione iam inuecta ex euẽtu, & recepta, quòd scilicet Dei humana negligerent, quod ita colligebant, si Deorum aliqua animis cura mortalium rerum resideret, profectò suos cultores, ac sibi deuotos, & addictos minime paterẽtur esse malis obnoxios, & contra impios solos perderent, sed cum tam colentes Deos, quàm spernentes eorum cultum, intereant, & in eadem omnes sint naui, ac ex æquo moriantur, profectò colligitur nihil curare Deos humana, nec prodesse religionem. Si uero proponebatur, & ante oculos obuersabatur

tur legum humanarum seueritas, quæ solet pœnas scelerū à flagitiosis hominibus repetere, impunitatis contra spes statim oblata animos ad scelera patrāda reddebat audaces, duplici argumento innixa, & confirmata. Primò quòd licet lex esset, quæ facinora illa vetaret, vita tamen momētanea, & diaria sublato tunc temporis iudiciorum instituto, & indicto iustitio (vt fit in pestilentiis) persuadebat prius se perfuncturum vita, quam posset reus factus condemnari. Secūdo quod magis addebat stimulos & calcaria, quia cum tam breuis esset vita futura, videbatur consentaneum aliquid vitalis voluptatis degustare, atque delibare, ab omnibusque id concessum iri, antequam esset moriendum, & subeunda conditio communis omnibus ex peste moriendi.

θεῶν δὲ φόβος. Deorum timor.] De metu deorum multa disputat p̄clare Plutarchus in libello, cui titulus, ꝙ neque iucunde licet viuere secundum Epicurum: nam Epicurus aduersus prouidentiam Deorum disputans, τὴν πρόνοιαν, rne tum deorum ac cultum tollebat, & proinde viam struebat ad ἀθεότητα, idest, nullam de Deis fidem, ac credulitatem: cum enim iuberet ita esse homines erga Deos affectos, vt neque eos timerent, neq; gauderent illorū sacris, aut quicquam præsidij inde sperarent, eorum cultum tollebat sensim, & opinionem, quòd nulli essent, sensim inducebat, quæ dicitur ἀθεότης, εἰς ἣν ἄγουσιν ἡμᾶς (inquit Plutarchus) οἱ τὴν χαρὰν ἐκ τοῦ θεοῦ μετὰ τῆς ὀργῆς ἀναιροῦντες, in quam deducunt nos illi (Epicurei scilicet) qui gaudiū ex Dei cultu, cū iræ illius timore auferunt, vocant vero ibi κοινὸν αἰδοῦς καὶ φόβου πάθος, commune, & permixtum pudoris, & timoris affectū, quatuor vero enumerat bona ibi metus deorū, nempe, ἐλπίδα, spem, χάριν, gratiam, siue gratum aduersus illos animum ex acceptis beneficijs, θάρσος ἀγαθῶν παρόντων, fiduciā bonorum præsentium, & in rebus aduersis, ἀποστροφὴν πρὸς τὸ θεῖον, reuersionem, & perfugium ad deum, & refutat eorum opinionem, qui dicebant metum deorum esse tetricum quid, & terribile, plenum tragicis quodammodo suppliciis, imò contra metum deorum, non vt tyrannorum, & regum esse, sed plenum iucunditate, & uacuum ab omni cura, molestia, ac timore, & quia illi dicebant se purgare animos vitio superstitionis pellendo ex animis hoc deorū metu.

Quatuor bona metus Deorū

tu, ostendit superstitionem quidem tamquã lemã ex oculo esse auferendam, si fieri possit omnino, sin minus, satius esse illam aliqua ex parte tolerare, quam simul excindere, & τυφλοῦν τὴν πίστιν, excæcare fidem, quæ de diis habetur apud homines, quanta vero iucunditate, & securitate, atque lætitia sit refertus hic deorum timor multis ibi declarat Plutarchus, vt videatur penè christiane loqui, & propius ad nostram accedere pietatem, est vero hæc clausula tota iambica, vt integer senarius conficiatur Scazon, seu Scholiamb.

θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς,

Quod si uerbum οὐδεὶς, collocetur in tertia sede, erit integer Iambicus Senarius hoc modo.

θεῶν δὲ φόβος οὐδεὶς ἢ ἀνθρώπων νόμος,

Neque mirum hoc uideri debet, cum sua sponte in solutã orationem incidant Iambi, sed alia quoque genera metrorum frequentissime incidunt, ut Heroicus, & interdũ etiam hendecasyllabi petulantia, ut apud Ciceronem successit sibi Lucius Metellus, sed de hac re fusius alibi est à nobis disputatum, est præterea hic quæsita elegantia ex his Antithetis. θεῶν, ἀνθρώπων, φόβος, νόμος.

οὐδεὶς. Nulla.] Hoc uerbum est ita in oratione collocatum, ut possit referri primo solum ad νόμος ἀνθρώπων, ut dicat nullam fuisse legem, qua à quo uis peccato deterrerentur, quamuis grauissimas pœnas, ac supplicia constitueret, adeo ut ferrentur in omne flagitii, & sceleris genus, nullo legum ea uetantium timore perculsi, & hic est optimus sensus, ut ostendatur discrimen inter metum deorum, & leges hominũ, quia ille unicus ab omnibus absterret malefactis, hæ multiplices singulis sunt peccatis prohibendis constitutæ custodes, & uindices: nam alia lex est de adulteriis, alia de incestis, alia de sacrilegiis, alia de furtis, & diuersa omnibus constituta supplicia: posset etiam cõiter referri ad utrumq; & νόμος, & φόβος θεῶν, & ita intelligetur de uariis metus deorum differentiis, ac speciebus, nam Plutarchus in ante citato libello facit duo genera metus deorum, & hominum timentiũ Deos, alterum liberale, & ingenuũ, quo timẽt Deũ homines, ὥσπερ ἄρχοντα χρηστοῖς ἤπιον, ἀπεχθῆ δὲ φαύλοις, tamquã principem bonis benignũ, inimicum malis, alterũ minus liberale, quod dicit esse πολλῶν καὶ ἀμαθῶν οὐ πάνυ μοχθηρῶν

ῶν δ᾽ ιάθεσιν πρὸς θεὸν, multorũ, & indoctorum, non tamen vitiosorum hominũ affectũ in Deum, quod dicit habere, τῷ σεβομένῳ, καὶ τιμῶντι μεμιγμένον τινὰ ψοφυγμὸν, καὶ φόβον, i. cultui & honori Diis habito permixtum quendam tremorem, & timorem, quem dicit appellari, δεισιδαιμονίαν, idest, superstitionem, nostri quoque Theologi plures constituũt species timoris Dei, sed tres potissimum seruilem, initialem, & filialem, ut quartus omittatur, qui dicitur reuerentiæ, qui solus erit in cœlesti patria, sed de his nostrum non est disputare, ad theologos uos reiicio, inter quos breuissime, & doctissime explicat has species lib. 5. Compendii Theologicæ ueritatis Albertus magnus, si modo is auctor est eius libelli, ut ordo fratrum prædicantium autumat.

ἀπεῖργε. Prohibuit.] Græcum Scholiũ habet hic τὸ θεῖον, sed sentio cum Henrico Stephano has voces esse immutatas loco, & annotari potius in istas, quæ statim sequuntur, τὸ μὲν, &c. nam verbum ἀπεῖργε suum nominatiuum habet supra duplicem, & quãuis præcesserit θεῶν φόβος non θεῖον, tamen cum τὸ μὲν subaudiri asserit, & talem subauditionem fieri quodammodo ἀπὸ κοινοῦ. Ego vero hic arbitror esse atticismum Thucydidium in superioribus etiam notatum inprima parte, vbi cum dixisset, ἡ νόσος ἤρξατο, subiunxit neutrũ epithetum λεγόμενον. Sic hoc loco φόβος θεῶν, τὸ δὲ, &c.

Τὸ μὲν κρίνοντες, Illud quidem iudicantibus.] A nullo interpretum est hic locus bene intellectus, & hoc ea de causa, quia atticismum non agnouerunt: est enim positus nominatiuus, & casus rectus pro secundo obliquo, qui dicitur genitiuus absolutus, pro quo vtuntur Latini ablatiuo casu absoluto appellato: quod vero hic fit mos atticorum, etsi nullus alius locus, nulla alia auctoritas demonstraret, vel hic solus posset probare, ex quo mirari satis non possum Henricũ Stephanum Græcæ linguæ alioqui peritissimum, & scientissimum reprehendere aggressum Corinthum in suis annotationibus de Attica lingua, art. 9. & mox art. 34. quod dixerit Atticorum esse proprium, vti nominatiuo pro genitiuo, cum dicat ille solum id fieri in accusatiuo, sed si hunc locum perpendisset, & lente considerasset, profecto ab incepto destitisset, & potius Corinthi dictum comprobasset, quàm oppugnasset, qui ambo si apud literatum aliquem virum com-

Atticism' collocandi nominatiuũ ꝑ ablatiuo.

parentur, profectò maioris erit semper ponderis, ac momēti testimonium Corinthi Græci, & antiquioris in Græca lingua, quàm Henrici, dictum sit pace hominis literatissimi. Quare ego Corinthi secutus auctoritatem, ac testimonium, & rei ipsius, quæ per se loquitur, iudiciū, interpretatus sum absolute hæc participia κρίνοντες, & ἐλπίζων. Ex quo plana, & dilucida fit sentētia, & ipsa syntaxis, & œnconomia, quod ignoratum ab Acacio fuit in causa, vt membrum superius, quod est eius periodi primum, fecerit superioris postremū, & hunc, qui est αἰτιολογία illius, principium noui fecerit periodi. Vertit enim coniungens cū superiori antedictū membrum: & honestum iudicabat, & vtile, vt quem neque Deū metus, nec legum reuerentia arceret. Nam & cum sine discrimine omnes pereuntes cernebant, proinde existimabāt, pius quis esset an impius, & nemo se ad vsque victurum sperabat *, donec iudicum pœnam is subiret: multo vero grauiorem sibi iam * fato constitutā impendere pœnam, &c. In quo nemo non videt ipsummet sibi non satisfacere, cum duos addat asteriscos, significans se existimare aliquid in hac syntaxi verborum desiderari ad perficiendum sensum. Sic Valla coniungit primum illud membrū cum superiori periodo, vertens id & honestum constituebat, & vtile Deorū metu, & hominum legibus nequaquam coercitus.

πάντας ἐν ἴσῳ, Omnes æqualiter.] In diuinis, quoniam occulta sunt iudicia, & non hic præmium, sed in futura vita expectamus benefactorū, nemo debet perturbari, si æqua lance omnes perpendantur, & omnes eadem sint conditione: in humanis vero, in quibus post obitum nihil expectatur, ex his est, quæ ferri nequeunt, cum quis magno promeritorū cumulo, ac virtutis splēdore insignis, nulla apuod eos, quos deberet, meliori est cōditione, quàm cæteri ex plebe, & idiotæ, nec vllum tribuitur magnis exanthlatis laboribus, atque vigilijs præmium: sed plerumque etiam præripiunt illis ea terræ quidam filij, qui vix primoribus labris ea degustarunt, quæ profitentur, vt quotidie ferè apud omnes videmus euenire. Hanc porro sententiam Thucydidis expressit Dionysius lib. 10. vbi dicit Romanos, dum superesset spes diuini auxilij, omnes sacris operam nauasse. Vbi vero animaduerterunt, nihil prodesse religionem, καὶ τῆς περὶ τὰ θεῖα λειτουργίας

ἀπεστ-

ἀπέστησαν, ideſt, & à diuino ſacrorum cultu receſſerunt.

ἐλπίζων, Sperante.] Eſt κατάχρησις redolens poeticum pro timere, vt illud Virgilianum:

Hunc ego ſi tantum potui ſperare dolorem.

Recte vero dicit ad peccandum quaſi ſtimulos additos, & calcaria, & ſpe impunitatis, & ſublato metu pœnæ. Cicero enim preclare in Miloniana dixit, ſpem impunitatis eſſe peccandi illecebram. Et Ariſtoteles in 1. Rhetoric. vbi perſequitur cauſas, quibus impelluntur homines ad violandam iuſtitiam, & faciendam iniuriam, hanc inter cætera enumerat. Primum ſpem cælandi, mox ſi deprehendatur etiam effugiendi, καὶ ὅσοις μὴ λαθοῦσι, ἐστὶ δίωξις δίκης, ἢ ἀναβολὴ χρόνιος, ἢ διαφθοραὶ κριτῶν, ideſt, illi etiam confidenter faciunt iniuriã, qui ſi forte non latuerit eorum facinus, poſſunt tamen à ſe depellere, ac remouere periculum iudicij, vel in longinquũ tempus differre, aut corrumpere iudices, quod ita Cicero adumbrauit in partitionibus; ſi cum opinione cælandi, aut ſi patefactum eſſet depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi. Ibi vero Ariſtoteles multos recenſet locos ad impellendos animos ad facinora, quæ hoc tempore aderant, & poterant animos commouere, vt οἷς παραχρῆμα ἢ τὸ ἡδύ, τὸ δὲ λυπηρὸν ὕστερον, ἢ τὸ κέρδος, ἡ δὲ ζημία ὕστερον, quibus ſtatim adſit iucundum, moleſtum deinceps, vel lucrum præſens damnum poſtea.

Τὴν ἤδη κατεψηφισμένην, Decretam pœnam.] Subauditur τὴν δίκην. ἀπὸ κοινοῦ, inquit Scholiaſtes, & addit mox, λέγει δὲ τὴν νόσον, ideſt, intelligit vero ipſum morbum, & ἀπὸ κοινοῦ δὲ τὸ ἐλπίζων, ideſt, ſperante, vt dicat, multo maiorem ſibi conſtitutam morbi ſæuientis pœnam ſperanti, quæ proxima ſit, & impendeat: hic vero locus amplum nobis campum aperiret excurrendi, & expatiandi de fato, cuius credita apud veteres neceſſitas, eos in vitæ contemptum adducebat, & ad omne periculum, facinusq; paratos, cum ad fati neceſſitatẽ quaſi ad aſylum perfugerent, & quę male geſſiſſent, non ſuę temeritati, ſed fato attribuerent, vt hodie de Turcis ferunt, quos imbutos ea opinione, vt euitari fatalis interitus dies, & modus nequeat per omnia pericula eos rapit præcipites deſperatio, & amentia: ſed in alienam meſſem eſſet hoc falcẽ mittere: quare hanc omnem diſputationem Theologis relinqui-

linquamus, hoc vnum admonentes triplicem fuiſſe de futuris contingentibus opinionem Philoſophorum, primam Stoicorum, qui fatum hoc ponebant, cuius maxime princeps auctor, ac propugnator Chryſippus, teſte Cicerone, & A. Gellio lib. 6. cap. 2. qui ita definiebat, φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀιδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὐκ ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς. Quę ſic explicat Latine Gellius, fatum eſt ſempiterna quædã, & indeclinabilis ſeries rerum, & catena voluens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta, connexaq́; eſt. Alteram eorũ, qui libertatem in rebus, & contingens tuebantur; tamen Deum negabant eſſe præſcium horum ſingulorum futurorum, cuius impietatis affinis videtur fuiſſe Cicero, & etiam Aueroes. Tertium, quæ fuit Peripateticorũ à Chriſtiana veritate comprobata, quæ effectus contingẽtes aſſerit, libertatem agendi homini concedit, & omnium futurorum Deum ab æterno præſcium ſtatuit.

ἐπικρεμασθῆναι, Impendere, ſuſpenſum eſſe.] Videtur hoc verbo Thucydides alludere ad picturam, & hieroglyphicũ pauoris, quem quidam pingebant figura hominis, cui præter cætera ſupra caput appenſum eſſet tenuiſſimo filo gladius acutiſſimus. Vel ad hieroglyphicum periculi, quod erat gladius imminẽs acutiſſimus: vnde illud Pythagorę dogma emanauit, ὀξεῖαν μάχαιραν ἀποστρέφειν, ſubterfugiendum acutum gladium, quod à periculoſis negotijs iubet abſtinere, vt ſymbolici interpretantur. Sic Dionyſius Tyrannus, cũ vellet ſignificare Damocli beatum eum prædicanti, quanto in periculo verſaretur. Illi inter lautiſſimas epulas dum ſibi videretur fortunatus, fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus, de quo Cicero lib. 5. Tuſc. quæſtionum. Vel fortaſſe etiam alluſit ad fabulam Tantali, quem licet varie apud Inferos puniri Poetę memorent; maior tamen pars aſſerit ſaxo capiti impendente punitum. De quo Cicero 4. Tuſc. quæſt. lib. ita narrat: Quid autem eſt nõ miſerius ſolum, ſed fœdius etiam, & deformius, quam ægritudine quis afflictus, debilitatusq́: iacens? Cui miſeriæ proximus eſt is, qui appropinquans aliud malum metuit, exanimatusq́; pendet animi:

Tantali capiti ſaxum impendet.

quam

quam vim significantes mali, Poetæ impendere apud Inferos saxum Tantalo faciunt ob scelera, animiq; impotentiã, & superbiloquentiam. Et Lucretius lib. 3. huc quoque spectare Tantali fabulam ostendit his verbis:

Atque ea nimirum, quæcumque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis,
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus (vt fama est) cassa formidine torpens:
Sed magis in vita Diuûm metus vrget inanis
Mortales, casumq; timent, quemcumque ferat sors.

Euripides quoque in Oreste hac pœna puniri Tantalum asserit his versibus:

Διὸς πεφυκὼς, ὥς λέγουσι, Τάνταλος
Κορυφῆς ὑπὲρ τέλλοντα δειμαίνων πέτρον
ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην. idest,
Ioue, vt ferunt, natus Tonante Tantalus
Summo imminentem vertici petram timens
Per aera exspatiatur hanc pœnam luens.

Idem testatur Pindarus Ode 1. Olymp.

——— Κόρῳ δ' ἕλεν
ἄταν ὑπέροπλον,
Τὰν οἱ πατὴρ ὑπὲρ κρέμα. ———
Σε καρτερὸν αὐτῷ λίθον
Τὸν ἀεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν
Εὐφροσύνας ἀλᾶται. idest,

Satietate autem accepit damnum maximum, quod pater illi superappendit validum lapidem, quod semper meditans à capite depellere, à lætitia aberrat.

ΘΟΥΚΥ-

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Τοιούτῳ μὲν πάθει οἱ ἀθηναῖοι περιπεσόντες ἐπιέζοντο, ἀνθρώπων τε ἔνδον θνησκόντων, καὶ γῆς ἔξω δηουμένης. ἐν δὲ τῷ κακῷ, οἷα εἰκὸς, ἀνεμνήσθησαν, καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους φάσκοντες, οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ᾄδεσθαι.

Ἥξει δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

Ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις τοῖς ἀνθρώποις μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμὸν, ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως, λοιμὸν εἰρῆσθαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον τὴν μνήμην ἐποιοῦντο. ἢν δέ γε, οἶμαι, ποτὲ ἄλλος πόλεμος καταλάβοι δωρικὸς τοῦδε ὕστερος, καὶ ξυμβῇ γενέσθαι λιμὸν κατὰ τὸν οὕτως ᾄσονται.~

TAli igitur calamitate Athenienſes circumuenti affligebantur, & hominibus intra vrbis mœnia morbo intereūtibus, & regione foris ab hoſtibus vaſtata: In malo vero hoc (vt videtur eſſe cōſentaneum) in memoriā reuocarunt carmen hoc, quod ſeniores aſſerebant cani ſolitum antiquitus:

Doriacum aduenient bellum, & Lœmos ſimul ipſo.

Orta igitur altercatio inter homines, cum dicerent nō Lœmon peſtilentiam eſſe nominatam in verſu ab antiquis, ſed Limon famem: ſed euicit in præſentia nō immerito, vt peſtilentia diceretur. Homines enim ad mala, quæ patiebantur, carminis reuocatā memoriā accōmodabant. Si vero, vt opinor, aliud aliquando bellum inuadat Doricum, poſt hoc, & forte fortuna contingat adeſſe famem, veriſimiliter hoc modo canent.

FABII

FABII PAVLINI

COMMENTARIVS.

PERFVNCTVS tandem suscepto munere explicandi pestilentiam Atheniensem, & illius demonstrata sæuitie, cum symptomatum malorum enumeratione, tum amplificatione per oratorios penicillos, atque pigmenta facta ab adiunctis, eleganti epilogo claudit disputationem, & aditum sibi munit, vt in orbem, & quasi alueum historici propositi redeat, & depositis personis, quas hactenus, permutatis vicibus, sustinuit Philosophi, Medici, & Oratoris, agat Historicum, paulatimq; sese recipit, dicens ita vexatos Athenienses duplici malo intus, & foris: intus pestilentia depascēte corpora; foris hostibus agros vastātibus. Tanquam porrò auctarium digressionis huius à proposita materia paululum abhorrentis aliam subnectit historiam, quòd scilicet cum hoc malo laborarent, in memoriam reuocarunt carmen antiquum, quod dicerent seniores cani solitum antiquitus vulgo, quo admonebātur futurum bellum Lacedæmonium coniunctum cum λοιμῷ, quæ vox cum duo significet, prout varie scripta est: per οι diphthogū significat pestem, per ι solum significat famem, occasionē præbuit hominibus cupidis contentionis sententias variandi, cum alij famem, alij pestilentiam intelligendam arbitrarentur: sed euicit in hac controuersia rei præsentis, & per se loquentis testimonium, quod eo tempore peste laborarent, vt de peste intelligeretur accommodantibus singulis ad rei

præ-

præsentis,& vrgentis mali propositum antiquam prędiuina tionem,atque præsagium. Quòd si iterum, inquit, bellum exortum fuerit, & illi comes sit fames, & penuria, tunc mutata sententia,rursus alteram probabunt interpretationem, & famem, nō pestilentiam significatam fuisse contendent.

De futuris contingentib. triplex opinio.

τοιούτῳ μὲν πάθει, Talem calamitatem.] Non sine maximo iudicio Thucydes quippe qui lente,& diu dicitur singula huius historiæ verba perpendisse,cum vsus hactenus multis esset vocabulis ad pestilentiam hanc, & morbum significandum · appellauit enim κακὸν malum, νόσον, & νόσημα morbū, φθόραν,& φθόρον,postremo loco posuit πάθος,quod est vocabulum generalius,& plura complectens: erat enim de symptomatis locutus,quæ vexarunt corpora pestilētia affecta, mox de animorum qualitatibus, & vitijs, quæ eos ad omne facinus impellebant,quæ fuisse dixit audaciam,libidinem,& lucri cupiditatem, duobus explosis legum custodibus, timore scilicet,& verecundia,consentaneum erat, vt omnia concludens hac epilogi clausula, vteretur vniuersaliori vocabulo, ideoq; delegit verbum πάθος, quod ad morbos, & symptomata, ad perturbationes,& affectus, ad qualitates denique, & omne calamitatis genus erat aptum significandum: quare cum hic uelit hæc omnia significare,quia de his omnibus verba fecit,nullum est latinum verbum, quo recte possit exprjmi huius uis uocabuli,huiusq; rei nobis dat testimonium Cicero,qui modo uertit perturbationes,modo morbos,modo ægritudines, modo affectiones: neque tamen unquam sibi satisfacit, sed de Fin. lib.3.& in Tusc.uidetur magis probare morbi uocabulum,cum tamen dicat non posse ad omnia,quæ significat πάθος,extendi: quod tamen ita esse quidā sed frustra contendunt: linguæ enim Latinæ inopia non est cum Græcæ diuitijs comparanda. Sed quoniā hæc uox apud Medicos,&potissimum apud Galenum est frequentissima, ideo de ea magis medice disputemus. Apud Medicos igitur generatim significat omne morbi genus,atque symptomatis, & pro omni malo adueniente accipitur: sed si exactius differentias uerborum persequi uelimus,quidam (ut Græc. Pand. auctor) statuunt hoc discrimen inter νόσον, & πάθος, quòd dicunt νόσον, idest, morbum esse momentaneum, & temperantiam corporis imbecillitatem, τὴν ἀσθένειαν· πάθος

πάθος nullo Latino vocabulo exprimi pōt

uero

uero τὸ διηνεκὲς σώματος ἐμπόδιον, perpetuo durans corporis impedimentum. Sic etiã distinguunt à βλάβος, id est, damnũ, quia πάθος dicunt esse internum, βλάβος externũ nocumentum, & læsionem partis humani corporis. Galenus lib. 2. Meth. med. cap. 3. nullum ponit discrimen inter νόσον, seu νόσημα, & πάθος, seu πάθημα: dicit enim à se demõstratũ in his, quæ scripsit de medicinalibus vocabulis veteres vsurpasse πάθος pro νόσημα, quemadmodum etiam ἀῤῥωσίαν, infirmitatem, & imbecillitatem, & pariter ægrotantes appellari, non solum νοσοῦντας, sed etiam ἀῤῥωσοῦντας, ἀσθενοῦντας, & κάμνοντας, vbi fortasse verbum desideratur πάσχοντας, cum eius vocabuli causa sit suscepta illa oratio, quod tamen non ita frequenti in vsu est, sed si πάθος dicitur, cur verbũ quoque πάσχειν in eodem sensu nequeat vsurpari? Eodem etiã loco longam habet orationẽ de hoc vocabulo, vt à veteribus sit acceptum, & à recẽtioribus vsurpatum, & distinctum à διάθεσις, quam non erit alienum hic paucis referre. Duplicem facit ergo Galenus rerum naturam, alteram earum, quæ in generatione, mutatione, & alteratione γενέσει, μεταβολῇ, ἀλλοιώσει, & in motu κινήσει demum τὸ εἶναι μεταλαμβάνει, essentiam accipit, & habet, alteram earum, quarum substantia permanet οὐσία διαμένει. Ex hoc secũdo genere dicit esse sanitatẽ ὑγείαν, & morbum τὴν νόσον, & quæcumque sunt symptomatum, vel causarum διαθέσεις, καὶ ἕξεις, affectiones, vel habitus: actiones omnes ἐνέργειαι, & alterationes, ἐν τῷ γίγνεσθαι τὸ εἶναι κέκτηνται in ipso fieri essentiam possident: & corpus secundũ quodcumque mouetur, secundũ idem patitur, motusq́; eius πάθος dicitur: quare dicit veteres appellasse πάθη, omnes motus etiam secundũ naturam ἐν τῷ κατὰ φύσιν ἔχειν, preter δραστικὰς actiones, quæ vocãtur ἐνέργειαι, & Platonem etiam dicit vocasse πάθη τὰς τῶν αἰσθήσεως ἀλλοιώσεις, sensuũ alterationes: iuniores uero dicit aliter iudicasse, & de solo eo motu id nomen usurpasse, quod sit παρὰ φύσιν præter naturam, & ueteres quidem dixisse πάθος ἰδίως, proprie ἐπὶ πάσης τῆς ἔξωθεν κινήσεως, de omni motu extrinseco, nunc abusos uocabulo, appellasse etiã πάθη, τὰς ἐκ πάθους μὲν γεγενημένας τῶν διαθέσεων, οὐκέτι δ' ἐν κινήσει, eas, quæ ex passione factæ sunt affectiones, nec amplius sunt in motu. Neque tamen diuturnior, aut δυσλυτώτερον, id est, ęgrius solubilis, est affectio habitu, veluti

πάθος quid sit.

neque etiam ἀῤῥωσία, ideſt, imbecillitas, ſeu ægritudo, & hęc ex recentiorum νομοθεσίαις regulis nominum deſcripta dicit, ipſe deinde ſubdit ex ſua doctrina, affectionem τὴν διάθεσιν, contrariam ſanitati, quæ lædit τὴν ἐνέργειαν, actionem, uocari proprie νόσημα, ideſt, morbum tantum, ſiue diuturnus, ſiue breuis, ſiue momentaneus ſit ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ. Omnes alias, quæ præcedunt προηγουμένας τουτῶν, affectiones præter naturam, cauſas, non πάθη uocari: quæ uero conſequuntur has, & lædunt actiones, ſymptomata, & πάθη, & eodem modo etiam immodicas euacuationes, & retentiones: quæcumque uero διαθέσεις ſunt ueluti ἀχροια, ideſt, nullus naturalis color, uel uitioſus, præter πάθους, & ſymptomatis uocabulum, dicuntur etiam, prout ſunt, διαθέσεις, ideſt, affectiones: in lib. autem de ſymptomatum differentijs, eadem ferè dicit, ſed breuius, quæ non erit alienum declarare. Dicit ergo à διακεῖσθαι dictam διάθεσιν, & eſse commune ſanorum, ægrorum, & neutrorum, quia & cantus, & harmoniæ & orationis, & dictionis eſt διάθεσις. πάθος uero, & πάθημα differre à diatheſi, ueluti etiam à morbo ex Platone, quia quicquid patiatur aliquis, dicitur πάθος: quare ſub eo cadere alterationes ſenſuũ, & ipſam etiam uoluptatem τὴν ἡδονὴν, & omnem alium motum ab altero factum in altero. Quare ita concludit, ἡ μὲν τοῦ ποιοῦντος κίνησις ἐνέργεια, πάθημα δὲ καὶ πάθος, ἡ τοῦ διατιθεμένου πῶς ὑπ' αὐτοῦ. καὶ γὰρ καθόλου τὸ διατίθεσθαι πῶς ταυτὸν τῷ πάσχειν ἐστί. καὶ διήνεγκε τῆς διαθέσεως τὸ πάθημα κινήσει, παυσαμένου γὰρ τοῦ ἀλλοιοῦντος, ἡ περὶ τὸ παθὸν ἀλλοίωσις ὑπομένουσα, διάθεσις ἐστὶ τοῦ παθόντος. ἐν αὐτῷ μὲν τῷ τρέπεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι, καὶ ἀλλοιοῦσθαι, καὶ κινεῖσθαι τὸ πάθος ἔχει τὴν γένεσιν, ἐν δὲ τῷ μένοντι, καὶ σωζομένῳ περὶ τὸ ὑποκείμενον σῶμα τὴν διάθεσιν, ideſt, agẽtis motus eſt, actio, pathema, & pathos affecti quodãmodo ab ipſo, etenim generatim affici quodãmodo idem eſt, ac pati. Et differt à diatheſi, pathema, motu: ceſsante enim alterante, alteratio facta circa paſsum permanẽs eſt diatheſis paſsi. Quare in ipſa verſione permutari, alterari, & moueri, πάθος habet generationem: in permanente ueto, & reſtante circa ſubiectum corpus diatheſin, ideſt, affectionem, confundi tamen hæc uocabula apud Græcos dicit, quia ſcilicet uocent πάθος, & μένουσαν διάθεσιν, permanentẽ affectionẽ, & αἴτιον πεποιηκός, οὐκέτι ποιοῦν, & cauſã, quæ fecit, nõ amplius facit:

πάθος & διάθεσις quo differant.

facit: cum tamen neutrum vere sit πάθος, sed μένουσα διάθεσις sit γεγονὸς πάθος.

ἔνδον θνησκόντων, Intus morientium.] In omnibus his periodis frequentes sunt ἀντικείμεναι λέξεις coniunctæ cum his, quæ sint tantum φαινόμενα, intus, foris, vera antitheta, hominum, terræ, apparentia. Sic supra θεῶν φόβος, ἀνθρώπων νόμος, tantum apparentia.

γῆς ἔξω δῃουμένης, Extra mœnia regione vastata.] Quantã stragem, quandam vastitatem dederint Peloponnesij in hac populatione, declarat Diodorus Siculus lib. 12. quem alibi citauimus: & ideò nunc omittimus.

οἷα εἰκός, Vt videtur esse consentaneum.] Solent enim homines (vt etiam Portus annotat) dum calamitate aliqua, malisq; premuntur, in memoriam reuocare quicquid actũ, & dictũ antea fuerit, quod posset illud malum portendere, & denunciare.

τοῦδε τοῦ ἔπους, Huius carminis.] Antiquitus omnia oracula fuisse carminibus tradita, multa extant, quæ testãtur, imò prius scribi solitum carminibus tantum, plerique autumãt. Et omnia erant literarum tradita monumẽtis per carmina ante Pherecydis, & Hecatęi tempora, qui primi carmine dissoluto pedestri vti cœpere oratione: sed potissimum oracula per versus tradebantur, quia verisimilius est Deos ligata numeris oratione vsos, quàm soluta, cum etiam ipsa poetica sit quid diuinum, & à Dei munere, ac dono proficiscatur: quare apud Vergilium in 6. appellauit carmina oraculum,

Oracula carmine tradebant antiquitus

—— *Folijs tantum ne carmina manda.*

Cur vero antiquitus carminibus ederentur oracula, docet Plutarchus in Opusc. de Pythiæ orac. ad obscurandam scilicet orationem, & accersendam illis dignitatem, & auctoritatem, & fidem ex inuolucris, tum etiam ad vitam ministrorũ tuendam, qui, si apertis verbis essent prodita oracula, periclitati fuissent. Tyranni enim ea consulentes, & aduersa sibi audientes, eos interfecissent. Addit etiam causa memoriæ, vt facilius retinerentur versibus comprehensa. Quòd vero, vt dixi, antiquitus oracula ferè omnia ederentur carmine, colligitur aperte ex eodem Plutarcho in eo dialogo, vbi cũ reddat rationem, & causas, cur Pythia nõ amplius versibus, sed prosa oratione oracula edat, nobis dat certissimũ testimo-

nium edi versibus solitis: & ex Herodoto, qui lib. 1. vbi recitat oraculum Pythiæ Delphicæ, quod Lydis de Cræso Rege petentibus respondit, vtitur his verbis: ἡ πυθίη ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ λέγει τάδε. Pythia in Hexametro tono hæc refert. Et etiam ex Cicerone in 2. de Diuinatione, vbi recitatis duobus decantatis oraculis, primo illo:

Cræsus halym penetrans magnam peruertet opum vim.

Et altero Enniano:

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Confutans ait, Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat. Et mox de Pythia verba faciens ait: Quid tam diuinum autem, quàm afflatus è terra mentem ita mouens, ut eam prouidam rerum futurarum efficiat, vt ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero, versuque pronuntiet.

φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι, Dicentibus senioribus.] Hic quoque vt superiori in periodo est atticismus in nominatiuo posito pro genitiuo absoluto: nam ne quis dicat esse nominatiuũ verbi ἀνεμνήσθησαν, positum est paulo ante verbũ ἀθηναῖοι, ad quod refertur verbum illud: nam propterea in memoriã reuocarunt, quòd seniores asseuerarent decantari vulgo antiquitus elapsis temporibus consuetum.

ἥξει δωριακὸς, Doriacum adueniet.] Nos ita vertimus Græcum ad verbum exprimentes. Valla suauius:

Doriacum veniet λοιμῷ *comitante duellum.*

Homerus etiam magnum malum voluit significare, & graue periculum ex horum duorum malorum coniunctione:

εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ, καὶ λοιμὸς ἀχαιούς. idest,

Si coniuncta premunt, & bellum, & pestis Achiuos.

Ex hoc porrò versu, & oraculo nos admonemur. Primum solere Deos ingentes clades oraculis ante prænũciare, vt admoniti homines de sua salute cogitent, & conuersa à peccatis mente ad Deum, imploratoq; eius præsidio, uel euitent periculum, uel leuius puniantur. Sic Cicero in suo Consul. inducit Vraniam loquentem:

Multaq; per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant tristes minitantia casus.

Pestes solent prænũciari ab oraculis.

Sed potissimũ in pestilentia: quare etiã in sacris literis Deus solet multo ante minari. Sic Pharaoni Exodi cap. 9. sic rursus

ſus cap. 15. populo peſtem, & plagam hanc minatur, & in Deuteronomio cap. 28. & in Leuitico cap. 26.

Δωριακόν, Doriacum.] Bellum hoc varia ſortitum eſt nomina: uocatum enim eſt ab omnibus ferè Peloponneſiacũ, quòd tota Peloponneſus illud geſſerit, dictum etiam Archidamium ab Archidamo primo Duce Lacedæmoniorum, dictum Lacedæmonium à Lacedæmonijs, qui principes partes gerebant, dictum Doriacum à Dorienſibus, qui antea fuere Achæi, mox à Dorieo Duce dicti ſunt Dorienſes, mutatis ſedibus, ut teſtatur Plato in 3. de legib. ubi ita: αθ. δὲ καὶ δ' ἔτη που μείναντες ἀχαιοὶ τὴν Τροίαν ἀνάστατον ἐποίησαν. κλ. καὶ μάλα. αθ. οὐκοῦν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ὄντι δεκέτει ὅν τὸ ἴλιον ἐπολιορκεῖτο τὰ τῶν πολιορκούντων ἑκάστῳ οἴκοι κακὰ πολλὰ ξυνέβαινε ἐπὶ τὰς στάσεις τῶν νέων, οἳ καὶ ἀφικομένους τοὺς στρατιώτας εἰς τὰς αὐτῶν πόλεις, καὶ οἰκίας, οὐ καλῶς οὐδ' ἐν δίκῃ ὑπεδέξαντο, ἀλλ' ὥστε θανάτους τε, καὶ σφαγάς, καὶ φυγὰς γενέσθαι παμπόλλας, οἳ πάλιν ἐκπεσόντες κατῆλθον μεταβαλόντες ὄνομα, δωριεῖς ἀντ' ἀχαιῶν κληθέντες διὰ τὸ τὸν συλλέξαντα εἶναι τοὺς τότε φυγάδας δωριέα, καὶ δὴ ταῦτά γε ἤδη πάνθ' ἡμεῖς ὦ Λακεδαιμόνιοι τἀντεῦθεν, μυθολογεῖτε, καὶ διαπεραίνετε, ideſt, Decem uero annos permanentes Achęi Troiam ſolo æquarunt. CL. plane. Ath. In hoc igitur tempore decennij, quo obſidebatur Ilium, multa mala ſingulis obſidentibus domi euenerunt orta propter ſeditiones iuuenum, qui etiam milites ipſos redeũtes in ipſorum ciuitates, ac domos, nec honeſte, nec iuſte ſuſceperunt, ſed ita ut multæ mortes, multæ cædes, ac fugæ fierent, qui rurſum eiecti abierunt mutato nomine, Dorienſes pro Achiuis appellati, quòd qui eos collegit profugos Dorieus fuerit dictus, & hæc omnia vos Laedæmonij exponitis, ac narratis. Alij dictum putant à Dorio, quod oppidum Peloponneſi tradunt. Stephanus de Vrbibus ait: Δώριον πόλις μία τῶν τριῶν. Dorium una ex tribus ciuitas, in qua auctore Doſitheo dicit à Thamyra inuentam, τὴν Δώριον ἁρμονίαν, Doricam harmoniam. Sed nequaquam hæc repugnant, nam oppidum, ſiue ciuitas illa potuit condi ab eodem auctore Dorieo, ſiue Doro. Strabo lib. 8. Geographiæ uidetur Intelligere Aeolicos pro Dorienſibus, cum dicat eandem eſſe linguam Doricam, quæ Aeolica, quòd probat ex eo, quòd omnes extra iſthmum habitantes, exceptis Athenienſibus, & Megarenſibus appellantur

Varia nomina ſortitum bellum Peloponneſiacum.

tur

tur suo tempore Aeolici,& mox asserit multis factis permutationibus gentes duas in Peloponneso restitisse Aeolicos, & Doricos. Lib. uero 9. meminit rursus Doriensium,& eos dicit Tetrapolim muniuisse Doricę nationis Metropolim, quatuor vrbes eorum præcipuas recenset Erineum, Boium, Pindum, Cytinium. Horum fuisse tradit Regem Aepaliũ, quem cum regno pulsum Hercules restituisset,in beneficij memoriam moriens Hylum Herculis filium cooptauit, qui regno successit, & ab eo Heraclidarum gens regia prodijt, quæ mox totam Peloponnesum occupauit. Hanc eandem gentem à Doro Hellenis filio ductam,& occupata Peloponneso Dori causa appellatam testatur Herodotus lib. 1.

Pestis consequit bellum.

λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ, Pestis simul illo] Quòd pestis frequenter consequatur bellum, ex historijs facile apparebit, si persequi illa uelimus. Apud Liuium lib. 7. ab Vrbe cond. 262. Incommodo bello in tam arctis cõmeatibus uexati forent, ni Volscos iam mouentes arma, pestilentia iam inuasisset anno 318. Vrbes tamen non oppugnatę, quia pestilentia populũ inuasit. Sic bellum Punicum, de quo lib. 25. anno 539. comitata est pestilentia: de qua Liuius. Accessit eis pestilentia cõmune malum, quod facile utrorumque animos auerteret à belli consilijs, &c. Sic lib. 29. in bello anni 546. tantam narrat incessisse in ea castra uim morbi, ut nisi dimittantur, nemo omnium superfuturus videatur. Sic anno 570. exercitus ægre explebatur propter pestilentiam,& mox anno 576. delectus Consuli eo difficilior, quòd pestilentia, quæ priore anno in boues ingruerat, eò uerterat in homines. Sic apud Eutropium tantus casus pestilentiæ fuit, ut post uictoriã Persicam, Romæ, ac per Italiam, Prouinciasq; maxima hominum pars, militum omnes ferè copiæ languore defecerint. Quod ita Metaphrasi vertit sua Pæanius Græce, μετὰ γὰρ πολὺ πλῶμα τῶν ἐναντίων τὸ κατὰ τὴν μάχην ἐγένετο μεῖζον ἕτερον ἐπελθόντος λοιμοῦ τοῦ τε ἀέρος ἐπὶ τοσοῦτον φθαρέντος ὥστε μετὰ τὴν νίκην ἅπασαν σχεδὸν τὴν στρατιὰν διαφθαρῆναι. Zosimus historiarum lib. 1. in Decio. οὐχ ἧττον δὲ πανταχόθεν ἐπιβρύσαντος πολέμου, καὶ ὁ λοιμὸς πόλεσί τε, καὶ κώμαις ἐπιγενόμενος ἔτι λελειμμένον ἦν ἀνθρώπειον γένος διέφθειρεν. Non minus uero ex omni parte ingruente bello, & pestilentia vrbibus, & uicis incidẽs, si quid reliquum erat humani generis interfecit. Eusebius

Pam-

Pamphili lib. 7. Μετὰ ταῦτα λοιμικῆς τὸν πόλεμον διαλαβούσης νόσου. Post hæc cum bellum pestilens excepisset morbus.

ἔρις, Contentio.] Merito dubitatum est de hoc uerbo, cũ vulgo caneretur non scriptum ab oraculo, sed ita pronuntiatum, ut nulla res distinctionem posset efficere: nam etiam ipsa fames consequi solet bellum, & fortasse frequentius, adeo ut hæc duo, pestis, & fames sint perpetui belli comites, atque satellites: quare etiam hæc tria dicuntur Dei flagella, & plagæ in sacris literis. Et hæc tria Dauidi fuere à Deo proposita simul, ut quod uellet, optaret, & frequentissime hęc duo simul ambo affligunt, & consequuntur bellum, ut ex historicis licet colligere. Apud Liuiũ anno 290. lib. 3. duo simul mala ingentia exorta, fames, pestilentiaq; fœda homini, fœda pecori, uastati agri sunt, &c. lib. 4 anno 317. pestilentia, inopiaq; frugum circa A. Corneliũ Cons. fuit. lib. 5. anno 363. eodem anno nouum bellum, cum Volsiniensibus exortum, quo propter famem, pestilentiamq; in agro Romano ex siccitate, caloribusq; nimijs ortã exercitus duci nequiuit, lib. 6. anno 372. pestilentiam, inopiam frugum, & uulgatã utriusque mali famam anno insequente multiplex bellum excepit. Paulus Orosius lib. 2. cap. 5. idem ostẽdit. Vrget se, atque imminet sibi extra illas apertas bellorum clades successu misero clandestina malorum abhominamenta fames, & pestilentia fessam urbem corripuere. Cessatum est paulisper à præliis, cessatum tamen à mortibus non est. Et idem seq. cap. arma Romana fames, pestilentiaq; compescuit. Quare Romani experientia iam docti, ubi altero horum malorum premebantur, de altero auertendo cogitabant: hinc apud eundem Liuium lib. 4. dicitur post pestilentiam magna clade, & magna in Vrbe, agrisq; promiscue hominum, pecorumq; pernitie accepta famem cultoribus agrorum timentes, in Etruriam, Pomptinumque, & Cumas: postremo in Siciliã quoque frumenti causa misere: eleganter uero Massarias lib. 1. de Peste, notat inter hęc duo nomina affinitatem tantam à ueteribus relictam, ut unius tantum literę interiectu o, scilicet, alterum ab altero distingueretur, ut rerum ipsarum coniunctionem significarent. Ait enim inter famẽ, & pestem tanta est consensio, ut uix, & raro alteram ab altera separare liceat, quod solertissimi illi ueteres, uel ipsis nominibus

Pestis, & fames belli comites perpetui.

minibus indicare voluerunt non aliter quàm simplici o, alterum ab altero distinguentes pestilentiam λοιμὸν, famem λιμὸν appellantes. Quod etiam alij annotarũt qui de peste scripserunt, vt Philippus Ingrassias par. 1. cap. 2. vbi sororem pestilentiæ dicit esse famem: & ideo apud Græcos parum distincto vocabulo appellatas. Nec desũt alij medici, qui famẽ præcedentem statuant futuræ pestis signum, vulgoq; etiam iactatur, post famem pestis: quare etiam medici (vt aliquid medicum in re non medica, vel ioco afferatur) famem in pestilentia quasi illius sorore nõ esse adhibendã monent, quia altera alterã potius iuuat, cum similis, & germana sit: similibus enim omnia nutriũtur, cõtrarijs curantur: & ideo omnes apud Hippocratem, & Galenum, qui cibos sumpsissent in pestilentia sanatos cõperimus, & Auicẽnas, alijq; Arabes iubent ægros cogere ad suscipiendũ cibum, sed hoc dogma quomodo sit intelligendum, in superioribus satis est declaratum. Hanc famis, & pestilentiæ coniunctionem significari tradunt Grammatici quidam ex ipsa deriuatione, quia alterum ab altero sit deductum. Auctor Etymologici tradit inter alias etymologias hanc quoque quòd sit dicta pestilentia λοιμὸς παρὰ λιμὸς à fame, quia λιμὸς ἔνδεια σίτου, λοιμὸς ἔνδεια σωμάτων, fames indigentia cibi, pestilentia corporũ indigentia. Idem quoque vtrumque verbum ἀ λείπω, ideſt, deficio deducit. Sed quoniam in medicos campos digressa est oratio nostra, possumus ex eorum etiam opibus, & penu nostrã confirmare sententiam: plurimæ enim pestes in medicorũ libris inueniuntur, quæ in fame ortæ sunt. Celeberrima est illa Galeni in 1. de bonit. & vitio succorũ, quam in agro Romano ex prægressa fame ortam dicit Alterius sæuissimæ pestis ex fame ortæ est mentio apud Auenzoar Arabum sectæ non postremum medicum lib. 3. tract. 3. cap. 4. Apud Historicos vero si percurrere velimus innumerabiles recenseri possunt: Huiusmodi fuit pestis apud Herodotum lib. 8. in exercitu Xersis Persarum Regis, è Græcia fugientis: tanta enim fame laborarunt, vt frondibus, & radicibus herbarum vescerentur. Huiusmodi fuit illa pestis in exercitu Alexandri Magni, dum ex India reuerteret, in qua cũ radicibus palmarum vsi essent, in pestilentiam grauissimam inciderunt, de qua Plutarchus in vita Alexandri, & Q. Curtius lib. 9. &

Pestes ortæ ex fame.

Sabell. Enn.4.lib.6.& alij. Huiuſmodi fuit illa peſtis, qua Delphij laborarunt, ira numinis ob interfectum Aeſopum: ſterilitatem enim agrorũ primo immiſit, ac famem, mox ſubſecuta peſtilẽtia, & morbi tetri: de quo Plutarchus in Opuſc. de his, qui ſero à numine puniuntur. Sic illa Lemniorum, de qua nos in prima parte verba fecimus, vbi de Lemno mentionem facit Thucydides. Ex fame etiam orta peſtis illa Maſſilienſium in obſidione, de qua Cæſar lib. 2. belli Ciu. huiuſmodi fuere tres peſtes apud Appianum Alexandrinum: prima in exercitu Carthaginienſium à Maſſiniſſa Rege Numidum obſeſſo, altera in exercitu Mithridatis, in obſidione Cizici: tertia in exercitu Romanorum contra Parthos, ductore Antonino: huiuſmodi fuit peſtis in ciuitate Hieruſalem obſidionis Veſpaſianæ tempore, in qua tamen conuerſo ordine fames ſubſecuta eſt peſtem, de qua Ioſephus Hiſtoricus lib.7.bel.Iud. Talis fuit illa peſtis tempore Maximini, quæ cum fame ſimul eſt aggreſſa (vt inquit Euſebius Eccleſ.hiſtoriæ, lib.6. vbi eam deſcribit, Τοῦτον δὲ τὸν τρόπον δυσὶν ὅπλοις τοῖς προδεδηλωμένοις λοιμοῦ τε ὁμοῦ, καὶ λιμοῦ στρατεύσας ὁ θάνατος ὅλας ἐν ὀλίγῳ γενεὰς ἐνεμήθη, ideſt, hoc pacto duobus telis ante declaratis, peſte ſcilicet, & fame, confecto exercitu mors, integras paruo tempore generationes depaſta eſt. Itẽ ea, quæ deſcribitur à S. Victore epiſc. lib.3. perſecutionis Vãdalicæ. Si recentiorũ vero hiſtorias perſequi velimus, plura adhuc exempla reperiemus. Sigonius de regno Italiæ lib. 1. agens de peſte Inguinaria ſub Gregorio, diram hanc peſtilentiæ cladẽ graues duæ quoque curæ aliæ onerarunt; ſumma rei frumentariæ inopia ex ſuperiore ſatorum inundatione profecta, & fœdæ Logombardorum Ducum in ipſam Romanorum regionem impreſſiones. lib. 11. anno 1146. ſuperiorem famem fœda peſtilentiæ lues excepit lib. 18. ſub Friderico XI. 1244. in Italia eo anno maxima annonæ penuria mox ſæuiſſima peſtilentia laboratum, & in præcedenti dixerat hiems ſolito aſperior inhorruit, ex quo maxima pecudum, arborumq; pernities conſecuta, quæ magnã victus inopiam, & inopia grauem peſtilentiam importauit. Et de regno Occidentali lib. 13. de Attilæ flagello verba faciens: Suberat præterea ſingularis rerum ad victum opportunarũ inopia, ac fœda ex ea ſuborta, ac paſſim diſperſa peſtilentia,

mala pacatis etiam, compositisq; rebus asperrima. Polydorus Vergilius Vrbinas in historia Anglica multarum facit pestilentiarum mentionem, quæ à fame originem, principiumq; duxere, & appellat eam cognatam, & comitem famis, lib. 3. Quo factum est, vt breui ingens fames peruaserit, cui incommodo aliud pernitiosius accessit: pestilētia enim semper cognata famis quàm vehementissimè secuta est. Et lib. 16. ait: Anno, qui secutus est, qui fuit salut. humanę 1234. & cum Henricus regnare cœpit xvij. laboratum est primo fame, quia insolita frigoris vis ita fruges retardauit, vt suo tempore maturescere nequiuerint, deinde pestilentia, quæ famis comes semper esse solet, multarū quoque aliarum pestium cum fame coniunctarū meminit: sic alij complures, quos breuitatis studio prætereo: quare sæpenumero fit apud scriptores, vt vnum pro altero mutatione vnius literæ accipiatur. Sic apud Herodotum euenisse ostendimus in prima parte, vbi de Lemno dicitur, & apud Pausaniam in Corinthiacis. Duobus vero modis consequi famem pestilentia consueuit, vel duabus de causis, primo propter κακοχυμίαν, id est prauorum, ac malignorum succorum vitium, atque venenum intus genitum, ac latens, quia scilicet ob inopiam vesci coguntur homines prauum succum gignentibus cibis, quod narrat Galenus in peste Romana illa in principio libri de bonit. & vitio ciborum, vt herbis, radicibus, & putridis rebus, vt de ossibus mortuorū narrat Auenzoar, & hinc venenum intus in venis generatur, ac colligitur: secundo propter πληθώραν, idest, plenitudinem, & satietatem, vnde fomes putredinis: nam post inediam, & famem sequi solet, vel cæli clementia melior annus, vel Principum prouidentia, qui rebus angustis consulunt, & frugum copiam aliunde inuectam in suas inferunt regiones: tunc enim homines vix videntur sibi posse saturari, & membra ipsa naturalia longa ante inedia, ac inopia afflicta, & macerata, & postea largius, & celeriter nutrita, & infarcta, in concoctione difficili propter caloris naturalis hebetati, obtusi, ac fracti imbecillitatem labefactata, ac debilitata, corruptioni, & putrefactioni humorum sunt vehemēter obnoxia, neque eam possunt subterfugere, huius causæ vtriusque inter alias facit mentionem Aegineta lib. 2. cap. 34. de morbis pandemicis, ἔνδεαί τε

Duabus de causis consequit famē pe- lentia.

καὶ πλησμοναὶ λιμοῦ κατασχόντος, ἢ εὐθηνίας γινομένης, idest, causę sunt morborum indigentiæ, & saturitates, cum vel fames grassata est, vel largior prouentus accessit.

λιμὸν, Famem.] Auctor Etymologici ex Tryphone Grãmatico eleganter explicat hujus vocis Etymologiam, dictã asserens à λείπω, idest, deficio, ꝙ significet defectũ necessariarum rerum, λεῖψιν τῶν ἐπιτηδείων, & passam fuisse vocem vnà cum re significata defectum, quia cum scribi per diphthongum debuisset, defectum vnius literæ passa est, & dicta simpliciter λιμός. Γίνεται παρὰ τὸ λείπω λεῖψω, λιμὸς καὶ ὤφειλε διὰ διφθόγγου γράφεσθαι, ἀλλὰ συνέπαθεν, ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ, ἐπειδὴ γὰρ ἔνδειαν δηλοῖ, τούτου χάριν, καὶ ἔνδειαν φωνήεντος ἀνεδέξατο, idest, Fit à lipo lipso limos, & debuit per ει diphthongum scribi, sed consensit vox ipsi significato: quoniã enim indigentiam significat, hac de causa, & vocalis indigentiã recepit. Apollonius Grammaticus à λιμπάνω deducit, & Dorienses fœminino genere enunciant, vt etiam pestem. Ex hoc vero loco, quoniam apparet luce meridiana clarius, quod nullum erat in pronuntiando discrimen inter λοιμὸν cum διφθόγγῳ, & λιμὸν simpliciter, facile deprehenditur, imò redarguitur quorundam hominum curiosa nimis diligentia, ne dicã inscientia, qui in Græca lingua separatim enunciant ipsas diphthongos: hoc enim est plus sapere, quàm oportet, & vera (vt dicam libere quod sentio) ignorantia: communis enim doctorum hominum consensus semper in ambiguis debet nobis esse propositus, tanquam canon, & regula, à qua, qui recedunt, aberrant, & tempore res ipsa iudicat, & coarguit eorum errores.

Error eorum, qui in Græca lingua diphthõgos separatim enunciãt.

Πρὸς ἃ ἔπασχον τὴν μνήμην ἐποιοῦντο, idest, Ad mala, quę patiebantur carminis reuocatam memoriam accommodabant.] Hunc esse populorum, & hominum fere omnium morem facile colligi potest ex historijs, vt scilicet ad præsentis status rationem præterita oracula accommodent, & interdum sæpe etiam aliena. Sic Dion in Tiberio narrat perturbatum populum propter oraculum sua potius tempora respiciens, quàm illa, ad quæ tamen homines illud accommodabant, & subinde perterritos. λόγιόν τέ τι ὡς καὶ σιβύλλειον ἄλλως μὲν οὐδὲν τῷ τῆς πόλεως χρόνῳ προσῆκον, πρὸς δὲ τὰ παρόντα ᾀδόμενον οὐκ ἡσυχῇ σφᾶς ἐκίνει, idest, & oraculum quoddam

tanquam sibyllinum habitum alioquin nihil vrbis temporibus conueniens: ad præsentis vero temporis statum decantatum non parum ipsos commouebat. Sic in Nerone, Αὐτοὺς ἡ μνήμη τοῦ λογίου κατὰ τὸν τιβέριον ποτὲ ᾀσθέντος ἐθορύβει, id est, Ipsos recordatio oraculi olim Tiberij temporibus decantati perturbabat. Et Procopius lib. 1. Hist. de bello Gothico dicit Romanos perterritos recordatione Sibyllini oraculi. τότε ῥωμαῖοι ἀνεμνήσθησαν τοῦ σιβύλλης ἔπους, ὅπερ ᾀδόμενον, ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ τέρας αὐτοῖς ἔδοξεν εἶναι, idest, Tunc Romani recordati sunt Sibyllini carminis, quod decantatum superiori tempore, portentum ipsis visum est esse.

ΘΟΥΚΥΔΙΔΗΣ

Μνήμη δὲ ἐγένετο, καὶ τοῦ Λακεδαιμονίων χρηστηρίου τοῖς εἰδόσι, ὅτε ἐπερωτῶσιν αὐτὸν τὸν θεόν, εἰ χρὴ πολεμεῖν, ἀνεῖλε.

Κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι.

καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι. περὶ μὲν ἐν τοῦ χρηστηρίου τὰ γιγνόμενα ἤκαζον ὅμοια εἶναι. ἐσβεβληκότων δὲ τῶν Πελοποννησίων, ἡ νόσος ἤρξατο εὐθύς, καὶ ἐς μὲν Πελοπόννησον, οὐκ ἐσῆλθε, ὅτι καὶ ἄξιον εἰπεῖν. ἐπενείματο δὲ Ἀθήνας μὲν μάλιστα, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων χωρίων τὰ πολυανθρωπότατα. ταῦτα μὲν τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα.

MEmorabatur etiam Lacedæmoniorum oraculum ab his, qui norant, cum sciscitãtibus ipsis Deum, an oporteat bellum gerere respondit.

Victoriam fore fortiter bellantibus,

Opemq; se laturum eis.

De oraculo quidem ea, quæ fiebant, conijciebant esse consentanea. Vbi enim Peloponnenses impressionem primum fecerunt, morbus statim cœpit, & ipsam quidẽ Peloponnesum non inuasit, quod sit dignum cõmemoratione. Depastus vero est Athenas præcipue, deinde & ex alijs locis ea, quæ erant hominibus refertissima. Et hæc quidem sunt ea, quæ in morbo euenerunt.

FABII

FABII PAVLINI
COMMENTARIVS.

Memoria vsurpatũ ab Atheniensibus carmen olim decantari vulgo solitũ de bello Doriaco, quod cũ peste simul aduenturum præsagiebat,& vaticinabatur, mali præsentis metum valde confirmabat, sed non illa contenti, ad alia quoque auguria,& vaticinia animum applicabant, & recordabantur quicquid olim potuisset id malum portendere, ac significare: quare dicit ad hoc accessisse auctoritatẽ Delphici oraculi, quod consuluerant, de more, Lacedæmonij ante susceptum bellum, in quo illis Apollo pollicebatur victoriam,& sui numinis auxilium, atque suffragium, quod ipsi tunc interpretabantur de peste, nã ab Apolline, qui est Sol, oriri pestis creditur; quare omnia verba oraculi cum rerum euentu, ac exitu conferentes conuenire animaduertebant, nempe & pestem statim aggressã seuire,& grassari, cum magno impetu facta in agros Athenienses impressione inuaserunt Peloponnesij, quasi scilicet Deo conatus Lacedæmoniorum suis auxilijs, nempe pestilentia immissa, adiuuante, quod eo magis ad credendũ eos id impellebat, quòd Peloponnesum pestis non attigisset,& si quid euenisset, nullã dedisset cladem, nullam stragem, ac vastitatem, quæ esset memoranda, vt hæc Atheniensis, quæ ita eos affligebat, vt dedita opera à diuino numine immissa videretur, cum non contenta Athenas ipsas regionis Metropolim vexasse, & penè ad internecionem adduxisse, ad

alia

alia quoque oppida, ac ciuitates conuersa, quasi fera venenata, ac draco ea depascebatur, vtq; maiore damno afficeret, ea potissimum loca vastabat, quæ magis populo abundarent, atque referta essent ciuium numero, ac multitudine, quo facto enarrato claudit tandem omnem hanc de pestilentia Athenensi digressiunculam ac narrationem.

Λακεδαιμονίων χρησμὸν, Lacedæmoniorũ oraculum.] Solebant veteres omnes tanti facere diuinationem, vt nihil ferè neque publice, neque priuatim agerent, nõ prius consultis oraculis, aut vatibus: sed Græci potissimum, de quibus ita Cicero de diuinatione: Quàm vero Græcia coloniã misit in Aetóliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio, Dodonæo, aut Hammonis oraculo? aut, quod bellum susceptum ab ea sine consilio Deorum est? Et mox nominatim de Atheniensibus, & Lacedæmonijs. Athenienses omnibus semper publicis consilijs diuinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt, & Lacedæmonij regibus suis augurem assessorem dederunt, itemq; senibus (sic enim cõsilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt, ijdemq; de rebus maioribus semper, aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut à Dodona petebant: Lycurgus quidẽ, qui Lacedęmoniorum Rempublicã temperauit, leges suas, auctoritate Apollinis Delphicj confirmauit, quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione, atque etiam qui præerant, Lacedæmonijs nõ contenti vigilantibus curis in Pasiphae fano, quod est in agro propter vrbẽ somniandi causa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Et paulò ante etiam dixerat, Quę Cræso Pythius Apollo (vt de naturali diuinatione dicam) quæ Atheniensibus, quæ Lacedæmonijs, quæ Taygetis, quę Argiuis, quæ Corinthiis responderit, quis ignorat? Testatur etiam Herodotus Spartanos adire solitos, oracula, pręsertim Delphicum lib. n. v. dicit Clisthenem Atheniensem persuasisse Pythiæ, vt Spartanis semper falsa oracula redderet, qđ etiam commemorat Plutarchus in reprehensione Herodoti. Idem de Atheniensibus testatur illud dictum Demosthenis à Cicerone recitatum, qui dicebat Pythiam φιλιππίζειν, idest, rebus Philippi fauere, innuens eam ab illo corruptam. Sic etiam Romani eadem superstitione tenebantur, & in omni

Veteres in omnibus rebus magnis cõsulebãt oracula.

omni re publica tractanda Sibyllinos libros consulebant, quos etiam fatales vocat interdum Liuius, apud quem crebra horum mentio, & Cicero idem testatur eodẽ loco subdens: Quoties Senatus Decemuiros ad libros ire iussit? vbi multa in hanc sententiam.

χρηστήριον, Oraculum.] Hoc vocabulo tria apud Græcos significantur, locus, & cortina, vbi editur, oraculum, & persona, quæ edit oraculum, quare etiam epithetum est Apollinis. De hoc vero oraculo fit mentio in primo libro, vbi eisdem, sed adhuc pluribus verbis ponit. Αὐτοῖς μὲν οὖν Λακεδαιμονίοις διέγνωστο λελύσθαι τε τὰς σπονδὰς, καὶ τοὺς Ἀθηναίους ἀδικεῖν. πέμψαντες δὲ ἐς Δελφοὺς, ἐπηρώτων τὸν θεὸν εἰ πολεμοῦσι ἄμεινον ἔσται, ὁ δὲ ἀνεῖλεν αὐτοῖς ὡς λέγεται.

Κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι.

καὶ αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι, καὶ παρακαλούμενος, καὶ ἄκλητος, idest, Ipsis igitur Lacedæmonijs decretum est solutum esse fœdus, & iniurios esse Athenienses, missisq; in Delphos legatis interrogabant Deum, si bellum gerere præstabit, hic vero respondit ipsis, vt refertur,

Victoriam fore fortiter bellantibus.

Et ipsum se dixit adiuuaturum, inuocatum, & non vocatũ. Huius oraculi facit Plutarchus mentionem in Opusc. quo probare nititur, non vti amplius versibus Pythiam in vaticinando, & huius oraculi testimonio id conatur comprobare. Τῶν δὲ ἐνταῦθα πολλούς, καὶ τότε καταλογάδην ἐκφερομένους, καὶ περὶ πραγμάτων οὐ τῶν τυχόντων. Λακεδαιμονίοις τε γὰρ, ὡς Θουκυδίδης ἱστόρησε περὶ τοῦ πρὸς Ἀθηναίους πολέμου χρωμένοις, ἀνεῖλε νίκην, καὶ κράτος, καὶ βοηθήσειν αὐτός, καὶ παρακαλούμενος, καὶ ἀπαράκλητος, idest, Et ex his multa oracula etiam tunc prosa oratione edita sunt, & de rebus non leuibus. Lacedemonijs em̃, vt Thucydides narrauit de bello aduersus Athenienses sciscitantibus respondit: Victoriam, & imperium, ipsumq; auxilio futurum & vocatum, & non vocatum. Vbi notandum Plutarchi artificium, qui veritus, ne si verba ipsa Thucydidis apposuisset, docti homines venirent in eam sententiam, ut hoc oraculum versibus Iambicis senarijs pronunciatum suspicarentur, & non esset accommodatum testimonium ad suam sententiam confirmandam, immutauit paulo, & verba ea omisit, quę versus similitudinem nobis possent prębere.

Plutarch° refutatus.

re. In qua quidem ſententia eſſe me profiteor: nam integer eſt verſus ſenarius Iambicus, ſi recto pronuncietur, non per infinitum, vt fuiſſe oraculum credendum eſt:

Κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκη ἔσεται.

Reliqua etiam verba facile ad uerſum accommodantur:

αὐτὸς ἐ παρακαλούμενος ξυλλήψομαι,

καὶ ἄκλητος. —————————— Vbi arbitror aliqua deeſſe adhuc verba, quæ tertium verſum abſoluerent, quæ tanquā illis temporibus nota prætermiſit, & vt in ſecundo hic illa verba præterijt παρακαλούμενος, καὶ ἄκλητος. Ita in primo potuit alia, quæ deſunt, præterijſſe: eſtq; hoc vſitatū Oratoribus, vt interdum verſus proſa oratione conuoluant, & complicent, quæ dicitur συμπλοκὴ, & facit auctore Hermogene πρὸς γλυκύτητα, ideſt, dulcedinem orationis. Neque vero noſtram hanc labefactat coniecturam, quòd verſibus Heroicis ſoleret Pythia reſpondere: nam ex eodem met Plutarcho conſtat alijs etiam metris vſam, paulò enim ante dixerat: ἐμοὶ δὲ ἀναγκαῖον ἐστὶ τὴν πρώτην ὑπόσχεσιν ἀπαιτῆσαι περὶ τῆς αἰτίας, ἣ πέπαυκε τὴν πυθίαν, ἐν ἔπεσι, καὶ μέτροις ἄλλοις θεσπίζουσαν, ideſt, mihi vero neceſſe primū propoſitū repoſcere de cauſa, quæ ceſſare fecit Pythiā ab edendis oraculis Epico carmine, & alijs metris. Quod vero etiam Iambico ſenario vteretur, teſtatur Cicero 1. de diuinatione, vbi reſpōſum Pythiæ recitat verſu ſenario editum, aitque: Obijciuntur etiam ſæpe formæ, quæ reapſe nullæ ſunt: ſpetiem autē offerunt, quod contigiſſe Brenno dicitur, eiusq; Gallicis copijs, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intuliſſet; tum enim ferunt ex oraculo hæc fatam eſſe Pythiam.

Ego prouidebo rem iſtam, & albæ virgines.

Ex quo factum, vt & viderentur virgines ferre arma contra, & niue gallorum obrueretur exercitus: non negarim tamē etiam proſa oratione multa edi ſolita oracula, quod etiam teſtatur Strabo. Quomodo vero ederentur oracula Delphis declarat præclare Strabo in 9. Geographiæ, vbi ait auctores certi memorant diuinum ipſum domicilium profundam, & curuam eſſe ſpeluncam non admodum late ore parentē, vnde auram quidē referri ſacro efflante numine. Excelſum autem hoſtio imminere tripodem, quem cum Pythia vates inſcenderit, hauſto diuinationis ſpiritu, Dei reſponſa referre

Quomodo ederentur oracula.

& metro, & oratione soluta. Hæc vero poetas quosdam templi ministros in versus intendere, ac Phemonoem primam diuinantem fuisse ferunt. Sic etenim vatem ipsam vocatã, vbiq; vocabulũ à πύθεσθαι, quod est interrogare, inclinatũ esse, & mox etiã dicit Delphi terram in medio vniuersæ Græciæ sitam, atque adeo orbis vniuersi, & proinde appellatum Terræ vmbilicũ ὀμφαλόν, addens fabulam relatã à Pindaro de duabus à Ioue aquilis dimissis eodẽ tempore, altera ab ortu, altera ab occasu, quę perpetuo volantes, hic tandẽ in vnũ coiuere, quasi terrę vmbilicũ, quos nonnulli etiã dixere fuisse coruos. De quo etiam Cicero 2. de Diuinatione:

O sancte Apollo, qui vmbilicum certum terrarum obsides,
Vnde superstitiosa primum sęua euasit vox fera. Et Ouid. lib 15.
——————— *Mediamq; tenentis*
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi.

De halitu terræ uim diuinandi præstante Pythijs confirmat etiam Cicero 1. de Diuinatione, vbi sub Q. fratris persona diuinationẽ defendens respondet quibusdã aduersariorum argumentis, falsitatem redarguentibus oraculorum, & de hoc ita ait: Vt igitur nunc minore gloria est, quia minus oraculorũ veritas excellit, sic tunc nisi summa veritate in tãta gloria nõ fuissent. Potest autem vis illa terræ, quæ mentem Pythię diuino afflatu concitabat, euanuisse vetustate, vt quosdã euanuisse, & exaruisse amnes, aut in alium versum contortos, ac deflexos videmus. Quod repetit in 2. sub sua persona confutans diuinationem. Sed quod caput est, cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur non modo nostra ętate, sed iamdiu, vt modo nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum urgentur, euanuisse aiunt vetustate vim loci eius, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata, oracula ederet, de uino, aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt uetustate? & quæ sequuntur. Plutarchus in Opusc. de orac. defectu dicit eam fuisse originem Delphici oraculi, & eius loci uim ita innotuisse, cum casu pastor quidã nomine Coretas (vt doctissimi Delphorum asseruere) in eum incidisset, uocesq; deinde à diuino instinctu profectas edidisset, initio qui aderant, spreuere, postea comprobatis euentu his, quæ prædixerat, mirati sunt: non omnẽ autem uult animam esse aptam ad uaticinandũ, sed requiri proportionem

Delphici oraculi origo.

tem-

temperiei, ut uisui cum luce est consensio, nec immerito terræ simul, & Apollini ascriptum cõmune oraculum, sed uoluisse significare Solem terræ ingenerare affectionem illã, & temperiẽ, à qua uapores ad diuinandũ facientes exhalent, calore uero, & diffusione meatus aperiri quosdã imaginandi futura facultate preditos, quemadmodũ uinũ uaporibus ad cerebrũ sublatis multos ingenerat animo affectus insolitos, & multa abdita detegit, & siccitatẽ unà cũ calore animo ingeneratũ spiritũ reddere tenuiorẽ, æthereũque, & purũ efficere, aptumq; ad presagiendũ, nam ex Heracliti sententia anima sicca optima: & eundẽmet hominẽ nõ omnib. horis, & temporibus esse aptũ excipiẽdo illi spiritui, & diuinatrici facultati, ut exẽplo Pythiadis ostẽdit, quę interfecta à spiritus ui, cũ descẽdisset inuita ĩ opertũ oraculi, & nõ apta sustinere.

αὐτὸς ἔφη ξυλλήψεσθαι, Opemq; se ipsum laturũ.] Ex his uerbis oraculi colligebant Athenienses, de peste interpretandũ superiorẽ uersiculum, cũ scilicet Apollo polliceretur se adiuuaturũ Lacedæmonium bellũ: ipse uero cum sit Sol, & ad eum referatur pestilentię uis, & eius causa fiat, profecto etiã oraculũ fuisse Lacedæmonijs pollicitũ, se peste illata, & immissa Atheniensibus, illorũ uictoriam adiuuaturum colligebant: nam in 1. lib. ubi id recitatur, ut supra dictũ est, Scholiastes interpretans illius uerba ait: αἰνίττεται τὸν μέγαν λοιμὸν, id est, tacite innuit magnam illam pestilentiam. Quòd uero ex Sole, qui est Apollo, oriaĩ pestis, uel ipse declarat Homerus, qui in 1. Iliad. dicit à sagittis Apollinis immissã pestẽ Gręcis.

Ex Sole oritur pestis.

> οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργοὺς
> αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἀφιεὶς
> βάλλ'. αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί. idest,
> *Mulos transfixit primo, fidamq; canum vim,*
> *Mox strauit Græcos immittens spicula dira,*
> *Ardebantq; pyræ flãma crepitante frequentes.*

Vbi Eustathius ita interpretatur allegoriã, ut dicat ab Homero dictũ aduenisse Apollinem, νυκτὶ ἐοικότα, idest, similẽ nocti, ὡς ἡλίου ἐν τῷ καιρῷ τοῦ λοιμοῦ μὴ καθαρῶς ἀκτινοβολοῦντος, μηδὲ φοίβου ὄντος ταῖς ἀκτῖσι κατὰ τὸ ἡλίου φοίβῃ φλογί, ὅ δή φησιν αἴσχυλος, ἀλλὰ διὰ τὴν παχύτητα τοῦ ἀέρος ἀνυδρὰν, καὶ ἀμαυρὰν, καὶ ζοφώδη κατάστασιν ἔχοντος, idest, tanquã Sole tempore pestis nõ pure radios emittente, neque Phœbo .i. puro, existente radijs, iuxta

 illud

illud Solis Phœbæa flamma, quod iam dixit Aeschylus, sed ob densitatem aeris hebetem, obscurã, & caliginosam constitutionem habente. Et mox etiam rursus ait: ἡ μέντοι ἀλληγορία τοιαῦτά τινα ἐπὶ τ τοις βούλεται λέγουσα· ὅτι τ περὶ ἕλληνας λοιμοῦ, ἡ μὲν ἱστορία φυσικὸν αἴτιον ὑλικὸν δίδωσι, τὴν ὡς εἰκὸς φθοροποιὸν μεταβολὴν τ περιέχοντος, ἐξ ἀναθυμιωμένων σηπεδόνων ἃς ὁ περὶ τὴν ἴδην τόπος ἀναδίδου ὑπὸ ἀνάσαντι τῷ ἀπόλλωνι, τουτέστι τῷ ἡλίῳ, idest, Allegoria siquidem huiusmodi quędam in his intelligit dicens, quòd Græcorum pestilentiæ historia naturalem causam, & materialem dat, nempe vt est consentaneum tabificam cõmutationem ambientis ex exhalatis putredinibus, quas Idæ locus emittebat, causa Apollinis attrahentis, hoc est Solis. Quare Valerianus lib. 42. Sagittas Apollinis in Græcos immissas dicit fuisse Hieroglyphicum pestilentiæ apud veteres, & manifestissime eam significasse. Hęc vero, addit ipse, solares radios indicant corrupto cæli tractu contagem illam dispergentes, & Christiana pietas è diuorũ numero Sebastianum sagittis impetitum, dum Christo fidei testimonium præstat, aduersùs pestilentiam sibi tutelare proposuit. Hinc apud veteres colebatur pro auertenda pestilentia, quam sæpe etiam è variis populis constat emouisse. Lydij, teste Macrobio, colebant Apollinem λοίμιον, quasi dicas pestilentem, finita, vt ille ait, pestilentia, nuncupatum, Sicilienses ad Pachynum promontorium colebant Lybistinum, de quo supra, ob interfectos pestilentia Lybicos hostes. Idem apud Romanos ea ratione colebatur, vt eodem loco innuit Macrobius dicens, eadem opinio hospitalis, & medici Dei in nostris quoque sacris fouetur, namque virgines Vestales ita indigitant, Apollo Medice, Apollo Pæan. Imò eodem teste non desunt qui putent pestilentiæ causa ludos institutos Apollinares, licet ipse aliter sentiat, quod etiam videtur cõfirmare Horatius in carmine sęculari, cum dicat:

Posito mitis, placidusq́; telo.

Quem locum omnes interpretantur posita pestilentia, vel non adhibita: de quo supra quoque nos verba fecimus.

Αὐτὸς ἔφη ξυλλήψασθαι, Opemq́; dixit se laturum. 1. Videtur respicere Thucydides ad vulgatam illam hominum sententiam, qua admonemur diuinam opem industrijs hominibus,

bus, & quantum in ipſis eſt rem aliquam perficere conantibus non defuturam, ſed adiuuaturam, & abſoluturã, quod etiam in medicina euenire teſtantur medici, vt de Theriaca, quam tradunt nonnulli ex vi admixtionis tot ſimplicium cælitus quandam aſſequi vim, quæ in nullo ingredientium reperiatur, vt teſtatur Marſilius Ficinus. Hanc ſententiam præclare attigit Varro cap. 1. lib. 1. de re ruſtica. Et quoniam, vt aiunt, Dei facientes adiuuant, eos primum inuocabo. Et elegantiſſime Græcus fabulator Aeſopus, quadam fabella expreſſit, qua fingit Bubulco opem Herculis imploranti, dũ currus luto merſis rotis inhæſiſſet, ipſeq; ſtans nihil ageret, ſed preces tantum funderet, reſponſum cælitus, vt rotis ipſe inniteretur, ſtimulatis bobus, & tunc opem præſto futuram numinis, quam ſic nos Græcis, & Latinis Tetraſtichis in noſtro fabularum libello reddidimus adoleſcentes, iam edito anno 1587. Venetiis apud Zilettum.

ἅμαξα πᾶσι πηλῷ ἔσχετο τροχοῖς,
ὁ βουκόλος δ᾽ ἐποίει οὐδὲ γρῦ, μόνον
τὸν ἡρακλὲ ἐκάλει, θεὸς δ᾽ ἐλθὼν ἔφη.
τὰς βοῦς ἔλα ἐπέρειδε κἀγὼ γ᾽ ἐπαμυνῶ.

ἐπιμύθιον.

τοῖς δρῶσιν ἄσμενοι, ἐπικουροῦσιν θεοί.

Quæ ſic Latine.

Plauſtrum hæſerat merſis luto penitus rotis
Iners Bubulcus nihil agebat, Herculem
Tantum inuocabat, adfuit Deus, & ait,
Stimula Boues, innitere ipſe, & opem feram.

Senſus fabulæ.

Agentibus fauent, feruntq; opem Dei.

ἐσβεβληκότων δὲ, Vbi enim primum impreſſionem fecerunt. Ignorata vis huius particulæ δὲ hoc loco fuit in cauſa, vt omnes ferè interpretes in hac ſententia reddenda ſint vehementer hallucinari, & non intellexerint Thucydidem: nã hoc loco ſumpta eſt pro γὰρ, ideſt, enim, & eſt αἰτιολογία antedictæ ſententiæ, nempe Athenienſes ab exitu, & euentu arguentes, & iudicium, coniecturamq; facientes de rebus præteritis, inueniebant omnia eſſe rei præſenti cõſentanea: dixerat enim oraculum ſe (Apollinem videlicet) adiuuaturum conatus Lacedæmoniorum aduerſus Athenienſes, ipſi

ita colligebant, Apollo, qui est Sol, præest pestilentiæ: & hoc illud est auxilium promissum Lacedæmonijs: in hoc vero perpendendo reperiebant omnia conuenire, & esse consentanea etenim, & statim facto impetu in Atticam ab ipsis Peloponnensibus cœperat etiam pestis sæuire, & grassari, & ipsam Peloponnesum nequaquam attigit: cum tamen omnia loca etiam populis refertissima, quæ ad Atticã pertinebant, depopulata esset. Hæ ergo duæ erant coniecturæ, quibus similitudo, & veritas oraculi comprobabatur, ꝙ in eodẽ tempore, & quòd solos Atticos attigerit: hęc enim duo signa perspicua immissę à Deo pestilentiæ. Quòd vero non sit nouum, & inusitatum, aut ab attico sermone alienũ accipere δὲ pro γὰρ testis est primum Suidas, qui in ipso statim initio huius literæ dicit δὲ ἀντὶ τοῦ γὰρ, μισθοφορεῖ δὲ περὶ ἀπόλλωνος φησὶν ἀρισοφάνης, ἐν ὄρνισι, idest, δὲ ponitur pro γὰρ enim: stipendia enim meret de Apolline dixit Aristophanes in nubibus: pręterea multa sunt exempla huius rei apud Homerum in Catalogo Nauium, vbi facit mentionem duorũ Martis filiorum Ascalaphi, & Ialmeni, quos illi pepererat Astióche.

δὲ ꝑ γὰρ ponitur.

παρθένος αἰδοίη ὑπερώϊον εἰσαναβᾶσα.

Rationemq; reddens inquit:

—— ὁ δέ οἱ παρελέξατο λάθρη.

Nam positũ ibi δὲ omnes pro γὰρ interpretãtur. Sed pluribus afferendis exẽplis supersedebo in re satis perspicua: quam tñ miror ab Henrico Stephano alioqui oculatissimo, & Græcę linguæ peritissimo non animaduersam: solus Acacius videtur sensum assecutus, quamuis non ita distinxerit verborũ seriem, vt oportebat. Vertit enim ita: Ex eis, quæ fiebant de oraculo, augurabantur. Continuo post ingressum Peloponnesiorum morbus cœpit, nec in Peloponneso quidquam dignum dictu damni intulit, sed maxime Athenarum vrbem populatus inde per alia etiam oppida, vt quodque multitudine abundabat, vagatus est. Alij vero omnes disiungẽtes hęc à superioribus propter illam aduersatiuam particulam omnem sensum perturbant. Valla. Morbus autem primo statim Peloponnẽsium ingressu cœpit, nec ipsam Peloponnesum inuasit, &c. Portus ita: Cum autem Peloponnesij in atticam irrupissent, hic morbus statim grassari cœpit, nec ipsam

ſam Peloponneſum inuaſit; &c. In quo præter ſententiam non expreſſam, neque bene conuerſam. Illud etiam fecere, ut Thucydidem vitij ab eo alieniſſimi affinem demonſtrarent, quod eſt περιττολογία, ideſt, inanis repetitio, hæc enim in principio narrationis dixerat: quare ſine cauſa hic, & fruſtra repetuntur, niſi eo pacto, quo nos intelligatur. Oraculorum porrò fides ſemper, ab euentu comprobabatur, & intelligebatur, accommodatis nempe rebus præſentibus ad ſenſum ipſius oraculi. Quòd ſi peſtis non extitiſſet profectò nequaquam ita eſſent interpretati: ſic ſupra illud oraculum Pythiæ ex Cicerone:

Oraculorum fides ab euētu.

Ego prouidebo rem iſtam, & albæ virgines.

Eſt intellectum, quid ſibi vellet, cum niue Gallorum obrutus exercitus. Sic illud datū Atheniēſibus de expeditione in Siciliā cōſulentibus qđ iuſſit τὴν ἐξ Ἐρυθρῶν ἱερέαν ἄγειν τῆς ἀθήνας, ideſt, Ex Erythris ſacerdotem agere Athenis. Erat vero nomen mulieri ἡσυχία, quod eſt quies. Et illud Lacedæmonijs datum de Rege Claudo, qui fuit Ageſilaus. Item illud Lyſandro datum de colle Vulpium, & Optica fluuio, & dracone: nam occiſus eſt in locis ita cognominatis, & ab Inachione Haliortio gerente pro inſigni in ſcuto draconem. Et illud datum Amphyctionū exercitui peſte laboranti, quod iubebat, ut cerui filium in auxilium adducerent, ἐλάφου παῖδα, qui mox inuentus eſt eſſe Nebrus Medicus Aſclepiadis filius, qui exercitum à peſte liberauit. Νεβρὸς enim dicitur ceruulus, ſiue cerui pullus.

καὶ ἐς Πελοπόννησον οὐκ ἐσῆλθεν, Et Peloponneſum non inuaſit.] Hæc erat altera coniectura Athenienſium, quòd peſtis eſſet ab Apolline immiſſa, quia ſcilicet Peloponneſios non læſerat, quibus oraculum ſuum erat pollicitum auxilium. Hoc uero eſt ſignum pathognomonicū, & maximum peſtis diuinitus immiſſę, cum eos tantum lædit, quibus iratū numen, quod ſępe eueniſſe, & in pluribus peſtilentijs obſeruatum eſt, ut de illa conſtat, quæ Ethnicos afflixit, intactis relictis Chriſtianis, quam perſequitur Euſebius Eccleſ. hiſt. lib. 9. c. 8. Et de illa, cuius ſupra facta mentio, quæ Heluetios perdidit, nō alios. Sic in lib. Exodi c. 9. in peſte illa à Deo ob Pharaonis pertinaciā immiſſa Aegyptijs, mortua ſunt oīa animantia Aegyptiorū, de animalibus uero filiorum Iſrael

nihil

nihil omnino perijt: ut de illa etiam narrant, quæ Basileam uexabat, quæ Heluetios tantum inficiebat Italorum, & Gallorum neminem, quod etiam Diomedes amicus acceptum refert ultioni diuinæ in tract. de peste, cap. 4.

ἀπενέματο, Depastus est.] Elegantissima metaphora, & redolens, poeticū quiddam, qua uis pestilentiæ insolitæ significatur comparatione, & similitudine ferę, quæ depascere dicitur, quam mox eruditissimi quique scriptores arripuere, & medici quoque. Plutarchus in Pericle de hac ipsa peste usurpauit. ἡ λοιμώδης ἐνέπεσε φθορά, καὶ κατενεμήθη, τὴν ἀκμάζουσαν ἡλικίαν, καὶ δύναμιν, idest, pestilens incidit lues, & depasta est florentem ætatem, & robur. Eusebius Pamphili lib. 9. οὐχ ἧκιστα δὲ καὶ λοιμὸς πάντας οἴκους καὶ γενεὰς ἐπεβόσκετο, ideſt, nec minus etiam pestis omnes domos, & gentes depascebatur. Et Euagrius Scholasticus lib. 4. cap. 28. in descriptione pestis: Ἀφηγήσομαι δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς ἐπισκηψάσης νόσου τοῦτο τὸ δεύτερον καὶ πεντηκοστὸν ἔτος μὴ πρότερον ἱστορηθὲν κρατησάσης, καὶ πᾶσαν γῆν ἐπινεμηθείσης, idest, exponam etiam morbum, qui ingruit iam altero, & quinquagesimo anno, non ante historiæ monumentis traditū, qui tenuit, ac depastus est vniuersam terram. Et in fine cap. 29. eodem verbo vtitur. ἐνεμήθη τοίνυν ὥσμοι λέλεκται μέχρι τῆς δεῦρο δύο, καὶ πεντήκοντα χρόνους τοῦτο τὸ πάθος ἅπαντα τὰ πρώην νικῆσαι, idest, depastus est igitur, vt à me dictum est, vsque in hanc diem alterum & quinquagesimum annum hic morbus, vt omnes alios vicerit. Et in eadē descriptione in dicta permanens ferę metaphora, dixit: πᾶσαν ἀμοιβαδὸν περιέδραμεν οἰκουμένην, idest, vniuersum vicissim orbem percucurrit. Quare quidam Latini auctores ab effectu dicunt Latine appellatam pestilentiam, quasi pastulantia, quòd depascatur humana corpora, & ciuitates. Galenus quoque ex hoc verbo admonitus comparauit pestem feræ. Sic enim ait in lib. de Ther. ad Pisonem cap. 16. ὥσπερ γάρ τι θηρίον, καὶ αὐτὸς ὁ λοιμὸς οὐκ ὀλίγους τινὰς, ἀλλὰ καὶ πόλεις ὅλας ἐπινεμόμενος διαφθείρει κακῶς, idest, tanquam enim fera quædam, & ipsa pestis non paucos aliquos, sed & vrbes integras depascens male perdit. Hippocrates in 1. Epid. de pestilenti erysipelate idem verbum vsurpauit, τὸ ἐρυσίπελας πολὺ ταχὺ πάντοθεν ἐπενέμετο. erysipelas valde cito vndique depascebatur, & Galenus in Commentario ὡς νεμόμενον ἐπὶ πολὺ τὸ ἐρυσίπελας.

Pestis assimilatur feræ.

σίπελας, tanquam late depaſcente eryſipelate. Et Artaxerſes in quadam epiſtola ad Pætum, qua de peſte agit ſui exercitus, petens auxilium· ἄλωκε γὰρ καὶ κατὰ τὸν ὄχλον καὶ πολὺς ἄλυς πνεῦμα μέγα, καὶ πυκνὸν ἔχων. οὐ πολεμοῦντες πολεμούμεθα ἔχθρον ἔχοντες τὸν θῆρα λημαινόμενον τὰ ποίμνια, τέτρωκε πολλοὺς, δυσιάτους ἐποίησε, πικρὰ βέλη βελῶν καταπέμπει, ideſt, Cœpit etiam turbam multa quoque anxietas ſpiritum magnum, & frequentem habens, non belligerantes bello premimur, hoſtē habentes feram prædantem ouilia, percuſſit multos, inſanabiles reddidit, ſagittas ſagittando emittit. Quibus verbis videtur Lupo comparare ipſam peſtem: quod quidem animal, neſcio quid, videtur habere συμπαθείας conſenſionis cum peſte. Quare apud Philoſtratum lupus futuræ peſtilentiæ ſignū eſt, vbi Palamedes propterea quòd lupi ex Ida frequentes in pueros, qui caſtris miniſtrabant, impetum fecerant, ſuadet Apollini ſacrificandum, qui feras eas ſuiſmet ſagittis interficeret, ac ſimul imminentis peſtilentiæ calamitas ſubmoueretur, de quo Valerianus lib. 11. nec immerito, quoniam etiam lupis ineſſe venenum teſtantur ſymptomata, quæ eueniunt demorſis à lupo: nam pili decidunt, pediculi enaſcuntur in earum lana, & alia huiuſmodi complura habet illius morſus: aſpectus ſolus eripit vocem homini, vnde locus datus adagio, lupus in fabula, cum quis aduentu alicuius obmuteſcit, torpore afficit equi pedes, ſi eius tantum veſtigiū impreſſerit, & equa abortit, ſi eius calcaneum conculcet, equi ducentes quadrigam ſiſtuntur, tanquam ſi conglaciaſſent cum quadriga, Phile auctore: quare etiam inter ſigna futuræ peſtilentiæ ponuntur à nonnullis lupi ante graſſantes, & ſæuientes in homines: quod accidiſſe in proxima Veneta peſte in finitimis regionibus tradunt recentiores. Sigonius etiam de Regno Italiæ lib. 17. ſub Friderico II. de peſte illa, verba faciēs, inter prodigia lupos quoque ponit. Lupi ēt vrbes ingreſſi, capti, atque ſuſpenſi ſunt. Quidā, vt Marſilius Ficinus, etiam in definitione peſtis hanc metaphoram adhibuerunt à Galeno mutuati, imò Galenū præferentes auctorem: dicit enim ille c. 6. peſtē eſſe draconē aereum venenū expirantem in homines. Hieronymus quoque Rubeus belluam appellauit lib. 11. ſuæ hiſtoriæ Rauennę. Ad arcendā immanem hanc belluam omne cum Venetis ſublatum eſt cō-

Luporū cum peſte ſympathia, & ſimilitudo.

 mercium.

mercium. Franciscus Stabilis Potentinus in sua Apologia eadem ratione vocauit belluam. Non permittat, vt aduētante vere hæc magna bellua, serpensq; virosus ex tonitruis cōcussus expergiscatur. Lucretia Marinella Medici filia, & Medici soror, & ideo inter Medicos merito collocanda, elegantissime in quodam Hetrusco Epigrammate de peste ad me misso, feram appellauit pestem.

Terribil fuor delle Tartaree porte
Esce infelice mostro, horribil fera,
Che l'aria pura attosca, e'l Cielo annera,
C'hà ne gli occhi, & ne gli atti horrori, e morte.

Et Sigonius de Regno Italiæ lib. 15. agens de pestilentia anni 589. sub Authari Rege videtur ad eandem respexisse metaphoram, cum dicat furente in dies acrius pestilentia, nam furere est ferarū, quam etiā paulò ante dixerat per Italiā maxima humani generis pernitie impotentius debacchatam.

τὰ πολυανθρωπότατα, Quæ erant frequentissima.] Notat pestis consuetudinem, & morem, quæ semper frequentiora loca propter commercium, & vsum magis vexat. Ex hoc admonitus Natalis de Comitibus non contemnendus historicus nostri temporis lib. 27. de peste Mediolani vrbis frequentissimæ ita ait, rationem quasi huius Thucydidij dicti reddens, & explicans non inepta comparatione à medicinæ fontibus repetita. Mediolani quia vis pestilentiæ grassari latius cœpisset, multa incommoda illam vrbem inuaserunt: nam cum crassiora corpora grauiores morbi inuadant, sic quanto populosior, frequentiorq; quæque ciuitas, tanto maiores difficultates per res turbulentas concipit. Hieroymus Mercurialis lib. de pestil. cap. 15. rationem reddens, cur interdum integræ familiæ in eadem domo pereant, dicit fieri ob conclusionem aeris, qui totus pestiferis vaporibus repleatur, hanc causam extendit etiam ad vrbes, innuens populis magis refertas magis inquinari, quia scilicet viæ sint angustiores, & aer magis conclusus, ex quibus postmodum cum in proximas quasque serpant inquinamenta, facile etiā viæ, & vrbes totæ contaminantur. Quo fit, vt pestis ciuitates, oppidaq; semper magis quàm villas depopuletur, & ex vrbibus eas præcipue, quarum vię angustę sunt, & conclusę, quales maxime sunt Venetijs. Idemq; cxx. non immerito, cū pe-

Mos pestilentiæ depascēdi loca prius frequentiora.

stis

stis illa fuerit in alijs similis Thucydidiæ, & Euagrianæ suspicatur, ne in hoc quoque illas imitetur, vt omnes vrbes tangat, præsertim populo frequentiores: ita enim ait, illud vnũ superest, vt in hoc etiam nostra sit similis illi, quòd omnes vrbes tangat, præsertim eas, quæ sunt populo frequentiores, vt post Atheniensem contigisse narrat Thucydides. Oro tamen enixè Deum Opt. Max. vt hunc meum timorẽ vanum, & irritum reddat. Licet mea sententia nõ tam aeris causa conclusi, vt vult Mercurialis, quàm ratione cõmercij, ut dixi, vulgetur pestis in frequentissimis ciuitatibus. Sed huic malo medicinã fecit experientia, & vsus, qui docuit interdicere commercium his, qui de pestilenti contagio sunt suspecti: cum enim esset animaduersum vulgari pestem, & propagari contagionem hominum mutuo commercio, ex medicorum theoremate vulgato, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα, idest, contraria contrariorum remedia, sublato commercio, & interclusis pagis, uijs, domibus, & etiã cubiculis, in ipsis quoque vrbibus frequẽtissimis inuecta est solitudo, & exclusa pestis vulgatio, quod maxime omnium Venetiarum vrbs nostra præclarissima est assecuta, in qua tanta est eorum, qui præsunt valetudini, Triumuirorum solertia, vt nullum omnino vestigium contagionis emergat, & prodeat, quin statim opprimatur, extinguatur, deleatur, & vrbs omnium frequentissima, quasi mera fiat in hoc genere solitudo, cum scilicet repente is, qui aliqua leui suspitione sit infectus, ab omnium subito cõmercio segregetur, nemóq; ad illum accedat, & nullus contra contagioni aditus pateat, quoad omnis fuerit fomes, & fomitis suspitio extincta, cuius diligentiæ ergò fit, vt complures iam annos seruetur hec vrbs frequentissima, incolumis, cum sæpe tamen varijs in locis, & nostris hisce regionibus finitimis fuerit pestis debacchata, vt in sempiternũ iam immunis futura videatur ab omni genere pestilentiæ, quod ex vulgatis causis proficiscatur, nempe vel contagio, vel ciborum vsu prauorũ, quibus quoque prohibendis hic summa cura adhibetur, summumq; studium, & solum ex aeris corruptela, aut diuina ira immissa pestis sit timenda, quibus tamen quoque suæ sunt paratæ antidoti, ac medicinæ: nam ad expurgationes aeris, & cloacarum emundationem, aliarumq; rerum, quibus infici aer

possit, non desunt excogitatæ machinæ, atque remedia, & ad diuinam iram auertendam, atque placandam, animorũ frequens expiatio adhibetur, & publicæ preces, ac cultus diuinus, sed vnum præ cæteris, mea sententia, Venetiarum vrbem ab omni malo tuetur incolumen, & potissimum à pestilentiæ vastitate pręcustodit, summus honos, & cultus, qui passim, & publice ab vniuersa Republica, & priuatim à singulis familijs Venetis præstatur, & adhibetur Beatissimæ Virgini Matri Dei, cuius apud Deum interuentu, ac fauore flagellum diuinæ iræ, quod est pestis, procul amouetur, & arcetur, quod vtinam perpetuo faxit, vt spero. Virgo enim semel susceptum Virginis Ciuitatis se colentis patrociniũ, ac tutelam nunquam deseret, vt quoad pietas, & religio Veneta perseueret in Virginem Dei genitricem, tantisper futuram ab omni periculo vacuam, immunemq; credendum sit ipsam ciuitatem, quæ sola inter omnes, quotquot extitere vsquã, aut vnquã nullum seruitutis iugum experta, nulla tyrannide violata, quasi virgo perdurat, & virgo dici potest.

ταῦτα μὲν, Et hæc quidem sunt. 3 Præclaro artificio Thucydides omittit cætera omnia, quæ reuocata memoria belli illo tempore, & pestilentię ab Athenienfibus fuere: nam verisimile est eos etiã multa alia repetijsse, quæ pręcesserant signa futurę cladis, vt terræ motus, Solis defectiones, & Astrologorum etiam vaticinia: eo enim tempore Athenis floruit Meton celeberrimus Mathematicus, vnde annus Metonis apud Scriptores decantatissimus, quem consentaneum est rationi præuidisse, & vaticinatum fuisse futuram pestem, ex astrorum concursu, vt de alijs eorum calamitatibus extant monumenta. Narrat enim Aelianus lib. 13. var. histor. eum præuidisse euentum Siciliensis pugnæ, & cum ipse ex numero descriptorum in illa classe esset, noluisse egredi, & cum cæteræ excusationes non valerent, simulasse stultitiam, & ita euitasse periculum cladis, qua cæteri omnes, qui exierant, affecti sunt: Verba Aeliani Græca, si desideratis, hæc sunt.

Meton Astrologus.

Μέτων ὁ Ἀστρονόμος μελλόντων ἐπὶ τὴν Σικελίαν πλεῖν τῶν Ἀθηναίων ἤδη τῶν στρατευμάτων, καὶ αὐτὸς ἦν τοῦ καταλόγου, σαφῶς δὲ ἐπιστάμενος τὰς μελλούσας τύχας, τὸν πλοῦν ἐφυλάττετο δεδιώς, καὶ σπεύδων τῆς ἐξόδου ἑαυτὸν ῥύσασθαι. ἐπεὶ δὲ οὐδὲν ἔπραττεν, ὑπεκρίνατο μανίαν, καὶ πολλά μὲν καὶ ἄλλα, ἔδρασε πιστώσασθαι τὴν τῆς νόσου

σου

σου δόξαν βουλόμενος, ἐν δὲ τοῖς ἐπὶ τὴν συνοικίαν τὴν αὐτοῦ κατέπρησεν. ἐγειτνία δὲ αὕτη τῇ ποικιλῇ, καὶ ἐκ τούτου ἀφῆκαν αὐτὸν οἱ ἄρχοντες, ideſt, Meton Aſtronomus, cum eſſent commodum in Siciliam nauigaturi Athenienſes exercitus; & ipſe vnus eſſet ex numero deſcriptorum in Catalogo, plane autē ſciret, quæ eſſent euentura, vitabat nauigationem timens, & omne ſtudium adhibens, vt ſeipſum à neceſſitate exeundi vendicaret: quia vero nihil proficiebat, ſimulauit inſaniam, & multa quidem alia fecit eo conſilio, vt confirmaret in animis hominum morbi opinionem, ſed potiſſimū inter hæc ædes ſuas, quas incolebat, incendit, Erant vero contiguæ foro varietatis, & ex hoc dimiſerunt illum Archontes. Qua in re obiter animaduertatis contradictionem in Aeliano, nam hoc loco facit illum Athenienſem, & ex numero ciuium. In decimo vero libro dicit fuiſſe Laconem Aſtrologum. Ait enim Μέτων ὁ λάκων ἀστρόλογος, quæ maxime pugnāt inter ſe: Lacones enim erant hoſtes Athenienſium, quibus cum bellum gerebant, ſed re vera fuit Athenienſis, nam & Diodorus Siculus eum facit Athenienſem lib. 12. hiſtor. & Theophraſtus de ſignis aquę, & flatuū, teſtatur fuiſſe Athenienſem, & Ioannes Tzetzes lib. 12. de var. hiſtor. ait:

ὁ Μέτων ἀθηναῖος ἦν υἱός, τοῦ παυσανίου ideſt,

Meton Athenienſis ex Pauſania.

Necnon ex Latinis Cenſorinus de die Natali, & alij omnes quotquot meminerunt eius, faciunt Athenienſem, neque dicendum alium hunc fuiſſe Laconem ab illo Athenienſi, nam omnia illi tribuit Aelianus, quæ ſunt tributa ab alijs Athenienſi: neque veriſimile eſt duos fuiſſe eodē tempore, eodem nomine, eadem arte, eiſdem geſtis, alterū Spartæ, alterum Athenis, ſed pro ſolutione controuerſiæ dicendum, vel mendum ſubeſſe in ipſo Aeliano, vel memoriola lapſum (vt ſæpe ſit) pro Athenienſi Laconem poſuiſſe, vel poſtremo fuiſſe Metonis cognomentum, vt Lacon diceretur ex eo fortaſſe, quòd oriundi eſſent ex Lacedæmone illius maiores, aliave quapiam de cauſa. Sic noſtra hac ætate, hac memoria, hac Ciuitate elegantiſſimus Hetruſco idiomate Poeta, mihiq; amiciſſimus Hercules, Mantuæ ciuis nobiliſſimus, hic Venetijs Sereniſſimi ſui Ducis Prolegatus, & Orator, Vtini Patriæ cognomen Hetruſcum retinet, & vocatur

Solutio contradictionis in Aeliano d Metone.

catur Hetrusce HERCOLE VDINE, cũ tamẽ sit Mantuanus, non Vtinensis. Videtur vero hoc loco Thucydides parum sibi constare, cum dicat depopulatam esse pestem, præcipue Athenas, deinde ex locis alijs ea, quę erant frequentissima, πολυανθρωπότατα: nam in principio narrationis contrarium asseruit, nempe prius Lemnum, & alia finitima loca vexasse, mox Athenas, quę videntur esse sibi aduersa: sed si quis recte perpendat, nihil omnino repugnare comperiet: nam non dicit pestem debacchatam prius Athenis, sed μάλισα precipue, quod non refertur ad tempus, sed ad cladis magnitudinem, quę longe maior fuit in vrbe ipsa Athenarum ob frequentiam, quàm aliis in locis: quod etiam dixit in principio οὐ μέντοι τοσοῦτός γε λοιμός, Non vero tanta pestilentia.

τὰ κατὰ τὴν νόσον γενόμενα, Quę circa morbum euenerũt.] Hæc nos verba videntur quasi tacite admonere, vt more nostro omnia, quæ à Thucydide dicta sunt in hac narratione pestilentiæ, quàm breuissime perstringamus, veluti per ἀνακεφαλαίωσιν in hoc fine, quod vobis futurũ non iniucundũ, aut inutile arbitramur, videlicet de pestis origine, ac principio, qđ duplex fecit, alterũ temporis, quo cępit, nempe anno secundo belli Peloponnesij, ineunte Vere, alterũ loci, in quo primum cœpit grassari, atque sæuire, qui fuit Piræus, de magnitudine, quam insignem ex aliarum pestilentiarum collatione generatim fuisse ostendit, de causis, quas vt Historicus breuissime attigit, duas tantum innuens, alteram ex Philosophiæ, & Medicinæ penetralibus deprompta, quòd scilicet ex Aethiopia fluxisset per aerias regiones delatis à uentis inquinamentis pestilentibus, alteram ex uulgi suspitione propagatam, quòd per uenena ab hostibus iniecta puteis esset inuecta, cum ueneni in ægrotantibus symptomata apparerẽt: de uniuersa anni illius cõstitutione, quæ fuit eiusmodi, ut esset ab alijs omnibus morbis immunis, & uacua: & si qui forte incidisent, in pestem omnes uerterentur, De symptomatis, quæ in ipsa peste acciderunt, & fuere uigintiseptem, siue uigintiocto, in tres, imò quatuor, atque adeo plures classes distributa. Prima fuit capitis, quæ fuere calores insignes, oculorum rubores, inflammatio totius faciei, fauces intus, & lingua sanguinolenta, respirandi difficultas, anhelitus fœtidus, sternutatio, & raucitas: quæ omnia octo, & hęc

Epitome & breuis enumeratio oĩum, q̃ à Thucydide sũt dicta de peste.

intra

intra quartam uexabant ſtatim ab initio, atque uel interimebant, uel malum deſcendebat in pectus, ubi ſecunda claſſis ſatellitum aggrediebatur peſtilentium, quæ erant tuſſis uehemens, oris uentriculi, quid dicitur καρδία, ideſt, cor, ſubuerſio, uomitus bilioſus omniũ generum, cruciatus maximus, ſingultus inanis, conuulſio uehemens, febricula cum leui calore externo, corpus liuidum, puſtulæ, ſen phlyctenæ paruæ, ac ulcuſcula, æſtus internus, cuius cauſa, & indumenta proijciebant, & ſemetipſos præcipitabãt in puteos, quibus coniuncta erat inquies, ac faſtidium, necnon uigilię perpetuæ, & corporis prę morbo nulla euidens extenuatio, quibus acceſſionibus, & malis confecti ęgrotantes maxima pars interibant intra nonam, ſi euaſerant forte fortuna hos ſcopulos, tertia claſſis pręſto erat, & delapſo in aluum, ſeu inferiorem uentrem malo, duo grauiſſima excipiebant ſymptomata, dyſenteria, & diarrhæa, quibus adeo iam fractæ ſuperioribus malis uires deijciebantur, ut caderent ferè omnes præ imbecillitate, & ſi qui rurſum hanc charybdim effugiſsent, in nouas denuo ſyrtes, nouosq; ſcopulos impingebant, nam incidebant in quartam claſsem malorum ſuperuenientiũ, quæ erant ἀκρωτηρίων ἀντίληψις, ideſt, extremorum prehenſio, ſiue ſideratio, ut medici uocant, inter quę prima erat pudendorum grauis affectus, quę uel inflammata quodammodo urebantur, uel quaſi ſphacelo, & cancręna deroſa excidebãt, aut ſponte, aut opera Chirurgi, altera erat manuum, & pedum amiſſio pari ratione naturali priuatorum calore, & nutrimento; accedebat poſtrema claſſis, quaſi quinta eorũ malorum, quę non contenta corpus omnibus modis labefactaſse, ipſam quoque mentem, & animum lędebat, atque alios ſenſibus orbabat, ut uiſu, ipſo oblato inſtrumento oculorum: alios aliqua maiori facultate, & ui, ut quos læſa memoria, quaſi attonitos, ſui, & aliorũ reddebat immemores. De peſtis demum magnitudinis amplificatione, quam oratorio penicillo mirifice ab adiunctis exaggerauit, quæ fuere capita, ſiue loci complures. Primum à nouitate morbi, qui non eſset ex conſuetis. Secundum ab auium rapacium & ferarum diſceſsu, atque defectu, quia deterritę morbi ipſa ui non attingebant proiecta cadauera. Tertium à morbi idea, & natura, quòd nullus alius eo tempore regnabat morbus,

&

& omnes in hunc uertebantur. Quartum à personis, quòd neglecti, & curati pariter interirent. Quintum ab erepto præsidio medicamentorum. Sextum à corporis virtutibus nihil iuuantibus. Septimum ab animi consternatione, ac desperatione. Octauum à contagio, quo corripiebantur sibi mutuo ministrantes. Nonum à timore, quo deterriti à cõmercio aliorum interibant deserti. Decimum à vacuitate multarum familiarum. Vndecimum à virtute præditorum hominum verecundia, præ qua, ne desererent officium, interibant. Duodecimum à familiarium, domesticorumq; contemptu in dominorum salute spernenda, & sua procuranda. Decimumtertium ab inuidia elapsorum iam, quos beatos prædicabant ægroti. Decimumquartũ à concursu agrestium in oppidũ, ex quo magis vulgata pestis, cum aere concluso angustis, arctisq; tectis, quæ incolebant, atque proinde ęstuoso suffocarent̃, in quo tria capita continent̃; ędium inopia, locorũ angustia, anni tempus. Decimumquintũ ab ordine perturbato, à mortuorũ copia, & ritu moriendi. Decimumsextum à sæuitia symptomatis siticulosi adigentis ad omnia. Decimumseptimum à templorum indebito, & sine pietate vsurpato cultu. Decimumoctauum à perturbatione, & violatione omnium legum, rituum, consuetudinum, ac ceremoniarum in sepeliendo. Decimumnonum ab impietate, quę animos hominum occupauit, quam mirifice varijs modis amplificauit. Vigesimum ab vsurpata memoria oraculorũ, quæ prædixerant futurum hoc malum, quod proxime tractauimus, & hæc breuis omnium à Thucydide de hac peste dictorum repetitio, & Epilogus, quo nostras, nos quoque hoc anno prælectiones de peste decreuimus terminari, Deum precantes, vt quæ ex libris nũc accepimus, & legimus, ea nolit vsu, & experientia comprobare, sed diutissime, ac in sempiternum hoc à nobis flagellum arceat, atque auertat.

Finis Secundi Libri.